





Gedrukt bij W. F. SCHULTZE, te Utrecht.

INITIA
PHILOSOPHIAE
PLATONICAE.

SCRIPSIT

PHIL. GUIL. VAN HEUSDE.

EDITIO ALTERA EMENDATA.

LUGDUNI-BATAVORUM,
apud H. W. Hazenberg et Socios.
1842.


KAISERLICHE KOENIGLICHE
WIEN
HOFBIBLIOTHEK

Praefabor huic paterni operis repetitioni? At quo animo! quo consilio! quo pacto! Suus enim operi ereptus artifex jacet, qui, in quo elaborando diutissime diligentissimeque olim fuerat versatus, in eodem perficiendo et ad communem utilitatem magis accommodando consenescere constituerat. Verum huic satisfieri consilio noluit Deus Opt. Max., cui, si praestitisset, placuisset. Sustulit eum, paucis spectantibus et illacrimantibus et futuri desiderii vim omnem et molestiam vix suspicantibus. Quem igitur patrem meum ex hac vita tanquam ex hospitio non tanquam ex domo discedentem quum praeter cognatos familiarium nemo prosequi verbis ac lacrimis potuisset, mox multi boni virum bonum sibique amicissimum luxerunt, patria nondum eluxit. Atque illorum quidem mentes postquam inopinatus Genevâ allatus nuncius perturbaverat et fere prostraverat, gravissimi doloris participes facti, eam vocem emiserunt quae, testata communem dolorem, quanti viri desiderio subito efficacissimoque ipsi tenerentur, declaravit. Quorum verborum, sensuumque quos mihi meisque accepta et percepta moverunt, hoc ipso tempore memor, et mente volvens, quos ille, si inter nos et nobiscum mansisset perpetuo, diuturnae meditationis fructus largitu-

rus fuisset, tranquillone animo esse possim et consueta, quam tempus affert, dolendi voluptate frui! Quid? quod veterem illam lugendi causam tam gravem, tam necessariam, quam lenire dies atque emollire valet, tollere nunquam valebit, recentissimum scriptum instauravit. Cujus quidem scripti argumentum quum in commendanda Heusdii memoria versetur, scriptor, JAC. ADOLPH. CAR. ROVERS, *consobrinus meus dilectissimus, nihil praetermisit quod ad illustrandum argumentum pertinere videretur. Adhibitis quippe, quae singula singuli memoriae mandaverant, singularis pietatis monumentis, lubenter praeterea scienterque in usum conversis, quaecunque ex paterna haereditate lubentes rem arduam suscepturo suppeditaveramus, eam, quae jam aliorum diligentiâ adumbrata quodammodo erat, imaginem sic omnibus numeris absolutam prodidit, ut necesse sit, qui intueantur eam, exstare consentiant quidquid ex viro desideratissimo amaverint, quidquid admirati fuerint. Non persequar equidem hujus libri laudes, quarum alios esse velim veros et candidos existimatores: tantum dixi, quantum animus jussit gratissimo sensu perfusus et paternâ memoriâ sic optime perpetuo pergavisurus, ut commendatae ab illo plenissime memor futurus sit.*

Hic igitur omnibus, qui horum Initiorum scriptorem cognoscere cupient, locupletissimus auctor erit; me vero quamvis haud dedeceret ac summopere juvaret de optimo patre referre, tamen, quoniam vix quidquam proferre possim, quod ille non amantissime verissimeque et vero maxime enucleate exposuit, omnino tacere praestat quam paucis absolvere. Veruntamen ut mihi illa legenti crevit vix sedatus dolor, inprimis attendenti, qualia, ut prodesset quam plurimis, scribere partim coepisset, partim instituturus videretur, ita auxit dolorem perpetua ipsius hujusce operis cura, quam patris obitu mihi mandatam videbam. Mirum, quamdiu haec philosophiae Platonicae Initia manibus versabam, si hunc equidem ex diligenti gratissimaque libri lectione fructum percepi, ut, quae literis consignata legerem, tanquam ore adhuc paterno

tradita vivoque expressa sermone colligerem? si ipsum in conspectu positum comiterque ut solebat confabulantem saepenumero videre atque audire mihi viderer? Obversabatur menti vultus ille serenus, sereni animi interpres, qui, quoties de illa Platonis ubertate ac vi mentio erat, explicabatur totus ac diffundebatur: videbar lateri ejus adhaerere, pendere ab ore, quin divinare mihi adhuc videbar, quo me esset instituti sermonis exitus perducturus. Sed in iis, quae perlegebam, cum alia me tenebant quam plurima gravissimeque dicta, tum illud, quod spe ille et exspectatione praeceperat: «Non doctrina fuit quaedam philosophia Platonis, qua gravissimae explicarentur philosophiae quaestiones; erat illa institutio hominis, hominis erat, ut sapere recte disceret atque has explicare quaestiones haud frustra niteretur, ad veritatem conversio. Hanc igitur philosophiam quidni scholam dicamus philosophorum optimam, instaurandamque hac nostra aetate esse? Faciendum id autem maxime in juvenum gratiam censemus. Juvenes enim, quibus naturâ inest philosophia quaedam, ut semel, hac ingenii animique integritate, ex his naturae fontibus hauserunt, incredibile dictu est, ut vigorem inde trahant continuo, aptique deinde fiant sive ad philosophandum sive ad nullum non artium doctrinarumque genus et colendum et provehendum.» Sed quum plura de hoc opere dicenda sint, age audiamus quae perspicue ac concinne de ejus summa commendator memoriae prodidit. Quamquam ejusdem superior disputatio ad rectam operis aestimationem haud minus valebit. Haec ille inde a p. 127.

«*Initia philosophiae Platonicae tribus deinceps voluminibus ab a.* 1827—1836 *edita sunt. Hoc opus ornatur monumento pietatis ex eo quidem genere, quod in Neerlandia nondum ignorari pronuntiavit Heerenus. Praemissa enim est Epistola ad Creuzerum de Wyttenbachio. Heusdium multi norunt carissimi praeceptoris vitam conscripturum fuisse, ni Mahnium accepisset idem consilium agitare. Sed prouti hunc gaudebat pietatis officio satisfecisse, ita a se illud non aeque expletum esse, se grati animi sensum non scribendo effudisse nec palam declarasse, aegre*

ferebat. Hinc tandem Epistola illa ad Creuzerum, et veterem Wyttenbachii et Heusdii item a multis annis amicum conjunctissimum et communem Platonis amatorem. — Disquisitiones autem Platonicas, complurium annorum haud intermisso studio partas, gravissima de causa edidit Heusdius; quemadmodum et ex indiciis passim obviis et e schedis ejus manu scriptis patet. Primo praecipuoque loco ille juvenes spectabat eximii ingenii, quique spem afferrent futuras sive in literis et disciplinis sive in philosophia excellentiae. Hos potissimum ad Platonis quum scripta legenda tum philosophiam perspiciendam adjuvare cupiebat. De auxilii momento ac necessitate eo certius sibi persuaserat, quo magis vulgarem improbabat Platonis legendi rationem. Nam plurimos animadverterat, adsuetos quippe syntheticas nostrorum scriptorum rationi, eamdem in Platone suspicari probandi demonstrandique viam, et hinc aegre intelligere philosophum, cujus analytica praesertim sit veri indagandi methodus. Vel potius aliis evenire vidit, quod expertus ipse fuerat; qui, quum primum hoc studium ingrederetur, eadem de causa Platonis dialogos, quamquam libens eos et magna adeo voluptate legere solitus, non tamen intellexisset satis. Quamobrem analyticam viam judicabat diligenter tenendam, in primisque naturam cognoscendam esse dialogi Platonici, prorsus diversam a syntheticis plerumque posteriorum commentationibus, forma colloquii, tamquam adventitio ornatu, indutis, contra in eo positam, ut sint dramata philosopha, interioris, e Socratis methodo, indagationis philosophae plena, mentem inter legendum continenter acuentia et ad cogitandum, inquirendum, judicandum, quin explorandum semet ipsam, incitantia. Haec qui non assecuti essent, negabat porro ipsam capere et dijudicare posse Platonis philosophiam, perperam, ipso judice, ab Aristotelee inde aevo saepius doctrinam habitam sive scientiam partibus suis constantem. Sic statuenti Heusdio utile videbatur istiusmodi edere disquisitiones, quibus, missis plane recentioris aevi opinionibus philosophandique norma, ipsam Platonis philosophiam exprimere studeret et attendenda Socra-

tica dialogi ratione, qua usus ille interrogando, inquirendo, distinguendo admirabilem in modum illustrasset omnia, Platonem non tamquam aliquem de schola philosophum, sed ut lumen philosophiae, proponere conaretur. Haud latebat, hanc ingenii Platonici ubique servandi voluntatem in viam ducere longiorem quam quo synthetica ferret explicandi ratio; verum tenendâ illâ id eum egisse constat, ut lectores non ex ipsius libro, tamquam e compendio, sapere sibi viderentur, sed praeparati his I n i t i i s *et quasi* i n i t i a t i *quodammodo, ex ipsis dein* r o a p s e *saperent scriptis Platonis.»*

«Verum illud sapere e Platone, quo praesertim excellentis ingenii egregiaeque spei juvenes ducendi viderentur, quid potissimum boni allaturum sperabat Heusdius? Attendebat tempora sua, ad quorum usum e scriptis illis multum profici posse arbitrabatur, si quidem a Socrate et Platone, ipsius philosophiae in hominum genere parentibus, ea optime discerentur, quae magno cum gravissimarum rerum detrimento nondum satis sive teneri sive curari censebat, nimirum quid sit philosophia, quo pertineat maxime, qua sit ratione quo consilio tractanda. Quodsi ab his principiis inde ducendis initium fieret, perceptisque iis praeclara dein adirentur recentioris aevi inventa, tum demum fore judicabat, ut philosophia ad communem adhiberetur generis humani salutem. Et eo praecipue nomine Heusdius suum ipse opus a plurimorum distinxit de Platone commentationibus, quarum haud paucas profecto magni facere sibique perutiles dicere solebat. Sed prouti aliis interpretatio scriptorum, placitorum explicatio aliis maxime proposita fuerat, horumque multi viris doctis suas destinaverant commentationes: ita Heusdius eos potius, quos vidimus, j u v e n e s *cogitabat, neque unice Platonis aut scripta spectabat aut philosophiam, sed utrumque per hos rite aliquando institutos momentum volebat et animo praecipiebat temporibus nostris saluberrimum.»*

Describenda haec esse duxi, quo melius de optimi patris in hoc opere scribendo consilio existimaretur: quae autem porro de peculiari-

bus hujus libri virtutibus disseruit, memorare nec filium decet, neque hujus est loci. Addere tamen velim, quae ipse aliquando ex ejus ore accepi, quaeque pariter ad rite ejus intelligendam mentem facient. Nam ut instaurabatur mihi perpetuo desideratissimi viri imago, ita recordabar sponte, quod ille animo volvens mecum communicaverat. «Mirati sunt saepe, ajebat, qui haec mea studiosius quaerunt, cur in philosophia veri tamdiu haeserim, duabus vero reliquis philosophiae rationibus, quarum altera ad pulcrum, ad justum, sanctum divinumque altera refertur, vix tertiam singulis moram operamque tribuerim.» Ac leniter subridens: «Οὐκ ἀπειροκάλως quidem illi, ἀλλὰ σφόδρα εὐαρμοστίαν ἀγαπῶντες et vere proprio vocabulo usi: verissime enim in illa omni de dialectica metaphysicaque quaestione haesi, nec mihi eam aut ipse plene penitusque perspecturus, aut aliis manifestam redditurus videbar, nisi in cernendo jungendoque accuratissimus essem et veritati omnem nubem subtrahere conarer. Quid? quod ea fusior disputatio ipsam veri philosophiam unice decebat, quippe longe lateque patentem, cujusque in ea philosophia princeps locus esset, quae optimam hominis institutionem et ad veritatem conversionem spectabat. Quare nolint mihi succensere graviusque me accusare; excusent potius, si in exponenda Platonis dialectica nimium me hujus ἐραστὴν probaverim. Corrigam tamen quidquid peccavere, si modo peccavero. Volo exstet totius operis conspectus, non inficetum compendium quoddam, sed conspectus talis qualis nec dedecet Platonis philosophiam et in quem derivata sint praecipua, quae ejus aditum parare discendi studiosis possint. Ita et multorum voluntati occurrere, neque impedivero diligentiores, quominus, si sapere velint, ex ipsis Initiis cetera petant antequam adeant Platonem.» Haec ille et alia multa alio relata et a vitae, quod perpetuum habuit, instituto haud aliena. Quorum equidem consiliorum memor, ne quid deesset, quo subvenire aliorum studiis possem, argumenta disquisitionis, quorum tantum successio in priore editione inveniebatur, ipsa quoad ejus fieri poterat brevissime indicavi.

Qua in re vereor ne sint quae displiceant: fatsor difficillimum negotium fuisse, modum ita semper servare, ut constans esset rerum maximarum et gravissimarum animadversio. Nec tamen totius disputationis ordinem verborum brevitate contrahendum mihi esse duxi. Id qui a me fieri potuisset? quis postulasset? cui gratum fecissem? Ipsa legenda sunt, quae fluxere ex diuturna rerum argumentorumque meditatione: ipsa petenda est et percipienda expositionis ratio, nativa sermonis facilitate, simplicitate, concinnitate, vi quoque et impetu haud raro insignis. Quae quidem una ratio est, qua non solum ingeniis parati, sed imbuti animis ad recte legendum Platonem, qui ejus esse studiosi velint, accedant. Eosque hi e lectione illa sine dubio fructus ferent, quorum ubertatem non latuisse eos cognovimus, qui juventute perceperunt. Itaque favebunt mihi, spero, quicunque, perlectis Initiis, quum recolere singula sibique mente omnem rerum copiam proponere cupiant, aliquid subsidii paratum videbunt, quo philosophicarum disquisitionum sibi memoria instauretur. Lubenter enim se interrogari patientur, ut apud mentem constet, num quid praeterierit aut aufugerit, quod animadvertere ac tenere oportuisset, num qua secus acceperint, num initiatos omnino se sentiant ad rectam universae philosophiae Platonicae intelligentiam. Quam philosophiam ubi legendo potissimum Platone fontem rerum optimarum cognoverint, gratum erit porro investigare, quae ipsius philosophi praeclara merita fuerint, qualia conatus consecutusque sit; atque, ut uni omnia tribuere caveant, comparare ei praesertim juvabit, qui ante eum et post exstiterunt eximiarum laudum socii, Socratem et Aristotelem.

Itaque altera haec exibit Initiorum editio, atque in manus hominum perveniet; formâ, non materie, dissimilis priori. Nam perpauca mutata sunt, nonnulla addita, cuncta ab ipsius auctoris industria profecta. Meum nihil est, neque esse potuit praeter memoratum argumentorum indicem, criticam locorum quorundam Platonicorum ac Ciceronianorum investigationem et hoc triste praefandi munus. Cujus

tamen molestiam magnopere spes minuit fore ut, qui vivus disciplinâ suâ haud frustra prospicere aequalibus studuit, idem mortuus cum vitae memoria etiam studiorum fructus gratae posteritati probet ac persuadeat.

J. A. C. VAN HEUSDE.

EXCELLENTIS INGENII DOCTRINAEQUE VIRO

FRIDERICO CREUZERO

S. P. D.

PHIL. GUIL. VAN HEUSDE.

Cum saepenumero te cogitavi, praestantissime Creuzere, ex quo Heidelbergae a te discessi ante hoc triennium; tum nunquam crebrius lubentiusque, quam per omne tempus, quo haec conscripsi *philosophiae Platonicae initia*. Nam Platoni adhibens scripta tua praeclara, cui lucis afferunt quam plurimum, ipsorum sponte auctorem mente mihi et cogitatione repraesentabam. Et instaurabatur mihi simul sermonum recordatio suavissimorum, quos de Platone et antea habueramus et tum renovavimus. Quorum haec fere vis apud me fuit, ut doctrinam suspicerem tuam, infinitam illam et reconditam, colerem autem animum tuum probum, integrum, apertum, tum vero amarem te propter communem nostrum Platonis amorem. Nam si quis alius ex antiquitate scriptor, Plato sane jungit animos, quippe studium excitans virtutis, quo copulamur facillime: imo incendit nos vehementi quodam pulcri bonique amore, ut una cum virtute et ipsum diligamus philosophum et quicunque cum illum tum virtutem diligunt. Quo factum, ut carus nobis in primis esset Wyttenbachius ὁ φιλοπλάτων: quem tu coluisti ut amicum conjunctissimum, ego vero ut doctorem et alterum quasi parentem et colui et veneratus sum. Nam quidni hoc nomine illum vocem, cui novam veluti vitam debui? Et apud me quidem ejus memoria proxime est cum Platonis amore conjuncta, quippe quem excitavit, certe aluit mirifice et confirmavit. Quamobrem quod de Socrate Phaedo, idem ego de hoc meo Socrate lubens profiteor, de eo vel ipsum loqui, vel alios audire loquentes, longe mihi jucundissimum esse. Nec tibi, spero, injucundum erit, vir amicissime, de communi amico me

audire narrantem: quod ut saepenumero me facere in communibus nostris sermonibus memini, ita nunc datâ operâ scribenda hac epistola lubenter instituo. Non celebrabo viri doctrinam, quam tu sane unus omnium maxime aestimare potest: nec vitam ejus scribam, quod egit eruditissimus Mahnius, pie, debite, accurate, docte, ut germanum decebat viri discipulum; sed exponam simpliciter, quis meus fuerit sensus, cum eum primum convenirem: qualis esse mihi deinde visus sit in literis tractandis et instituenda juventute: praesertim quae ejus fuerint in me merita et illis temporibus et deinde perpetuo, quoad mihi frui ejus consuetudine et suavitate licuit. Quod te non latere oportet ad has judicandas disquisitiones Platonicas, me vero exponere jubet cum pietas, tum grati animi sensus.

Nunquam sane ille dies animo excidet meo, quo recens Amstelodamum delatus, ut studiis operam navarem, primum et vidi virum et cognoscere coepi et exarsi simul incredibili optimarum artium studio. Nam tametsi essem jurisprudentiae destinatus, legeram tamen unum alterumque Platonis dialogum, excitatus cum dicto Ciceronis: *Quis enim uberior in dicendo Platone? Jovem ajunt philosophi, si Graece loquatur, sic loqui*, tum Nodellii adhortatione, hunc locum mecum legentis et celebrantis, viri in paucis cultissimi mihique desideratissimi, quo nemo facile animos juvenum poëtarum amore incendit efficacius. Is autem narrare subinde de Wyttenbachio solebat et efferre ejus laudes: hunc principem jam esse literarum: edere Plutarchum, palmarium opus: ipsum apparatum se vidisse aliquando et obstupuisse: haud quidem eum poëtas amare, certe recentiores Latinos; sed antiquos in succum et sanguinem vertisse: Platonem vero admirari, sublimem philosophum, sublimem pariter poëtam, intelligere autem illum neminem mortalium magis. In quibus dictis erant, quae non continuo assequerer: nam equidem devoraveram poëtas; sed quod de Platone acceperam, hoc memori pectore recondebam. Placebat enim hic mihi vehementer, nec quidquam optabam magis, quam ut talis mihi obtingeret divini philosophi interpres, qualis adhuc obtigisset poëtarum veterum et recentiorum. Itaque gratum mihi accidebat dilectissimi patris consilium, ut Amstelodami uterer celebratissima Crassii institutione, quippe conjuncta, uti acceperam, cum Ciceronis et antiquae philosophiae studio: sed idem mihi erat longe gratissimum, ut aditum mihi sponte praebiturum ad principem illum Platonis interpretem, quem jam dies noctesque cogita-

bam, Wyttenbachium. Hunc igitur ut adii (vespera erat: tempus et locum memini) quaerere ille continuo de studiis meis et progressibus: ego de Nodellio narrare et de scriptoribus a me tractatis, maxime poëtis: ille librum mihi in manus dare qui praesto erat, et locum monstrare quem legerem et interpretarer: erant ipsius *Selecta Historicorum* modo edita, locus autem Thucydidis de peste Athenarum: ego subtimide legere, nec probe interpretari. Tum, nescio qua opportunitate, sed fiebat Platonis mentio. Hîc ille, tu, inquit, Platonem legisti? Non legi, inquam, sed inchoavi Apologiam et Phaedonem: cuperem autem legere et intelligere, et hac spe Amstelodamum veni, ut tuis uterer lectionibus, et, si liceret, monitis item tuis ac sermonibus. Placebat responsum viro summo: certe extemplo mutari videbatur totus. Nam explicabatur frons contracta, aberat severitas illa in tironem scilicet suscepta male legentem et male interpretantem: aderat in vultu mira comitas et benivolentiae significatio. Macte, sodes, inquit, virtute tua: nam de eo non desperandum, cui semel Plato placere coepit, ut de Cicerone ait Quintilianus. Nostin' hos auctores? Tum ille continuo vinum postulare et pocula: nos autem mensae assidere, et inter Socratica pocula, sic vocabat, confabulari jucundissime.

Quoties ego, dilectissime Creuzere, in vesperae illius memoriam redeo, redeo autem saepissime, toties admiror ingenium viri plane Socraticum. Sermones erant de Quintiliano et Cicerone primum, mox de Platone, apti illi mirifice ad proliciendum, si quid menti meae inesset: quod intellexi postea. Tum enim suspicabar nihil: satis habebam, si satisfacere quaestionibus possem. Nec vero hoc multum habebat difficultatis. Imo mirum in modum (fatebor enim) mihi ipse placebam, qui tanto cum viro colloquerer eadem facilitate, majore etiam, quam cum aequalibus multis. Nam quae animo senseram de Homero, de Xenophonte, in primis de Platone, obscura adhuc et confusa, nunc clara erant et videbantur mihi egregia. Discessi tandem a viro optimo triumphans, et nescio quid magni et excelsi animo volvens et spe praecipiens. Sed domum redux et animo repraesentans, quae videram, quae audiveram, quae dixeram omnia, stupore paulatim defixus sum. Dolor successit exsultanti gaudio. Nam cogitans, qualis quantusque ille esset, quem adspexeram et adspicere etiamnunc mihi videbar, et me respiciens, qui vix quidquam scirem, in legendo adeo et interpretando haesissem: haec animo volvens, prorsus mihimetipsi displicebam. Sed dolor ille, quamvis gravis illa nocte et molestus, idem dein-

de profuit mihi, imo vero salutem attulit. Ab illo inde die coepi me cognoscere, intelligere quid mihi deësset, inquirere quo illud pacto possem assequi. Quid quaeris? Vivere ab hoc inde tempore coepi, siquidem vivere non est spiritum ducere, sed animum explicare ad percipienda praeclara omnia, in iisque felicitatem quaerere.

Hac arte Socratica, ut ipse sum usu expertus, excelluit Wyttenbachius. Nec mirum iccirco, tantum profuisse ejus disciplinam juventuti, quantum paucissimorum. Media haec erat inter duas rationes extremas, quae aegre evitantur. Haud erat difficilis, dura, aspera, restinguendis ingeniis, quam excitandis, aptior: nec erat tamen tota ad delectandum composita. Ex hac leves, vani, futiles solent procedere, ex illa tristes et morosi homines. Habebat hoc proprium et singulare, ut ad rem tenderet ipsam, non deflecteret in ambages, in quibus frustra fere omnis consumitur diligentia. Grammaticam v. c. scriptorum interpretationem nemo illo unquam vel commendavit magis vel propugnavit: nec tamen erat *Grammaticus*, qui vulgo dicitur, i. e. homo, qui, in voculis et syllabis haerens, leges semper loqueretur sive *regulas* artis earumque varietates et exceptiones. Adhibebat illa omnia continuo ad ipsa scripta veterum cum explicanda rite, tum, si opus esset, emendanda. Sic minutissimae animadversiones grammaticae instar videbantur gravissimarum. Nam pertinebant non ad lites et controversias grammaticorum de levissimis rebus gravissimas, ut novimus, et pertinacissimas; sed valebant ad Homeri, ad Platonis, ad immortalia excellentissimorum ingeniorum monumenta illustranda atque integritati restituenda, in quibus vel tenuissimam labem quam aegerrime toleramus. Quod cognovi deinde, quum legeret ille mecum Platonem. Nam afferre ei identidem solebam loca difficiliora, quae non intellexissem: ille autem vespertinis potissimum horis inter Socratica, si non pocula, certe monita et colloquia, quae longe mihi accidebant dulciora, una mecum erat in bibliotheca et totum se mihi dabat. Legens igitur mecum loca illa, singulis diligentiam adhibebat summam, ut exquireret primum verborum structuram, tum singularum vocum dictionumque usum et significationem, ne minimis quidem omissis particulis. Quibus singulatim patefactis, haud desiderabam equidem universae sententiae interpretationem. Nam, eo duce, sponte mihi videbar eam totam esse assecutus. Tum vero, explicito loco, ego fere ad alium progredi et festinare, quem pariter intelligere averem: ille vero non sinere. Lente, o bone, inquit, festinandum

est nobis: nondum enim Atticam formam attendimus, nondum Platonicam, nondum exquisitum verborum usum, exquisitam nondum totius sententiae elegantiam. Fiebat ita non raro, ut una sententia, unum etiam vocabulum per integram nos horam retineret. Cujus tamen me morae neque tum taedebat, neque vero postea poenituit. Nam voculis ille explicandis, explicabat mihi simul et commendabat sponte Graecae linguae dotes admirabiles, Atticae dialecti venustatem, ipsam urbanitatem Atticam: eloquentiae in primis vim nativam, quae non in tropis, figuris, imaginibus ornamentisque oratoriis cernatur, sed proprio exprimatur et exquisito verborum usu: apud Platonem praesertim, cujus verbis et dictionibus tota antiquitas quam plurimum tribuat auctoritatis. Itaque frequentia erant ejus monita: mitterem novitios philosophos, qui de Platone ejusque philosophia scripsissent: mitterem compendia philosophiae Platonicae: ducerem hanc ex ipso Platone: nam fontem esse petendum, non rivulos, fontem autem esse maxime ipsam Platonis linguam, quippe quae mentis philosophiaeque Platonicae quasi expressam contineret imaginem. Haec ille crebro et tum et postea. Quodsi nunc ego hac interpretanda philosophia quodammodo videbor eruditis viris operae pretium fecisse, totum hoc debuero vesperis illis Amstelodamensibus, quas in bibliotheca transegi Wyttenbachiana. Nam e sermonibus, quos illic mihi habere licuit cum humanissimo viro, fructum cepi sane multiplicem, ut diligentiam adhibere tam minimis rebus, quam maximis, discerem: perspicerem plane, neglectis illis minimis, majores amplioresque cognosci nullo pacto posse: grammaticae interpretationis vim persentirem et necessitatem: cognoscerem grammaticorum libros eorumque interpretes, et sic mihimet ipse quasi instrumentum pararem, quo Platonicos mihi dialogos aperirem: tum vero hunc fructum inde percepi longe uberrimum, ut facillime inducerer, quod sine duce perquam est difficile, in Platonis singularem plane scribendi philosophandique rationem; quae ut tota diversa est a recentiorum consuetudine, ita a paucis omni aevo rite intellecta est. De regulis autem sive grammatices sive alius cujuslibet artis sic eum postea saepe audivi disserentem. Frigent, inquit, istae sine artium operibus palmariis, e quibus ductae sunt: his vero cognitis, insignem habent ad diligentius eas explorandas utilitatem. Magni equidem facio grammaticorum libros, nec artis compendia sperno, nec vero regulas, quae utrisque continentur; sed hac juvenibus maxime cognoscendae sunt ex ipsorum

veterum lectione. Jungere eos oportet grammatices studium cum studio poëtarum, historicorum, oratorum, ipsarum artium ingenuarum, quas didicisse fideliter

emollit mores nec sinit esse feros.

Et hoc itinere sanequam jucundissimo facile et firme progredientur ad interiorem grammatices scientiam. Ita enim judico: nullus unquam in hac arte magnus exstitit vir, nisi qui in ipsis scriptis veterum vitae tabernaculum poneret. Haec ille. Scholasticae omnino rationi repugnabat tota viri disciplina: quod e scriptis ejus omnibus patet, maxime e *Selectorum* praefatione et *vita Ruhnkenii*. Habebat quidem illa nonnihil severitatis, incipientibus maxime et progredi nolentibus: neque vero ipse vir statim placebat omnibus. Sed ut ipse, ita ejus institutio quo cognoscebatur interius, eo magis unumquemque capiebat ac tenebat. Nam referebat Horatianum illud idemque Socraticum, scholasticae consuetudini contrarium:

doctrina sed vim promovet insitam.

Sed factâ, Creuzere, vitae Ruhnkenianae mentione, ultro recordor loci in *vita* tua, a temetipso nuper miro candore descripta, ubi fateris, hoc Wyttenbachii scriptum vim in te habuisse maximam ad studia haec regiâ viâ persequenda. Quod ut legi, dici non potest, quantopere delectarer. Nam videbam, Creuzero meo idem illo tempore, quod mihi, accidisse. Quae similia in amicorum rebus maxime valent ad animorum conjunctionem. Et sane mirari sic desii, eandem te in his literis colendis rationem ingressum esse, quam tenuerunt Wyttenbachius, Ruhnkenius, Valckenarius, Hemsterhusius, eadem te, atque heroas illos, secutum esse et assecutum. Ego vero librum legi cum ipso Wyttenbachio. Nam paucae erant paginae typis expressae, quum Leidae ejus hospitio utebar. Huc enim migraverat pietatis caussa erga Ruhnkenium suum, ad rem provehendam calamitosae domus Ruhnkenianae. Multo igitur mane legebam solus, qua jam prelo exierant: tum proxima persequebar cum ipso auctore, qui e scripto suo praelegebat. Jucundiores horas me per totam vitam transigere non memini. Quod enim dicunt fere, qui *vitam* illam legerunt, rediisse se plane in illa tempora, quibus vixit Ruhnkenius, hoc mihi jam contingebat omnium maxime. Nam abrumpens ille subinde lectionem, narrabat suavissime de Ruhnkenio, de Valckenario, de sua juventute, quum adiret primum hos literarum principes. De quibus ambulantes identidem et ru-

sticantes perpetuos miscebamus sermones. Quin intrabamus subinde ipsas Ruhnkenii aedes, ubi comiter blandeque nos excipiebat elegans elegantissimi viri filia, lubens de patre narrans et de viris celeberrimis, qui in ipso illo conclavi, ubi eram, cum Ruhnkenio fuissent. Vivere mihi videbar aureo quodam saeculo. Sed quod mirum videatur, et tamen verissimum est, memoriam sic recolenti summorum virorum, et recolenti cum Wyttenbachio, eorum successore, vix mihi in mentem veniebat, cum tanto me viro loqui. Absens postea in beatissimi temporis memoriam rediens, cogitavi mecum saepenumero, cum illo me tum de literarum principibus egisse, qui nulli eorum cederet ipse, quem amavisset Valckenarius, dilexisset Ruhnkenius, venerarentur quotquot in Europae regionibus literarum laude florerent. Sed praesens illo tempore, mirabile dictu! quamvis haec quotidie legens in *vita Ruhnkenii*, vix animadverteram: colloqui mihi visus fueram non cum aemulo eorum omnium, sed cum discipulo. Est hoc scilicet, Creuzere, magnis ingeniis proprium, quod ne suspicantur quidem homines leves et vani, ut lateant maxime tum, quum isti maxime splendent, id est, quum sermo est de magnis viris. Quod autem tu scripsisti, lecto Wyttenbachii libro absterritum te magis fuisse continuo, quam allectum, perfecta illa Critici imagine: et hoc pariter, imo multo magis etiam et merito, evenit mihi. Leidam reliqui, ut ante biennium illâ vesperâ domum Wyttenbachii, primum hilaris sensu et recordatione perceptae voluptatis, sed moestus deinde et mihi displicens. Verum enim haud temero et hunc mihi dolorem injecerat Socrates ille meus.

Annum deinde mansi Amstelodami, quippe jurisprudentiae, ut dixi, a patre destinatus. Et habebam illic amicos conjunctissimos, quibuscum postea conjunctissime vixi: habebam Hieronymum Boschium, elegantissimum virum, quo terra non tulit candidiorem, quique me ut filium diligebat: et vero claros habebam praeceptores Crassium, Swindenium, Lennepium item, qui modo Wyttenbachio successerat: quamquam hic, pro singulari viri humanitate, amico me malebat, quam discipulo, uti. Veruntamen Wyttenbachium meum semper cogitans et in oculis ferens, impatiens morae, Lugdunum tandem discessi.

Ab hoc autem tempore magis deinceps sive animadvertere sive suspicari coepi, quae tandem esset Wyttenbachii praestantia. Nam antea, ut fert juvenilis aetas, admiratus fueram virum, sed hac fueram admiratione

contentus. Quodsi quaeris, Creuzere, qualis mihi et tum et postea apparuerit vir summus: narravi de adolescentia mea, quo tibi evidentius pateret disciplina ejus admirabilis, simplex illa, sed efficax ad studium antiquitatis in discentium animis excitandum. Congruebat autem haec disciplina cum indole ipsius et naturalibus studiis. Nam, ut paucis complectar, et natus videbatur ad literas tractandas antiquas, et his tractandis quasi antiquus esse factus. Sic iis a puero fuit imbutus, ut quidquid diceret, quidquid scriberet, quidquid adeo cogitaret, antiquum haberet colorem, ex ipsa videretur antiqnitate profectum. Latine loquebatur in scholis publicis, ut sua quisque lingua loqui solet: imo vero ut pauci loquuntur. Nam oratio fluebat pura, limpida, numerosa, luminibus distincta, nullis inquinata recentioris aevi sordibus: et fluebat quasi sponte sua, ut, quid esset dicturus vel qua ratione, haud cogitare videretur. Et tamen nil desiderabatur ad verborum proprietatem, elegantiam, disputationis ordinem. Nec haesitabat unquam, si res declarandae aut significandae essent novae, antiquis ignotae, neque habentes iccirco nomen Latinum. Nil occurrebat; quin significaretur apte et perspicue declararetur, ut veluti oculis pateret. Nam in docendo haec singularis quaedam ejus dos erat, perspicuitas summa, cui tribuebat etiam plurimum. Solebam identidem domi reputare, quae in scholis explicuerat, et recolligere voces et verba, quibus singula illustrasset. Vix quidquam mihi occurrebat nisi barbarum, quo res nostri aevi appellarem. Scilicet non vocem ille usurpaverat propriam quandam et peculiarem, sed toto orationis habitu, qui antiquus erat, sic rem novam declaraverat, ut ipsi verosimiliter antiqui fecissent, si notionem habuissent, verbo caruissent. Itaque nemo erat audientium, exceptis, quos ipse vocabat, ἀμούσοις καὶ ἀπειροκάλοις ἀνθρώποις, quin fructum caperet ex ejus institutione, plane autem nemo, quin audiret eum perlubenter. Lugduni habuit orationem *de adolescentia Ruhnkenii, in exemplum proposita adolescentibus Batavis, bonarum literarum studiosis*, unicam, cui equidem interesse potui. Qua ad finem perducta, domum redibam cum amicis et aliis item juvenibus. Erat autem in iis nescio quis, sed nec doctus nec doctrinae studiosus, quamquam bonus homo, saltem apertus. Hic mirari se dicebat, quod hac ipsa hora sibi accidisset. Nam forte et casu se in auditorium venisse: haud satis enim Latine scire, ut doctos illos viros intelligeret: mansisse tamen per duas horas continuas immotum fere: intellexisse enim verbotenus omnia, quae

orator ille dixisset. *Mirum*, inquit, *negotium! nam omnium iste doctissimus dicebatur, imo monstrum eruditionis.* Quod hominis dictum nos omnes continuo advertebat, mihi autem saepe in mentem redit, quum vel de Wyttenbachio, vel de vera et eruditione et eloquentia sermo est.

Sed ut oratio viri referebat plane Latinorum suavitatem scriptorum, tamen non tota ex hisce erat ducta et expressa. Id non ferebat studiorum ratio, quam ab initio instituerat. Nam anteaquam ad scriptores hosce accessit, adierat degustaveratque fontes, e quibus hi ipsi ora rigaverant, Atticos maxime et Socraticos, Demosthenem, Xenophontem, Platonem. Sunt qui Latine sic scribant et loquantur, ut occurrant subinde vestigia sive Nepotis, sive Ciceronis, sive Livii aut Taciti, quorum alii alium maxime secuti sint. Sed ille Graece cogitabat: sponte sic ejus sermo Xenophonteus fiebat, ut fuit Nepotis, et Platonicus, ut nonnunquam fuit Ciceronis. Hinc color ille, ut ita dicam, Graecus, qui ut dominatur in Latinis scriptoribus antiquis, ita placet in Wyttenbachii oratione. Id omnes animadvertere possunt in viri scriptis, ego autem saepe miratus sum, quum in scholis exponeret aliquid vel narraret, confabulans fere nobiscum suavissime. Atticus plane sermo erat, non ductus ex Latino quodam auctore, sed spirans Socraticam suavitatem, leporem, facetias, ut in Xenophontis occurrit Memorabilibus. Graece scribebat eâdem, si non facilitate, certe elegantiâ et puritate, qua Latine. Quod vidi in epistolis Graecis, quas animi caussa subinde ad amicos scripsit: dolebatque vehementer, a renatis inde literis Latinam linguam, non Graecam, in literata civitate receptam fuisse. Difficillimam enim rem esse, sic scribere Latine, ut tibimetipsi et aliis satisfacias. Haud quidem deësse huic linguae dotes plane singulares, gratiam, concinnitatem, gravitatem. Quid enim Ciceronis epistolis elegantius? Quid ejus orationibus gravius et magnificentius? Epistolis illis nil simile protulerunt unquam literae Graecae. Sed deësse, in formae commendatione, vim interiorem, copiam, ubertatem. Haud inest linguae, dicebat, philosophia: et omnes sunt experti, qui Latine studuerunt philosophari, et reapse probat ipsa lingua, nomen quippe philosophiae aliunde nacta, proprio carens. Eo vero magis id omnibus agendum, qui in literis velint excellere, ut a Graecis ordiantur, in quibus φιλοσοφία et nomine et re exstat, et praeparat animos ad Latinarum studium literarum, imo ad nullas non artes ac doctrinas et facile percipiendas et strenue provehendas. — Haec Wyttenbachius: qui sane, quod

aliis praecipiehat, ipse et secutus fuerat et sequebatur constanter. Nam captus a puero hac linguae Graecae et Graecarum literarum ubertate et elegantia, diu in hisce versatus est et habitavit plane, anteaquam ad Latinas progrederetur. Tum vero in Nepote, in Cicerone Atticam deprehendens gratiam et vim philosopham, pari utrasque amore amplexus est. Nec quidquam habuit per totam vitam antiquius, quam ut coleret illas, aliosque ad eas colendas excitaret et adduceret. Sed ut ea, quae nobis placent, diligentius solemus attendere, et si quid adsit, quod vel displiceat, vel non plane continuo pateat, id patefacere nobis vel tollere studemus: ita ille incredihili ductus antiquitatis admiratione, non satis habebat legere scriptores antiquos et admirari: processit sponte ad expediendum et illustrandum, quod in iis esset impeditum aut obscurum: ad emendandum, si quid corruptelae tractu temporis contraxissent: tum vero ad tollendum et ejiciendum, quidquid in iis deprehenderet alienum et suppositum. Quo ipse se fateri solebat accessisse non laudis studio, sed maxime ipsarum caussa literarum, quas nempe amaret, quibusque prodesse studeret. Nec vero exantlare quis possit tot illos et tantos labores, quot quantique suscipiendi sunt critico, nisi *amore* ducatur literarum, ut prouti amantes pro amatis, sic ipse pro hisce deliciis suis nil non sustineat et perpeti et perficere. Criticorum fere misera fuit vita, si sermones accipimus vulgi et hominum vulgarium. Et saue magnam vitae partem transigunt libris legendis parum venustis grammaticorum, rhetorum, scholiastarum, lexicographorum: codicibus excutiendis, comparandis, censendis manu scripsit: inquirendo, meditando, et, quod pessimum est, frustra saepenumero molestissimis perferendis laboribus. Haud dulcia haec videntur mulierculis, nec elegantulis etiam hominibus, qui, istarum instar, leviora tractant et suaviora. Nec nobis profecto, Creuzere, haec omnia per se videantur magnopere expetenda. Imo mirer equidem, si laudis gloriaeque studium unum sufficeret, ut vitae se quis privaret voluptatibus, aerumnas hasce sponte perduraret. At vero amor, qui vincit omnia, amor literarum et artium, qui molestissima etiam suavia reddit, hic, inquam, et criticos et nullos non magnos viros in omni artium et doctrinarum genere, sic incendit vehementi ardore, ut pro literis, pro artibus, pro doctrinis, tanquam pro amoribus suis et deliciis, nil non susciperent lubeuter et facile perficerent, imo ultro exquirerent novas difficultates, quo de iis melius etiam praeclariusque mererentur.

Sed non est, quod tibi haec dicam, Creuzere, quo nemo facile hac nostra aetate et difficiliora suscepit et suscepta peragit facilius. Mihi de Wyttenbachio narrandum, qualis fuerit, certe mihi sit visus fere, in literis tractandis: necdum enim hac in re mihi ipse satisfeci. Nam quae adhuc dixi, communia illa magnam partem habuit cum Scaligero, Casaubono, Bentlejo, Hemsterhusio, Ernestio, Heynio. Hi omnes et critici fuerunt primarii et habitarunt in his literis, earumque ducti amore nil non pro iis pertulerunt. Fuisse autem videtur Wyttenbachio proprium quid et singulare, non quo excelleret viris illis omnibus et singulis et universis — sic loquuntur homines rhetorici et scholastici, quos nolim imitari — sed quo distingueretur ab illis. Erat hoc, si quid video, studium Socraticae philosophiae et Platonicae, quod dominatur in omnibus, quae scripsit et commentatus est, ac patet e scriptorum delectu, quos potissimum tractandos sibi suscepit, e studio Juliani, Eunapii, Aristaeneti, quos juvenis in epistola critica ex Platonis fonte emendavit et illustravit, ex consilio edendi Plutarchi, edendi ipsius Platonis, quod fecisset, ut ipse scripsit, nisi idem ante molitus fuisset Ruhnkenius. Natus erat ad literas tractandas antiquas, sed naturâ item duce accedebat ad philosophos, Socraticos in primis et Platonicos. Perlustrans igitur vastum literarum campum, illud attendebat maxime, quod cum Socrate, cum Platone, cum utriusque elegantia et philosophia maxime esset conjunctum; et vero ad hos interius cognoscendos accurate diligentissimeque singula antiquitatis monumenta explorabat. Ingressus est ita historiam philosophiae, in qua regnavit plane, ipsam ingressus est philosophiam, sine qua ejus historia explicari nequit: factumque ita est, ut biennio post editam epistolam criticam, Amstelodami doceret publice una cum historia philosophiae logicam etiam et metaphysicam.

Quodsi cum Wyttenbachio Ruhnkenium comparamus, haec indoles viri magis etiam patebit nobis. Illius, in magna similitudine, dispar fuit quodammodo ingenium, dispar studiorum via et ratio. E Bergeri Ritterique profectus institutione, ut suo ipse ingenio obsequi coepit, ita continuo in poëtas incidit, Homerum, Hesiodum, Homeridas, Apollonium Rhodium, Callimachum, in quibus interpretandis, emendandis, purgandis Bentlejanam usurpabat rationem et audaciam: prouti ipse Rittero aliquando ingenue animum aperiens, in epistola scripsit: *nisi mihi Hemsterhusius, Valckenarius aliique summi homines verba dent, videor in hoc litera-*

rum genere aliquid praestare, quod prope Bentlejanum sit. Mox ei placuit candor et elegantia Xenophontis, et in Latinis scriptoribus Xenophonteae venustatis aemulus, Cornelius Nepos: quorum fortasse utrumque edidisset, nisi antevertissent ipsum alii. Nam erat in viro acerrimus pulcri venustique sensus: totus erat ad humanitatem et exquisitam quandam elegantiam compositus: videbatur plane alter Xenophon, certe sic naturâ amabat Atticam illam Musam, ut ejus suavitatem in omnibus scriptis exprimeret. Itaque in legendis scriptoribus antiquis illud admirabatur maxime, quod naturae incorruptaeque venustatis veluti *τύπον* referret. Quod secutus in primis tractavit poëtas, historicos, Socraticos philosophos, oratores; et sic regnavit in *literarum et eloquentiae*, ut Wyttenbachius in *philosophiae historia.* Accessit deinde ad Platonem, sed in philosophi scriptis sic est versatus, ut ipsius indoles ferebat: exquirebat voces dictionesque poëticas et elegantiores, quarum tanto studio ductus est, ut lubens ètiam legeret sequioris aevi scriptores et patres adeo ecclesiae, quos ipsos non vehementer amabat, sed legeret lubenter, siquidem Platonis venustatem omni opportunitate imitando exprimerent. Edidit ita Timaei commentarium, qui ediscendus est omnibus, qui legere cum ingenii animique fructu Platonem velint. Nam viam hic aperit ad criticum Platonis studium, quo neglecto, nemo pntet se ad interiora Platonicae philosophiae sacra pervenire posse. Sed aditu recludendo contentus fuisse videtur Ruhnkenius. Philosophandum paucis ducebat: nam omnino non placebat. Et quod Nepos ait de Attico, *attigit quoque poëticen, credimus, ne ejus expers esset suavitatis*, idem ille, teste Wyttenbachio, de studio a se philosophiae impertito dicere solebat. Suavitatem enim, elegantiam, venustatem in omni scriptionis genere, philosopho etiam, exquirebat studiosissime et felicissime deprehendebat atque in lucem proferebat. Hoc procedens itinere Ruhnkenius in criticis excelluit, in iisque adeo principatum obtinuit: nam accedebat his dotibus et studiis immensa doctrina et rara quaedam solertia critica, quam acuebat mirifice acerrimus ille pulcri sensus: et edere Platonem sic potuisset, ut elegantiorem, adde et doctiorem accuratioremque scriptoris interpretationem nulla unquam aetas visura fuisset; sed philosophiam tradere, *logicam et metaphysicam* conscribere, placita explicare philosophorum abdita et recondita, Wyttenbachii hoc munus fuit, haud fuisse videtur Ruhnkenii.

Wyttenbachius juvenili aetate quid sibi vellet, quid appeteret, cui

studiorum generi se addiceret, non reperiebat: sed errantem diu et ex aliis in alia incerto vagantem, ecce! subito ipsum capit in Xenophonte legendo nescio quid suavitatis: quod ipse mihi saepe narravit coram, et publice etiam scripsit. Atque idem illud *nescio quid suavitatis*, quod in Xenophonte eum tenebat, ut antea Ruhnkenium, ita nunc ipsum excitavit, ut legeret deinceps Platonem et omnes, in quibus Xenophontea inesset suavitas. Sed nec orsus est, ut ille, a poëtis, et Xenophonte legendo interius, quam ille, in philosophiam penetravit.

Haud aversatus est poëtas Wyttenbachius, ut fuerunt qui dicerent. Legit antiquos omnes, ut fecerat Ruhnkenius: legit? imo intimo sensu percepit optimos quosque, ut in scriptis, in scholis publicis, in familiari vitae consuetudine pulcerrima quaeque et sublimia loca sponte adduceret. In schola aliquando, cui intereram, sic recitabat et interpretabur Horatii illud: *Pindarum quisquis studet aemulari* — ut qui natus esset poëta, haud sublimius Pindari sublimitatem exprimere potuisset. Et legentibus nobis viri scripta, in primis, quam saepe jam laudavi, *vitam Ruhnkenii*, ipse àuctor, quamvis prosâ scribens, subinde Pindaricam non aemulari, sed ultro sequi sublimitatem videtur. Sed quod juvenis egerat Ruhnkenius, hoc nunquam instituit Wyttenbachius, ut *poëtas* sibi potissimum interpretandos sumeret et emendandos, minus etiam ut Bentlejum imitaretur. Nam ad philosophiam eum ducebat natura, non ad poësin. Inerat ei, quam Plato vocat, φύσις φιλόσοφος, *indoles ad philosophiam*, cui obtemperans, degustata Xenophontis suavitate, mox Platonem amplexus est et una cum Platone philosophiam omnem: idemque eadem facilitate logicam scripsit ex antiquis fontibus ductam, qua librum commentatus est Plutarchi *de sera numinis vindicta*. Et verò, ut versus contemnebat, saltem non magnopere admirabatur poëtarum, qui praeter sonoram suavitatem nihil haberent, quo se commendarent, ita poëtas omnes, in quibus vera inesset sublimitas et vis omnino philosophiae quaedam, hos sic admirabatur, sic interpretabatur eosdem, ut pauci, quamvis ipsi poëtae. Itaque in Odis Horatianis, ut ipse me coram fatebatur ingenue, satisfecerat sibi subinde locis illustrandis ex Graecorum lyricorum carminibus et fragmentis, quorum vis latuisset adhuc interpretes. Quae ut aliquando e viri manu scriptis in lucem edantur, et poëseos et bonarum literarum caussâ vehementer optamus.

Xenophontem Ruhnkenius ingenio referebat; sed Wyttenbachius Pla-

tonem. Est scilicet ingeniorum etiam cognatio quaedam, quae sensuum studiorumque similitudine continetur: res sane mirabilis, qua fit saepenumero, ut alii in aliorum vestigia incurrant sponte, quamvis et regionum et temporum intervallo quam longissime sint disjuncti. Sic sponte Xenophontem sequebatur Ruhnkenius et quotquot ingenio cum Xenophonte essent cognati. Philosophabatur item eleganter et tum maxime, quum minime videbatur, in scribendo v. c. Hemsterhusii Elogio, plane ut Xenophon in scribenda Cyropaedia. Sed Wyttenbachii ingenium, in pari vel simili simplicitatis venustatisque studio, contendebat altius. Amabat ille suavitatem Xenophonteam; sed sequebatur Platonem: *μετ' ἴχνια βαῖνε θεοῖο*. Quam nativam viri indolem omnes agnoscunt, qui et scripta ejus legunt et ipsum audiverunt. Spirant illa Platonicum quid, quod non in verbis et dictionibus cernitur, neque in imaginibus, et comparationibus, neque etiam in forma dialogi, quam usurpavit aliquoties: haec imitando quis assequitur; sed in toto orationis habitu, qui tum maxime Ciceronem refert, quum Cicero maxime Platonem expressit. Nec vero se data opera conformasse videtur ad Platonis exemplum. Nam quotquot audivi homines de Wyttenbachii scriptis judicantes: ac multos audivi, aetate, ingenio, studiis dissimillimos: hac in re maxime consentire universos vidi, Wyttenbachii orationem non esse Ciceronianam, vel Nepotianam, vel, si velis, Platonicam, sed Wyttenbachianam, i. e. ipsum referre auctorem, ut hunc ex dicendi, sentiendi, judicandi ratione sic agnoscamus, prouti ex vultu et lineamentis amicos. Nempe non alienum erat Platonicum illud, quod studio adscivisset, sed erat ipsi naturâ proprium. Quod patebat maxime in vitae consuetudine, in amicorum congressibus, in rusticationibus, ambulationibus, in quibus deponere solent homines, si quid habeant alienum, quaesitum, affectatum, et, si quando, prodeunt ut sunt, non ut videri volunt. In his eum cognovi hominem jucundum, facetum, acutum, referentem nobis plane Atticam urbanitatem, sed acerrimum in explorando vero et justo, sed plenum sensuum sublimium, et his lubenter sensibus indulgentem et obsequentem; quid quaeris? Platonicum prorsus. Quam insitam indolem mature, a puero inde, legendo Platone elicuit ipse et excoluit. Legisti, Creuzere, epistolam illam, quam ad me scripsit, qua omnes dicunt nil se vidisse elegantius: ego fateor, nil mihi in vita gratius jucundiusque accidisse. Nam peramanter scripta est, ut doctoris amicique in me animum voluntatemque aperiret plane. In hac igi-

tur juventutem suam descripsit, quum otia captans, per anni tempestatem in sylvas montesque excurreret, et *nunc viridi membra sub arbuto stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae*, promeret, non, ut ille, *veteris pocula Massici*, sed librum Platonis, in ejusque se lectionem conjiceret ac penitus demitteret. Ibi tum, inquit, fieri solebat, ut, quemadmodum ipse in alto editoque positus in circumjacentia infra me loca veluti parva et humilia prospiciebam, sic Platonis genio repletus purior leviorque in coelestes regiones sublimis evolare viderer. — Ego cum ipso saepe deinde et excurri per montes sylvasque, et recubui subinde in pratis et amnium ripis: ubi nec Ilissum nec platanum illam desiderabam, quo minus esse mihi viderer Phaedrus aliquis, qui Socratem meum loqui audirem de pulcro et sublimi, de amore, de amoris enthusiasmo, de animorum immortalitate: nec loqui sedate, composite, leniter, ut solebat, sed ἐνθουσιῶντα prorsus, quippe abreptum plane sensuum sublimitate, quam natura excitaverat et alebat memoria Platonis. Loca illa, mi Creuzere, repeto subinde, ubi amnis adest etiamnunc et adsunt arbores: canunt etiam cicadae, quae jucundissimis saepenumero sermonibus opportunitatem praebuerunt: desidero vero virum, cujus praesentia et sermo haec omnia mihi laeta, jucunda, imo sancta et veneranda faciebant. Et tamen repetere placet loca illa: nam est profecto, ut ille ait, *dolendi* etiam *voluptas* quaedam.

Cum Ruhnkenio comparare studui desideratissimum virum: potuissem cum Valckenario, cum Heynio, cum aliis. Nam feci non hoc proposito, ut viros illos quasi ponderarem, tanquam in lance positos. Aliorum haec facultas est, non mea, non amici, non discipuli. Sed prouti in familiari sermone amicorum solemus varietatem exquirere, in aliis alia animadvertere et laudare, aliis alios conferre: sic apponendus videbatur vir magnus nec impar Wyttenbachio, imo similis, quo hujus appareret evidentius virtus propria et quasi imago. Et respondit huic virtuti, huic indoli et ingenio tota viri vita et studiorum ratio. Platonis admiratus est non tantum orationem divinam, sed ipsam philosophiam: quamque Ruhnkenius tam praeclare significaverat intelligendi interpretandique Platonis rationem, hanc ipse ingressus est. Qua in re difficile est statuere, uter alteri praestiterit. Nam dubium videri possit, utri major sit honos habendus, qui invenerit viam, an qui sequi sit ausus et naviter fortiterque sit persecutus. Illud extra omnem dubitationem est positum, Wyttenba-

chium eo facilius efficaciusque Platonis et scripta et philosophiam tractasse atque explicuisse, quo magis esset ipse cum divino philosopho sensibus ingenioque cognatus.

Hac autem factum incredibili Platonis amore est, ut Plutarchum edere Wyttenbachius aggressus sit. Etenim non eo spectabat viri consilium, ut auctorem ederet et variae et reconditae doctrinae, qui unus omnium minime explicari posset, nisi quis totam teneret adhiberetque ad interpretationem antiquitatem. Quae ratio fuisse Casauboni videtur in edendo Athenaeo. Sed quod tu, Creuzere, vir πλατωνικώτατε, spectasse mihi visus es in suscipienda Plotini editione, idem spectavit, et ipse publice est fassus, Wyttenbachius, ut auctorem haberet, in quem interpretandum omnem conferret adhiberetque Socraticae philosophiae et Platonicae elegantiam et ubertatem. Dissuaserat hoc ei consilium Valckenarius, ut majus pro vitae humanae brevitate. Quo minus aegre ferendum est, quae nonnullorum est consuetudo, opus non ad finem esse perductum. Grato animo accipiendum, quod dedit, non ingrato vituperandum, plus esse promissum, quam datum. Non cogitant vituperatores isti, quale sit quod suscepit opus, vel, si cogitant, non animadvertunt, quae fuerit Wyttenbachii diligentia et religio in minimis pariter ac maximis explorandis: quippe qui sibi opus proposuerit, quod sic perficeret, ut quoad ejus in hac hominis imbecillitate fieri liceret, desideraretur nihil,

nil actum reputans, dum quid superesset agendum.

Quod autem non secutus est prudens sane Valckenarii consilium, erat hic illo tempore senescens, Wyttenbachius vero in ipso juventutis flore et vigore, ut susciperet facile, quod aetas dissuaderet maturior. Ego vero admiror in hoc ipso negotio viri studium et ardorem vehementissimum, qui non, ut levia ingenia, levia susciperet, sed natum se sentiens ad magna omnia et praestantissima, difficultatibus non absterreretur, contra hisce magis etiam excitaretur ad insitam vim omnem vasto operi adhibendam. Quodsi legimus in operis praefatione, quot quantosque in his, quae perfecit, exantlaverit labores, miremur sane constantiam viri et pertinaciam, nisi cogitemus simul, amore illum ductum sublevatumque fuisse literarum, imo Platonis amore, qui nil non et profligat et vincit.

Late patebat Wyttenbachii doctrina, haud arctioribus contenta finibus, quam ingens Plutarchi πολυμάθεια, quam ex universa antiquitate illustrandam sumserat. Et prouti Plutarchus, sic ipse eam mirabiliter quasi

foecundabat commendabatque judicandi subtilitate, disserendi diligentiâ, scribendi ordine et elegantia. Criticeam autem sic instituit, ut quid magis admiremur dubitemus fere, interiorem Graecae Latinaeque linguae scientiam, an rerum peritiam et eruditionem, an vero judicium vel sensum potius veri acerrimum. Nam sponte proferre et quasi parere solebat emendationes, nec probabiles putabat, quae multis essent rationibus probandae et commendandae. Symbolum usurpabat, ut fecerat item Ruhnkenius:

ἅπλους γὰρ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ·

nec verum existimabat, nisi quod simplex esset et ipsius veri se commendaret lumine. Sed quae viri fuerint in Plutarchum et totam antiquitatem merita, nec te latet, Creuzere, nec hujus est loci diligentius explicare. Quod vero ab initio dixi, ingenio illum doctrinaque antiquum plane retulisse aevum, pluribus etiam persequi juvat. Nam per omne tempus, quo una fuimus et virum ego cognoscere interius studui, haud deprehendisse me memini, quod admirarer magis.

Reperiuntur multi literarum amantes, qui per totam vitam antiquos tractarunt auctores, et vero unum eorum alterumque ediderunt, nec tamen imbuti quodammodo videntur antiquitatis colore; quin sic de rebus vetustis et sermocinantur et scribunt etiam, ut solent fere de rebus suis et vulgaribus: homines haud inutiles quidem his literis, sed iidem nec idonei vetustatis interpretes nec critici dicendi: siquidem hoc nomine eos intelligimus, qui tum demum de rebus judicant et κρίσει utuntur, quum eas penitus et perspexerunt et persenserunt. Non enim sufficit, leetitasse haec omnia et tractasse: accedat oportet, quod haud scio an omnium sit difficillimum, studium antiquitatis interius, ut insinues te prorsus in ipsam antiqui aevi cogitandi, sentiendi, dicendi, philosophandi rationem: quod qui non fecerit, explicabit verborum dictionumque usum et significationem, ipsam auctoris sententiam et mentem non explicabit. Wyttenbachius ita se penitus insinuavit in antiquitatem, ut vivere videretur plane in mediis illis Graecis et Romanis. Adolescens jam, legendo Demosthene, in hujus et Philippi tempora se totum transtulerat. Quod ipse descripsit in praefatione *Selectorum*, imo rem proposuit oculis nostris. Video, inquit, Oratorem ardere, dolere, impetu ferri: incendor et ipse, eodemque motu auferor: altior fio, nec sum qui fueram: videor mihi Demosthenes ipse esse, stans in tribunali hanc orationem habere, Atheniensium concionem ad majorum virtutem et gloriam hortari. — Sed

in oratoribus legendis pariter versantur alii, quamquam non multi: paucissimi vero reperiuntur, qui sic legant philosophos antiquos. Vulgo enim homines recentioris philosophiae placita Socrati et Platoni obtrudunt, ut cogant hosce disceptare de spatio et tempore, de legibus ingenii humani, de ratione theoretica et practica. Quod non ita dico, quasi contemnens haec placita: multa continere videntur, quae antiquos latuerint plane et sint verissima: et esset saue perquam dolendum, si generis nostri in vero inquirendo nulla appareret progressio. Sed ut placita haecce ex nostra, ita antiqua illa ex antiqua philosophandi ratione unice illustranda sunt. Quod ni fecerimus, obscurabimus omnia, non illustrabimus, et apparebunt nobis antiqua illa absurda prorsus. Proavi nostri Homericos heroas in scena solebant spectare, non quales apud Homerum occurrunt, sed quales ipsi erant, indutos similibus vestimentis, simili pileo, ridiculâ formâ. Haud dispar negotium spectandum nobis praebent multi libri, qui hodieque feruntur. Cernimus in illis antiquitatem totam, philosophos in primis antiquos, ea specie, ut nobis videantur similes. Veruntamen quod scenici homines dudum mutarunt in arte sua, hoc nos in studiis nostris immutatum relinquemus? Si minus audire in scena, certe adspicere nobis videmur ipsum Achillem, ipsum Hectorem, ipsam Helenam, antiquo habitu: interpretes vero philosophiae sic loquentes pergent inducere Socratem, Platonem, Aristotelem, ut audire videamur non hosce, sed Cartesium, Leibnitium, Baconem?

Est vero hoc summa ope nitendum efficiendumque criticis, ut repudiato hoc habitu nostro, sua prodeant et simplicitate nativa et vero sublimitate philosophi antiqui: criticis, inquam, hoc agendum, quippe qui praestare caeteris judicio videntur, et omnium maxime verum a falso, rem a specie distinguere debent. Hoc autem ut dudum instituerunt maximi quique in his studiis viri, ita eo contendit per totam vitam Wyttenbachius: idemque has critices partes in primis censebat graves et necessarias. Refertur illa, aiebat, ad scripta veterum; sed pertinet item ad eorum res et opiniones i. e. mores, leges, instituta, artes, placita, politicam omnem et philosophiam, quae judicari explicarique ex antiquitatis ratione non minus debent, quam ipsa scripta. In utrisque autem illustrandis eâdem viâ progreditur critica. Ut scripta interpretetur, ex ipsa linguarum ratione voces et dictiones earumque varias significationes explicat. Qua in re excelluit Tib. Hemsterhusius et quotquot fuerunt divino

viro similes, qui, adhibito analogiae lumine, mirabiliter illustrarunt abditos quosque et linguae Graecae et Graecarum literarum recessus. Similiter versatur critica in rebus veterum et opinionibus interpretandis. Ex ipsa antiquitatis indole et repetit illas et declarat. Quod eloquenter commendavit Ernestus in celebratissima ad Stiglizium epistola, quam Ciceronis operibus praeposuit, digna sane, si quid aliud, tam illustri loco. Nec vero dispar est utriusque muneris cum propositum, tum propositi perficiendi ratio. Nam utrumque valet ad aevum antiquum, obscuratum nobis saeculi medii barbarie, quae nondum plane pulsa est, aperiendum et illustrandum: perficitur autem una eademque mentis facultate, quae in judicando cernitur, unde ipsa critica nomen habet. — Sic Wyttenbachium aliquoties audivi de critica disserentem, tum senem maxime, quum praelegissem ei memorabilem Brandis ad Heynium epistolam, quam hujus vitae inseruit Heerenus. Fatetur Brandes, Hemsterhusio se debuisse sensum studiumque Graecae venustatis: in aliis Academiis alios se ante audivisse literarum doctores, in quorum scholis frigeret plane: sed ut Leidam venisset et cognovisset Hemsterhusium, eumque de Graecis audivisset literis et publice disserentem et privatis secum sermonibus agentem: tum igitur incaluisse se de repente atque exarsisse antiquarum literarum amore, et primum percepisse *os divinum*, quod etiamnunc agnosceret in Homero et Plutarcho. — Quae postquam praelegeram seni, scilicet, mi Heusdi, inquit, haud erat Hemsterhusius ille, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι, neque etiam quales tunc erant multi. Integer ille et sincerus e prisci sanitate aevi prodierat, immunis a sui saeculi contagione: quod rarum semper fuit et singulare naturarum genus. Sic item Ruhnkenius, ut in ejus *vita* scripsi. Haud percipiunt *sonum divinum* in Homero, in Platone, in Plutarcho, quibus id maxime placet, quod novum est et praesentis temporis. Surdis sunt similes, qui judicare de musica audent. — Festive hos comparare solebat cum specus Platonici incolis, qui umbras rerum spectarent, res ignorarent, et inquirerent tamen in illas sedulo et diligenter. Et profecto, qui praesentis inclusus aevi angustiis, hinc existimare de antiquis sustinet, umbram is cernet antiquitatis, antiquitatem ignorabit. Quamobrem nec critici dicendi sunt, qui neglectis veterum scriptis, rivulos adeunt novitiorum, ut hinc cognoscere antiquitatem studeant: nec vero illi etiam, quamvis vulgo hoc nomine dicantur, qui studiose tractant veterum scripta, nec cessant tamen tempora eorum ad sui

saeculi conditionem exigere. Ipse vero vir summus criticam sic adhibuit et ad literas universe et ad historiam in primis philosophicam, ut non solum ex fontibus hauriret, ipsosque diligenter fontes grammatica ratione exploraret; sed indolem praesertim investigaret et linguarum et gentium antiquarum: hanc vere principium esse ratus, unde judicium omne de scriptis veterum et institutis et opinionibus unice esset instituendum. Sic ad interiorem pervenit antiquitatis scientiam, sic optimus exstitit antiquorum scriptorum interpres, quippe ipse plane antiquus factus: sic omnino, ut ipse pariter Platonice loquar, relictis in speluncae angustiis et tenebris, qui sequi vel nollent vel non possent, ipse inde escendit et in lucem prodiit antiquitatis.

Video epistolae me fines jam longe superasse; sed age, vir amicissime, semel his transitis, concedas mihi velim, ut pergam libere. Nam quod tandem argumentum nos magis jucundiusque teneat, quam magni viri et amici memoria, quem ambo coluimus, desideramus ambo?

Homo videbatur Wyttenbachius, ut hinc denuo ordiar, non sui saeculi, sed antiqui: quo fiebat, ut saepe cum eo colloquens de Platone, de Cicerone, de Homero, non esse mihi viderer, quo eram, loco, sed sive Athenis versari, sive in Piraeeo, sive in Tusculano, sive in beatis etiam Ioniae tractibus et insulis. Loca haec ejus menti sic erant veluti impressa et praesentia, ut adspiceret plane illa: et referebat ejus sermo temporum illorum urbanitatem, referebat, pellucidi amnis instar, coeli illius nitorem ac puritatem, quoties de pulcro et sublimi, de Homero et Platone loquebatur. Natum eum dixisses illo sub coelo et illic habitare. Sed quamvis hoc admirarentur priscae venustatis amantes, hac ipsa virtute accidit, ut in plurimorum reprehensionem incurreret, nec injustam illam prorsus. Nam nolunt homines, aequales suos alieno vivere tempore: dicunt, suo quemque aevo vivere oportere: hoc fecisse antiquos, Socratem, Periclem, Caesarem, Ciceronem: quorum nobis, et literatis maxime viris, exemplum sit imitandum. Nec nego, Wyttenbachium hoc studio antiquitatis ductum, crebrius fere ac diutius in museum se suum et antiquum orbem recepisse, quam acceptum esset omnibus, qui ejus frui consuetudine et sermonibus cuperent. Fateor item, factum sic videri, ut hodiernos et mores et homines cum antiquis fere comparans, aegre illos subinde tulerit et severius nonnunquam judicaverit. Fateor, nam quid dissimulemus? fateor, vitam istam solitariam attulisse ei identidem moro-

sitatem quandam, ipsi quidem naturâ non propriam, sed quae efficeret tamen, ut acerbius subinde in viros etiam inveherctur non contemnendos. Homo erat, quem amicum coluimus, Creuzere, non perfecta natura. Quod autem antiquos loquuntur, quos imitari debuisset Wyttenbachius, imitatus est Ciceronem suum, ut modo memoravi, qui nulla non opportunitate in Graeciam excurrebat et vivere sibi maxime tum videbatur, quum maxime se transtulerat in Socratis et Platonis tempora. Sic optimi quique Romanorum literati et philosophi, illi omnino, qui literis colendis et patriae et posteris et nobis etiam praeclare consuluerunt. Sed quamvis Wyttenbachius non is csset sive naturâ sive vitae consuetudine, ut lubens in circulis et conviviis horas suas transigeret, sed mallet vel domi vel ruri degustare antiqui suavitatem aevi, haud tamen sibi vivebat soli. Hospites, confiteor, non omnes ei grati erant et accepti: vanos homines et ventosos, quique hac una de caussa venirent, ut ipsi demonstrarent, quanti scilicet essent viri, hos ita non poterat ferre, ut eos, si licuisset, aedibus suis exclusisset in perpetnum. Sed quotquot cum judicio et rerum scientia modestiam afferrent et humanitatem, hos ipse et perhumaniter excipiebat et juvare omni officiorum genere studebat. Amicos habuit paucos: nisi quis hoc nomine dicat fautores, admiratores, cultores, vel etiam quibus ipse bene vellet et prodesse studeret: hos habebat per totam Europam numero ferme infinitos: sed quos *amicos* vocabat suos, praesertim quibuscum *juvenilis* eum aetas, una illa maxime ad contrahendam amicitiam apta, conjunxerat, horum amicitiam et sancte coluit et constanter ad extremum vitae finem. In quibus censebat et alios et Boschium suum et Parisienses amicos Villoisonum, Sanctocrucium, Larcherum: qui quanti eum facerent, quam eum vicissim diligerent, ipse sum expertus, quum juvenis venirem Lutetiam eosque salutarem. Amplectebantur me continuo, quamvis ignotum ipsis, et *suum* vocabant sponte, ut discipulum me esse cognoverant Wyttenbachii sui. Sed tibi quid narro, Creuzere, quo ille fuerit in amicos animo, quem in paucis, quos diligebat, amicis insigni habuit loco? Mihi autem cum alias patuit haec ejus caritas in te et amicitia, tum illo praesertim tempore, quum tu ipsi collega datus dicam, an ostensus? mox valetudinis coactus necessitate, reditum parares Heidelbergam. Sed nolim renovare dolorem acerbum, quem optimis quibusque maxime attulit discessus ille tuus. Ille quidem *ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ* te dimisit, quippe id optans maxime, quod tibi esset salutare: et nos

omnes dolentes, sed simul εὐφημοῦντες, tibique bene cupientes, revertentem prosecuti sumus: nec vero me decet aegre ferre, quod tibi et literis profuisse ipse modo Heidelbergae cognovi. Nam sic te florere vidi favore omnium et fama, ut, quamvis mei patriaeque caussa dolerem, tibi banc ex animo gratularer singularem vitae felicitatem. Sed pergo narrare de Wyttenbachio nostro, qualis in alios fuerit, in primis in discipulos suos. Tantum ille aberat, ut sibi viveret soli, ut magis etiam et his et amicis vivere videretur. Cujus rei et ego sum testis et omnes sunt, qui mecum ex optimi viri prodierunt disciplina: testis discipulorum veterrimus, Weselius Scholtenus, jureconsultorum literatissimus, qui adolescens cum eo in Helvetiam iter fecit et etiamnunc narrare orsus de viri in ipsum meritis cum in itinere illo, tum in scholis omnibus literariis et philosophicis, nec ipse reperit narrandi finem et nos tenet perpetuo quodam suavissimae orationis flumine.

Rusticari apud illum identidem solebat unus alterve discipulorum, quem magni faceret: uam rus amabat, ut Xenophon, ut Cicero, ut Horatius, ut multi antiquorum. Crebro hujus usurpabat illud et in se villamque suam accommodabat:

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquae fons,
Et paullum sylvae super his foret —

quod jucundis subinde sermonibus ansam praebebat. Ruri, inquit, legere oportet Horatium, non solum in urbis et bibliothecae angustiis et tenebris: maxime autem oportet in ipsa Italia et in ipsius villa. Et hoc fuit in votis, nec tamen expletum, et alia fuerunt. Villoisonum meum beatum praedicare solebam, qui in Attica legisset Demosthenem et Platonem; sed illi hoc contigit, non mihi: et me nunc beatum praedico, cui feriae contingant et otia gratissima, quibus huc me recipiam, in hunc agri modum, non ita magnum, non Tusculanum aliquod aut Cumanum, sed tamen ὀλίγον τε φίλον τε,

auctius atque
Di melius fecere: bene est: nil amplius oro,

ubi naturae fruar integritate et serenitate. Quis enim antiquos illos cum voluptate legat, qui semper continctur urbis et auditorii claustris? Quis intus animo naturae percipiat descriptiones, quales apud Horatium, Virgilium, Homerum occurrunt, nisi prodeat subinde et excurrat in mediam

rerum naturam? Orientis solis descriptionem Homericam quis potest intelligere, qui intra moenia perpetuo et parietes latuit, et expers est magnificentissimi spectaculi? Hic versus poëtae:

Ἠὼς δ' ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο
Ὤρνυθ', ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι ἠδὲ βροτοῖσιν·

et alia similia inter ambulandum recitabat, voce quidem non canora, sed illo et sensu et affectu, ut penitus moveret audientes atque in admirationem raperet Homeri, Horatii, antiquorum. Sic rusticabatur nobiscum. Nam prodesse discipulis in scholis non tantum studebat, sed in familiari maxime vitae consuetudine, ut quavis opportunitate animos eorum imbueret sensibus sublimibus: quod iis vehementer placebat. Itaque erant, postremâ quidem viri aetate, qui in ejus vicinia sive villulam seu aliud quodlibet receptaculum quaererent, ubi ferias transigerent, ut nempe, quoad possent ac liceret, a senis latere non discederent. Etenim diligebat discipulos suos et sic ab iis diligebatur vicissim. Nam verissime antiqui: *si vis amari, ama.* Hac ille fuit in amicos fide, hac in discipulos benivolentia et vero caritate: et miraberis, Creuzere, nos, mortuo viro, sic omnes animis affectos fuisse, acsi communi essemus parente et amico orbati?

Ergo, ut illuc revertar, recesserit fere Wyttenbachius ab hominum usu et transtulerit se in tempora vetusta, praesentibus tamen temporibus haud mediocriter consulebat. Quod enim munus, ut ait Cicero, reipublicae afferre majus meliusque possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem? Hac autem in re ipsi cum Cicerone plane conveniebat. Haud frustra ille Athenis morabatur et repetebat Academiam, *ubi hortuli illi vicini ipsum videbantur Platonem in ejus conspectu ponere.* Id effecerunt excursus illi in Graeciam et in Academiae *non sine caussa nobilitata spatia*, ut unus omnium Romanorum maxime populum erudiret Romanum, imbueretque generosissimos quosque juvenes Graecis literis, philosophia, studio Platonis. Haud quidem primus fuit Wyttenbachius, qui id instituerct in regionibus hisce. Nam ut ante Scaliger, ita postea Hemsterhusius, quique horum erant simillimi, Graecis literis excolere Batavos studuerunt. Sed horum nemo fuisse videtur, qui id studeret perficeretque efficacius. Lucebant praeclare excellentia haec ingenia, sed ita lucebant fere, ut eorum lumen adverteret paucos, caeteri pergerent in tenebris suis et barbarie versari. Exortum vero est Wyttenbachii aetate novum quoddam jureconsultorum et vero theologorum genus, humanum,

cultum, literis perpolitum, quibuscum lubentius aliquis hodie de Cicerone, de Virgilio, de Horatio, de Xenophonte et Platone colloquatur, quam illis temporibus cum doctis ac literatis plerisque. Nolim hoc idem tribuere soli Wyttenbachio. Fuerunt alii, quorum institutio eo valeret quam plurimum: Groningae Rhoerius et Ruardi, Wassenbergius Franequerae, tum vero Leidae Luzacius, e cujus schola cum alii prodierunt praeclari literarum doctores, tum Sluiterus meus, ipso, eheu! aetatis flore acerbo nobis fato ereptus! Et ipsa profecto commutata sunt tempora: quaeque in Batavia cernitur humanitatis progressio, eandem et alibi et in tua, Creuzere, quam illustras, Germania animadvertimus. Sed hanc apud nos progressionem unus omnium maxime provexit acceleravitque Wyttenbachius. Quum ego ante hos duodetriginta annos Amstelodamum venirem, mirabatur vir summus, adire ipsum adolescentem Platonis legendi cupidum. Nunc in Academiis nostris et Athenaeis non tantum lectiones habentur Platonicae, frequentes discentium numero, sed jungunt etiam sua sponte juvenes sodalitia, in quibus Platonem legant secum invicem et interpretentur. Eduntur identidem specimina literaria, cum alia de antiquis scriptoribus et historiae philosophicae argumentis, tum Platonica, quae conscripta a tironibus, veteranis haud videantur indigna. Auctores autem habent discipulos fere eorum, qui ipsi fuerunt Wyttenbachii discipuli, ut, quae novissime prodiit, eximia illa Groenii Prosopographia Platonica. Fuerunt omnino ante Wyttenbachium et orti sunt ejus aetate, qui humanitati in hisce terris eximie prodessent, sed studium philosophiae Socraticae, studium Platonis et Ciceronis, studium in primis historiae philosophicae, qui hoc excitaret, unus repertus est Wyttenbachius. Idem autem illud quantum valeat ad nulla non doctorum hominum genera erudienda et excolenda, cum philosophiae ubertas docet, tum comprobat exemplum Ciceronis.

Haec habui, praestantissime Creuzere, quae de Wyttenbachio meo, imo nostro, ad te perscriberem. In quibus desiderabis cum alia multa, tum illam orationis vim et copiam, quae tanto celebrando viro par sit et accommodata. Ego autem non elogium scribere Wyttenbachii aggressus sum; sed narravi simpliciter, quae te putabam de communi amico nostro, meo autem doctore et duce in his literis, lubenter esse accepturum. Neque etiam suscepi, ut, quibus moribus fuerit vir eximius, quibus animi sensibus excelsis de rebus divinis et humanis, adumbrare tentarem. Una

id potuit peragere et peregit praeclare Wyttenbachia, aetatis illa nostrae Diotime, juncta olim viro arctissima necessitudine, et digna quae coleretur ab aetatis suae Socrate. Mihi unice explendum erat pietatis officium, quo nullum habeo sanctius, ut recolerem cum viro amicissimo desideratissimi praeceptoris memoriam, tum vero grati sensum animi cum scribendo effunderem, tum palam declararem. Quamobrem da mihi hanc veniam, Creuzere, ut epistolam hanc et edam publice et *Initiis* hisce *philosophiae Platonicae*, dedicationis loco, praemittam. Etenim ut voluntatem erga me tuam declarasti, inscribenda meo nomini tua Procli editione, ita cupio vehementer, ut meae pariter et observantiae in te et amicitiae monumentum exstet. Tu vero, vir praestantissime mihique carissime, sic perge et literis operam navare et me amare, ut adhuc fecisti, tibique de me persuadeas, in omnibus, qui tecum junguntur communi Platonis amore, neminem esse qui te et Platonem amet magis et admiretur. Vale. Scripsi Trajecti Batavorum m. Jan. a. 1825.

Ex hoc igitur Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio.

CICERO.

DE PHILOSOPHIA.

PROOEMIUM IN PHILOSOPHIAM PLATONICAM.

Philosophia tametsi a cultissimo quoque populo maxime et culta sit et celebrata, tamen omni aevo vituperatores habuit et adversarios gravissimos. Vocarunt eam multi argutiarum et inanium contentionum matrem. Fuerunt alii, qui moribus eam et humanae felicitati perniciosam dicerent, utpote religionis omnis et germanae virtutis fundamenta labefactantem. Exorti sunt item, qui accuratas, quae vocantur, doctrinas unice admirantes, vix dignam eam haberent, quam serio impugnarent, contemnerent vero et riderent, ut doctrinarum omnium levissimam, quippe quae singulis fere aetatibus aliâ prodiret et novâ specie. Quarum reprehensionum si caussas quaerimus, haud profecto positas illas reperiemus in ipsa philosophia, sed in hominum unice errore, qui confunderent philosophiam cum philosophorum sive argutiis sive impiis cavillationibus, nec vero, quid ipsa esset quamque late pateret, apte perspicerent. Vulgo enim dici haberique solet doctrina sive *scientia*, e principiis quibusdam accurate definitis ducta et explicita. Qualis si habenda sit philosophia, idem sane ei evenire debeat, quod nullis non doctrinis, quantumvis accuratis, evenire solet, ut, labefactatis principiis, ipsa corruat. At vero si antiquos, si Platonem audimus, non scientia illa habenda est, sed studium scientiae, non doctrina, sed doctrinarum omnium et maximarum artium procreatrix: tantumque abest, ut vana sit et incerta, ut fluctuantibus et corruentibus per saeculorum decursum philosophorum opinionibus et doctrinis, ipsa tamen integra maneat et immutabilis. Ope-

rae pretium est, Platonicam hancce philosophiae notionem, in hoc ipso disquisitionis nostrae introitu, diligentius explicare. 1)

Philosophia, de veterum sententia, amor est cognoscendi, sapientiae studium.

Quae hodieque est vulgaris de philosophia opinio, eadem apud Graecos et pristino tempore fuit et rediit deteriore saeculo. *Sapientes* primum appellari solebant, quicunque rebus cognoscendis sublimioribus studebant. Quo nomine doctrinarum significabatur peritia, quae vel naturae spectabant indagationem vel hominum vitam. His tractandis qui famam apud aequales consecuti erant, earum videbantur *scientiâ* excellere et *sapientum* nomine celebrabantur. Nec vero postea defuerunt, aevo in primis Alexandrino et Romano, qui, quamvis meliora edocti, antiquum tamen morem usurparent ac philosophiam vocarent rerum divinarum et humanarum scientiam. Quod magni etiam viri admiserunt, ipse adeo geographorum princeps, idemque philosophus, Strabo: 2) nec dubitavit subinde Seneca, quae Stoicorum erat temeritas, philosophos appellare *sapientes*. 3)

Quodsi ea respicimus tempora, quibus floruit apud Graecos philosophia et viguit maxime, his eam reperiemus accurate a rerum scientia et doctrinae ratione distinctam. Primus veluti signum sustulit Pythagoras, reconditae vir doctrinae, nec ulli sapientum, qui sic appellabantur, sapientiâ cedens: qui aliis concedens et nomen σοφοῦ et honorem, sibi

---

1) Loca de hoc argumento classica sunt *Phaedr.* 276 A. sqq. *Phaed.* 64. A. sqq. *de Rep.* VI. VII. *Gorg.* 482 A. sqq. *Theaet.* 172. C. sqq. *Amat.* 133. C. sqq. *Epist.* VII. 340 B. Doctrinam Platonis *universam* exposuerunt *Cicero*, Acad. I. 4-10. *Diog. Laert.* III. 1. 67-109. *Alcinoüs*, εἰς τὰ τοῦ Πλάτωνος δόγματα εἰσαγωγή (Plat. Diall. cur. *Fischer.* Vol. I.) *Apulejus*, de habitudine doctrinarum et nativ. Platonis: *partim* alii, deinceps nobis laudandi. De recentioribus *v. Buhle*, Lehrbuch der Geschichte der Philos. II. init. et *Tennemann*, System der Plat. Phil. Vorr. p. 28. Principes sunt cum hi ipsi Platon. philos. Intpp., tum *Wyttenb.* Oposc. I. 392. 571 sqq., in primis ad Phaedonem. *Creuzer*, Praep. et annot. ad Plotin. de pulcr. *Schleiermacher*, Platons Werke. Einleit. Porro *Meiners*, Gesch. d. Wiss. in Gr. u. Rom. 1783. II. 683 sqq. *Eberhard*, über den Zweck der Phil. des Plato. (*Verm. Schr.* 1788.) *Schulze*, de summo sec. Platonem philosophiae fine 1789. *Tiedemann*, Argum. diall. Plat. 1786. et Geist d. spec. Philos. 1791. II. 63. sqq. *Morgenstern*, Comm. tres de Rep. Plat. 1794. *Herbart*, de Plat. Syst. fundam. 1805. *Ritter*, Gesch. d. Philos. 1830. II. 179 sqq. *C. F. Hermann*, Gesch. und Syst. der Plat. Philos. 1838. Tum commentatores Plat., maxime *Wolf*, *Böckh*, *Buttmann*, *Ast*, *Stallbaum*, alii, quos deinceps memorabimus.

2) *Geogr.* init. ἤτε πολυμάθεια — οὐκ ἄλλου τινός ἐστιν, ἢ τοῦ τὰ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἐπιβλέποντος ὧνπερ τὴν φιλοσοφίαν ἐπιστήμην φασίν.

3) v. c. *De const. sapientis* init.

ipse modestam expetiit *φιλοσόφου* appellationem. Cujus exemplum cum ultro sequerentur, quotquot ex ejus schola prodibant et per universam Graeciam dispergebantur praestantissimi viri, horum factum est auctoritate, ut sapientibus, qui celebrabantur, ubivis succederent philosophi. Esse autem cum nominis novitate novam conjunctam philosophandi rationem, ut significaverat Pythagoras, ita suo deinde exemplo probavit Socrates. Is incredibili ductus discendi amore, tantum se abesse a sapientia et rerum scientia profitebatur, ut nihil se scire diceret, nisi hoc unum, nihil se scire. Qua sane sententia haud esse videtur, quae verum philosophum deceat magis: modo recte accipiatur. In rebus enim gravioribus tractandis cavendum id maxime est, ne quid tanquam verum sic statuamus, nullus ut relinquatur dubitationi et perquisitioni locus. Hoc enim sapientiae est munus, cujus haud capax est natura humana. Sed inquirere in res omnes, ut earum ignarum prorsus, neque inquirendo cessare unquam, quippe nunquam explentem penitus acerrimum discendi perquirendique studium: hoc demum philosophi est, idemque humanae menti unice congruum.

Simplicem illam et veram philosophandi rationem ut primum percepit, ita continuo amplexatus est Pythagoreorum amicus et princeps Socraticorum, Plato. Hic autem, quod unice probabat, id scriptis item suis expressit et declaravit. Ubivis in iis occurrunt *φιλόσοφοι*, ut *φιλομαθεῖς*, *discendi cupidi*, *sapientiae amantes*, et ipsa haec nomina permutantur saepenumero. 1) Amorem contendit in Symposio Diotime *φιλόσοφον* esse, quippe nec *σοφὸν*, nec *ἀμαθῆ*, sed sapientiae studiosum. 2) Sapientiam in Phaedro Socrates Deo tribuendam censet, sed homini sapientiae scientiaeque studium. *Τὸ μὲν σοφόν, ὦ Φαῖδρε, καλεῖν (αὐτὸν) ἔμοιγε μέγα εἶναι δοκεῖ, καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν· τὸ δὲ ἢ φιλόσοφον ἢ τοιοῦτόν τι, μᾶλλόν τε ἂν αὐτῷ ἁρμόττοι καὶ ἐμμελεστέρως ἔχοι.* 3) Is autem maxime philosophus dicendus est, qui maxime flagrat discendi ardore. *Τὸν δὲ δὴ εὐχερῶς ἐθέλοντα παντὸς μαθήματος γεύεσθαι, καὶ ἀσμένως ἐπὶ τὸ μανθάνειν ἰόντα, καὶ ἀπλήστως ἔχοντα, τοῦτον δ' ἐν δίκῃ φήσομεν φιλόσοφον.* 4) Nec vero temere dicamus, post Socratem et Platonem hanc universe invaluisse opinionem, ut a *sapientia* distingueretur *philosophia*. Philosophiam dicit Cicero nil aliud esse, nisi studium sapientiae. «*Sapientia*, inquit, a cujus

---

1) *Φιλόσοφος τὴν φύσιν — τό γε φιλομαθὲς καὶ φιλόσοφον ταὐτόν.* *De Rep.* II. 375. E. 376. B. Vid. Wyttenb. *ad Phaedon.* p. 217.

2) *Φρονήσεως ἐπιθυμητὴς καὶ πόριμος, φιλοσοφῶν διὰ παντὸς τοῦ βίου.* *Symp.* 203. D.

3) *Phaedr.* 278. D. Cf. *Apol. S.* 23. A.

4) *De Rep.* V. 475. C. Cf. VI. 485. B.

amore Graeco verbo *philosophia* nomen invenit.» 1) Confuderunt fere Stoici cum sapiente philosophum, ut paullo ante attigimus: sed hoc a Pythagora et Socrate retinuerunt, ut philosophiam definirent: *τὴν μὲν σοφίαν εἶναι θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων ἐπιστήμην· τὴν δὲ φιλοσοφίαν ἄσκησιν τέχνης ἐπιτηδείου.* 2) Itaque Seneca: «sapientia perfectum bonum est mentis humanae: philosophia sapientiae amor est et affectatio.» 3) Rite igitur Alcinoüs in explicanda Platonis doctrina, quamvis in ceteris plerisque a mente Platonis discedens, *φιλοσοφία ἐστὶν ὄρεξις σοφίας.* 4) Quae nativa philosophiae notio haud latuit doctissimum Patrum, Clementem Alexandrinum: *φιλοσοφία δέ, ἥ φασιν οἱ πρεσβύτεροι, πολυχρόνιός ἐστι συμβουλή, σοφίας ἀΐδιον μνηστευομένη ἔρωτα.* 5) Ad quem locum apponunt interpretes Philonis sententiam, ubi de contemplatione dicit: *ἀφ᾽ ἧς πληχθεὶς ὁ νοῦς, ἔρωτα καὶ πόθον ἔσχε τῆς τούτων ἐπιστήμης· ὅθεν τὸ φιλοσοφίας ἀνεβλάστησε γένος.* 6) Fluxerunt haec omnia e Pythagorae ratione, ut patet e sermone, quem habuisse aliquando cum Leonte fertur. 7) Nec tamen ille rem ita expressit, ut fecerunt deinde Socrates et Plato. Artem se scire nullam fatebatur, sed esse *philosophum.* Philosophos autem cum iis comparans, qui ludos adirent *visendi* caussa, ipsi vero nec plausum nec lucrum quaererent, vitam magis *contemplativam*, quam insatiabile illud discendi perquirendique studium significabat.

Apud veteres philosophia non doctrina est, sed parens et procreatrix doctrinarum.

Et hinc quidem intelligitur, quid spectaverint antiqui, quum philosophiam vocarent non doctrinam, sed doctrinarum omnium parentem. Quod apud Ciceronem occurrit maxime. »Neque enim te fugit, artium omnium laudatarum procreatricem quandam et quasi parentem eam, quam *φιλοσοφίαν* Graeci vocant, ab hominibus doctissimis judicari.» 8) Scilicet philosophiam antiqui non *objective*, ut vulgo loquuntur, de re tractanda, sed *subjective* de rei tractandae studio, nec solum de hoc studio, sed etiam de ejus vi et effectibus accipere solebant. Quamobrem cum *studium* haberetur philosophia discendi, explorandi, perquirendi,

1) *De Legg.* I. 22.
2) Plut. *de plac. phil.* init.
3) *Ep.* 89.
4) C. I.
5) *Protrept.* XI. 112. p. 87.
6) *De mundi opif.* I. p. 50. Pfeiffer.
7) *Tusc. Q.* V. 3.
8) *De Orat.* I. 3.

quod nil non complecteretur scitu dignum, ita fons esse existimabatur uberrimus, e quo artes omnes et disciplinae manarent. Itaque Cicero de germanis philosophis: «ad Academicos et Peripateticos veteres converte te, quaeso. Ex eorum enim scriptis et institutis cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores ac rerum publicarum principes exstiterunt: ut ad minora veniam, mathematici, poëtae, musici, medici denique ex *hac tanquam ex omnium artium officina* profecti sunt.» 1) Et vero Strabo, quamvis haud improbans eorum consuetudinem, qui philosophiam vocarent rerum divinarum et humanarum *scientiam*, tamen, in praeclaro illo operis exordio, hoc maxime egit, ut ubertatem praedicaret philosophiae, ipsam adeo geographiam ex ea effloruisse demonstraret.

Hoc autem indagandi cognoscendique studium in scriptis Platonis dominatur plane. Haud condere conatur doctrinam quandam sive systema, quod nos vocamus, sed Socratem et alios sic inducit res gravissimas perquirentes et investigantes, ut dicas subinde, hac eum disquisitione contentum fuisse. Instituit longas subinde de *sancto*, de *temperantia*, de *scientia* disputationes, 2) quibus tamen, in dialogi cujusque fine, quid singula sint, non efficitur. In aliis scriptis propositum argumentum apte explicat, 3) sed ita hoc fere peragitur, ut distinguendo disquirendoque eo perveniatur. Protulit omnino scribendo opiniones suas de rebus divinis et humanis, imo probavit eas et ab adversariorum opinionibus defendit, sed, in hac ipsa quoque defensione, Socratica fere usus est disquirendi ratione.

Quo potissimum apud veteres spectabat philosophia?

Quaeri fere solet, quod tandem sit *propositum*, quis *finis* philosophiae. Quae sane quaestio haud facilis est ad explicandum, si varias respicimus philosophorum doctrinas, in primis recentiorum. Aliae enim alio referuntur, atque ita se habent nonnullae, ut quid spectarent ipsi auctores, ignorasse videantur. Quo fit, ut vanum a multis et inutile habeatur philosophiae studium. Quodsi philosophia secundum antiquorum effatum *studium* est et *amor cognoscendi*, non est quod de ejus proposito dubitemus. Refertur ita ad verum cognoscendum, cujus innatum est homini incredibile studium; dux est ad sapientiam, qua nihil possumus praeclarius appetere: est omnino ejusmodi, ut eam colere decus summum, eam despicere summum dedecus putandum sit. Verum enim in hac rerum uni-

1) *De Fin.* V. 3.

2) In *Euthyphrone*, *Charmide*, *Theaeteto*.

3) De justitia v. c. in *Politia*.

versarum disquisitione, habet tamen, Socrate judice, quod unum maxime diligentissimeque indaget. Nam cum latissime pateat cognoscendi amor, nec minus inquirant mortales, quid in altis coeli tractibus, quam quid in his terris ipsorumque animis geratur, et vero illis maxime indagandis sapientiam censeant, Socrates philosophiam coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Quo non utilius tantum, ut vulgo putatur, hominumque vitae accommodatius, sed reapse *sublimius* esse coepit philosophiae propositum. Nam pertinuit ita ad animum cognoscendum, sive, ut nos loqui solemus, ad cognoscendum *hominem*, ejusque explorandas divinas ingenii animique facultates. Quin eo spectavit maxime, ut excoleremus nosmetipsos, ad summam perveniremus virtutem et sic accederemus ad perfectionem divinam. Sed praeclarum hoc philosophiae propositum ipsius nobis declarandum est Platonis sententiis. Is enim quod Socrates, et ante Socratem Pythagorei aliique obscurius prodiderant, magisque in usum adhibuerant quam declaraverant verbis, clara in luce posuit. Nec quisquam facile antiquorum cum interius sensit vim philosophiae, tum explicuit disertius. Quamobrem paullo fusius hac de re agere juvat. Hic nimirum aditus est, per quem, tanquam per atrium quoddam augustum, in sacra procedamus philosophi penetralia.

Initium philosophiae est *admiratio:* hinc enim exsistit cognoscendi cupido. Miratur Theaetetus in cognomine dialogo, quae a Socrate dicta sunt: imo vero, ait, haec subinde respiciens, capitis mihi videor vertigine laborare. Tum Socrates: *Θεόδωρος γάρ, ὦ φίλε, φαίνεται οὐ κακῶς τοπάζειν περὶ τῆς φύσεώς σου· μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν· οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη· καὶ ἔοικεν ὁ τὴν Ἶριν Θαύμαντος ἔκγονον φήσας, οὐ κακῶς γενεαλογεῖν.* 1) Cognoscendi autem illa cupido, quae ex admiratione oritur, ut vocatur fere, ita est reapse *amor* aliquis. Amat philosophus sapientiam, ut amasium suum, imo sic colit amasium, ut ejus amore ad sapientiam perveniat. 2) Ita amoris apud Platonem arctissima est cum philosophia cognatio: unde philosophi in ejus scriptis non solum *φιλομαθεῖς*, sed etiam *φιλοκάλοι* et *ἐρωτικοὶ* appellantur. 3) Abhorrent haec sane a nostra philosophandi ratione, sed eo sunt nobis magis animadvertenda, eoque erit diligentius dein de coelesti amore disquirendum. Sponte sic oritur in hominum animo philosophia et dicitur illa nonnullis *naturâ*

1) *Theaet.* 155. D. Aristot. *Metaph.* I. 2. *διὰ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν.* — Hinc *φιλοσοφίας ἀρχὴ τὸ θαῦμα* apud Olympiod. *in Alcib.* p. 24. et apud Procl. *in Alcib.* p. 42, 61 et 164.

2) *Phaedr.* 252. *De Rep.* V. 474. Itaque *συνεργὸς* dicitur *ὁ ἔρως εἰς φιλοσοφίαν.* Vid. Procl. *in Alcib.* p. 61.

3) v. c. *Phaedr.* 248. D.

propria. De Isocrate juvene praeclare vaticinatur in Phaedro Socrates: nam inesse ei naturâ dicit philosophiam quandam: *φύσει γὰρ, ὦ φίλε, ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ.* 1) Et universe de animo dicit, si, qualis sit, cognoscere velimus, respiciendam esse ejus philosophiam. 2) Sed ut sponte exsistit in homine philosophia, ita haec et ipsum erudit et vim habet maximam ad alios excolendos. Itaque frequentissime apud Platonem occurrit ut *παιδεία*, 3) *institutio* quaedam, qua erudiatur a teneris homo et excolatur, artibus adhibitis, in primis musica: unde *μουσικοὺς* subinde vocat philosophos. Huic autem institutioni tanquam princeps tribuit munus, ut oculum aperiat mentis, quo uno veritas conspicitur. Quod variis expressit declaravitque comparationibus. Somno confert praesentem hominis conditionem, e quo eum excitat *philosophia*, ut desinat somniare, verum intueri incipiat. In tenebris nos vivere dicit, in quibus coecorum instar progredi nitamur, sed oberremus perpetuo: donec *philosophia* nos eduxerit ad lumen veritatis. Conversos nos esse dicit ad rerum umbras et simulacra inania; *philosophiam* vero ab iis nos avertere et re vera convertere ad res ipsas, ad ideas, ad pulcrum, bonum, justum, sanctum. 4) *Philosophiam* esse statuit totius hominis conversionem ab iis, quae videntur, ad ea, quae sunt. Ut ex orco dicuntur nonnulli ad Deos escendisse, ita, quae vere dicitur, *philosophia* non *ὀστράκου* erit *περιστροφὴ, ἀλλὰ ψυχῆς περιαγωγή ἐκ νυκτερινῆς τινος ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν τὴν ὄντως οὖσαν, ἣν δὴ ἐπάνοδον φιλοσοφίαν ἀληθῆ φήσομεν εἶναι.* 5) Ex hisce philosophiae notionibus implicitis en involutis explicabit se in proximis disputationibus tota, ut speramus, Platonis philosophia. Sed hoc loco animadvertamus praesertim, occurrere apud eum philosophiam subinde, ut *κάθαρσιν*, ut animi humani *initiationem* quandam.

Eo pertinebant antiquitus mysteria, ut quis, sordibus purgatus omnibus, sic ad sacra accederet interiora. Ita philosophia praeparat animos ad intuenda veri mysteria. Nam ipsa est *κάθαρσις*, ut animus, sordibus purgatus sensuum et voluptatum, intaminatam spectet veritatem. Quod vaticinati videntur mysteriorum auctores, cum dicerent, eos, qui non initiati in inferos descenderent, in luto provolutum iri: qui vero rite

---

1) *Phaedr.* 279. A.

2) *De Rep.* X. 611. E.

3) Junguntur saepe *παιδεία* et *φιλοσοφία*, v. c. *De Rep.* VI. 498. B. *Epist.* VII. 328. A. Cf. Xenoph. *Mem.* IV. 2. 23. In ipsa philosophiae reprehensione haec ejus notio dominatur apud Plat. *Gorg.* 484. 485.

4) *De Rep.* VI. VII. passim.

5) *De Rep.* VII. 521. C. ex *Astii* emendatione. (Praestat fortasse legere: *εἰς ἀληθινὴν τοῦ ὄντος* (sc. *ἡμέραν*) *ἐπανιούσης, ἣν δὴ ἐπάνοδον.* — Nam *ὄντως οὖσαν* videtur glossa ad *ἀληθινός.* Ed.)

purgati initiatique eo venirent, hos cum Diis habitaturos. *Ουτοι δ' εἰσὶ, κατὰ τὴν ἐμὴν δόξαν, οὐκ ἄλλοι ἢ οἱ πεφιλοσοφηκότες ὀρθῶς. Hi autem sunt, me judice, non alii, quam qui rite sunt philosophati.* 1) Haec philosophiae notio, ut ubivis in Phaedone, ita maxime in Symposio exprimitur, ubi sermo Diotimae de pulcro et amore, quo progressus describitur animi ad ipsum cognoscendum intuendumque pulcrum, totus ille sermo viam sequitur et rationem mysteriorum. Nam expositis, quae primum sunt agenda in parvis quasi mysteriis, ad majora deinceps et *τὰ ἐποπτικὰ* procedit. 2)

Abest igitur multum, ut doctrina sit quaedam philosophia aut scientia, quam quis ediscat. Totum commutat hominem, convertit eum a rebus abjectis et humilibus ad sublimia omnia, efficit, ut initietur mysteriis omnium maximis, et, qui mysteriorum est effectus, novam veluti vitam ingrediatur. Haec est, quam Plato significavit, *philosophia*, quamque vere vocabat *τὴν θείαν φιλοσοφίαν.* 3)

Hic dicat fortasse aliquis: esto, alia est haec philosophia, alia, quae vulgo dicitur; et placet mirifice studium illud cognoscendi, quod naturâ videtur philosophiae privum esse et proprium, sed displicent imagines, displicent mystica illa: sunt, credo, perquam sublimia, sed inutilia sunt, ut mysticorum hominum somnia. — Et sic quidem multi existimarunt, qui haud distinguerent Platonis philosophiam a philosophia Neoplatonicorum. Horum scripta diligenter sane omnibus sunt tractanda, qui operam navare Platonis et scriptis et placitis cupiunt. 4) Sed summa huic rei prudentia adhibenda est. Nam accommodarunt illi Platonem ad suam sentiendi cogitandique rationem, quo fit, ut, qui ex illorum scriptis Platonicam assequi philosophiam studeant, nebulam, ut ajunt, pro Junone amplectantur. Nobis autem id unum est propositum in disquisitionibus hisce, ut Platonicam rationem, quoad ejus fieri possit, puram sinceramque lectoribus proponamus. Quod igitur reprehendunt quidam comparationes philosophiae et imagines, quas commemoravimus, mysticae sunt illae apud Neoplatonicos, sed apud Platonem sunt *poëticae*, ut ipsa antiquitus apud Graecos mysteria poeseos habebant gratiam et sublimitatem. Nec vero Plato, ut illi fecerunt, res divinas et humanas temere confudit et commiscuit: quo factum postea, ut negligerentur plane humanae. Philosophiam uti vocavit, ita etiam excoluit,

1) *Phaed.* 69. C.

2) V. *Procl.* ad Alcib. p. 5. 9. 61. *Creuz.* Praep. ad Plot. de pulcr. CVII. CXI. *Wyttenb.* ad Phaed. p. 134. sqq. *De Gelder* ad Theon. Smyrn. p. 123.

3) *Phaedr.* 239. B.

4) Probavit hoc egregie Creuzerus in praep. et annot. ad libr. Plotini de pulcrit.: idque tum maxime patebit, quando ediderit vir summus historiam Platonicae philosophiae recentiorem, cujus nobis spem fecit *Init. Phil. et Theol. Plat. III.* Praef.

tanquam *institutionem hominis*. Retulit eam continuo ad vitae usum, ut artibus et disciplinis excoleretur homo, et musicae studio ad musicae quasi harmoniam componeretur: unde ipsam philosophiam *τὴν μεγίστην* appellavit *μουσικήν*. 1) Disciplinis autem eandem tribuit, quam philosophiae, vim et efficaciam, ut mentis oculum aperirent, e tenebris nos in lucem educerent, totum commutarent hominem. 2) Finem omnino philosophiae praescripsit *τὴν ὁμοίωσιν τῷ θεῷ;* sed eo perveniendum censebat disciplinarum in primis et veri studio: quae ratio abhorret plane a mysticorum hominum somniis. Apte haec illustrabat mysteriorum adhibito exemplo. Qui initiati erant antiquitus mysteriis Eleusiniis, praeclare de iis existimabant. Cicero sic de iis cum Attico loquitur: « Nam mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus: initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus: neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.» 3) Idem plane fuit philosophiae Platonicae propositum; cultum spectabat et perfectionem hominis, ut rite eruditus artibus et disciplinis, iisque veluti purgatus et praeparatus, spectaculum homo spectaret omnium illustrissimum, *pulcrum*, *bonum*, *justum*, *sanctum*, non in simulacris quibusdam, sed ipsum, *αὐτὸ καθ' αὐτὸ*, purum et integrum. Quod qui spectaret, quam proxime hunc accedere contendebat ad divinae naturae sublimitatem et felicitatem.

Veterum philosophorum de philosophiae vi et ubertate sententiae.

Nec vero unus fuit apud antiquos Plato, qui sic existimaret de vi et proposito philosophiae. Magnam partem hoc debuit cum Socrati tum Pythagoreis, eumque secuti sunt quotquot deinde philosophiam commendarunt. Et hi quidem, quae est ingenii humani progressio, vim ejus moralem disertius etiam et plenius explicuerunt. Juvat hîc apponere sententias quasdam veterum, quo nobis magis pateat, quae philosophiae fuerit antiquitus ubertas et amplitudo.

Philosophiam universe veteres ducem habebant vitae. Diis tribuebant, quod viverent, sed philosophiae, quod bene viverent. Quis dubitare, ait Seneca, potest, quin Deorum immortalium munus sit, quod vivimus: philosophiae, quod bene vivimus? 4) Eleganter Maximus Tyrius: *καταπεσοῦσα γὰρ ἡ ψυχὴ εἰς τουτονὶ τὸν θόρυβον, καὶ δοῦσα ἑαυτὴν ἐπ' ἀμηχάνου φορεῖσθαι κύματος, νήχεται δυσέκνευστον πέλαγος· ἐς*

1) *Phaed.* 61. A.
2) *De Rep.* VII.
3) *De Legg.* II. 14.
4) *Ep.* 90. init. Cf. Plut. *adv. Colot.* 1108. C.

ἂν αὐτὴν φιλοσοφία ὑποδέξηται ὑποβαλοῦσα τοὺς ἑαυτῆς λογισμοὺς, ὥσπερ τὸ κρήδεμνον τῷ Ὀδυσσεῖ ἡ Λευκοθέα. 1) Est enim philosophia, ut vocabatur antiquitus, τεχνὴ βίου, *ars vitae*. 2) Nam omnium artium, quae ad rectam *vivendi* viam pertinent, ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, continetur. 3) Omnis rerum optimarum cognitio atque in iis *exercitatio* philosophia nominatur. 4) Imo *medicina animi* philosophia est. 5) Quod Democritus jam pronunciavit, quamquam hic pro *philosophia* utebatur etiamtum *sapientia*. Ἰατρικὴ μὲν γὰρ, κατὰ Δημόκριτον, σώματος νόσους ἀκέεται· σοφίη δὲ ψυχὴν παθῶν ἀφαιρέεται. 6) Diserte Cicero: «sed et hujus culpae et caeterorum vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a philosophia petenda *correctio* est: cujus in sinum cum a primis temporibus aetatis nostrâ voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna jactati tempestate, confugimus.» 7) «Philosophia scilicet *cultura* est animi. Haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos: eaque mandat iis, et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant.» 8) «Nunquam igitur laudari satis digne philosophia poterit, cui qui pareat, omne tempus aetatis sine molestia possit degere.» 9) Itaque nullo non laudum genere eam celebrarunt antiqui: ut Cicero nobilissimo loco. «O vitae philosophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? — Ad te confugimus; a te opem petimus. — Est autem unus dies, bene et ex praeceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus.» 10) Quarum laudum auctor in primis fuit Posidonius, ut patet e Senecae epistolis. 11) Ipse autem Seneca magnifico usus dicendi genere «utinam, ait, quemadmodum universi mundi facies in conspectum venit, ita philosophia tota nobis posset occurrere, simillimum mundo spectaculum! Profecto enim omnes mortales in admirationem sui raperet, relictis his, quae nunc magna, magnorum ignorantiâ, credimus.» 12) Periit

1) *Diss.* XVII. p. 333. Reisk.
2) Cic. *de Fin.* III. 2.
3) *Tusc. Q.* I. I.
4) *De Orat.* III. 16.
5) *Tusc. Q.* III. 3.
6) Clem. Alex. *Paed.* I. 2. p. 100. Cf. Wytt. *Bibl. crit.* III. 1. 29 et III. 4. 75.
7) *Tusc. Q.* V. 2.
8) *Eod.* II. 5. Cf. Plat. *Amat.* 134. E. *Phaedr.* 276. B. E.
9) *Cat. Maj.* c. I.
10) *Tusc. Q.* V. 2.
11) In primis *Epist.* 90. Vid. *Bakius* disp. de Posidon. p. 33.
12) *Ep.* 89. Vid. *Ep.* 101. Laudatio item philosophiae exstat in *amatorio sermone*, qui in Demosthenis operibus occurrit. p. 1413. Steph.

nobis pars illa Stobaeanorum excerptorum, quae veterum loca continebat de philosophia: periit fere totus, quem magis etiam desideramus, Ciceronis Hortensius, quo philosophiam commendavit et propugnavit: quae scripta si superessent, plenius etiam de antiqua philosophia existimare liceret. Veruntamen Ciceroniani operis fragmentum nobis servatum est praeclarum, imo conclusio exstat totius disputationis, qua haud ita magnifice, ut Posidonius et Seneca, sed accurate, sed Platonice vim expressit et propositum philosophiae. «Quae nobis, ait, dies noctesque considerantibus, acuentibusque intelligentiam, quae est mentis acies, caventibusque, ne quando illa hebescat, magna spes est, aut si hoc, quo sentimus et sapimus, mortale et caducum est, jucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occasum neque molestam exstinctionem et quasi quietem vitae fore: aut si, ut antiquis philosophis, iisque maximis longeque clarissimis placuit, aeternos animos ac divinos habemus: sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est, in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis et erroribus, hoc iis faciliorem adscensum et reditum in coelum fore. Quapropter, ut aliquando terminetur oratio, si aut exstingui tranquille volumus, cum in his artibus vixerimus, aut si ex hac in aliam haud paullo meliorem domum sine mora demigrare, *in his studiis* nobis omnis opera et cura ponenda est.» 1)

E studio hoc et amore sapientiae, quo nomine antiquitus appellabatur philosophia, exstiterunt philosophorum placita ac doctrinae, unde systemata composita sunt philosophiae: positisque tandem philosophiae terminis, doctrinae quaedam artesque liberales ab ea distinctae sunt. Veruntamen semper veteres principem in iis locum philosophiae tribuerunt. Auctor libri de puerorum educatione, qui Plutarchi nomine fertur, philosophiam dicit in primis colendam esse, in eaque habitandum. *ὥσπερ περιπλεῦσαι μὲν πολλὰς πόλεις καλὸν, ἐνοικῆσαι δὲ τῇ κρατίστῃ χρήσιμον.* 2) Bioni tribuebatur haec comparatio: sicut Penelopes proci, quum non possent cum Penelopa concumbere, rem cum ejus ancillis habuissent: ita, qui philosophiam non possent apprehendere, eos in aliis nullius pretii disciplinis sese conterere. 3) Similiter Seneca ab artibus liberalibus secernit philosophiam: artes liberales praeparant ingenium, praeparant animum ad accipiendam virtutem: nec tamen perducunt ad virtutem, sed expediunt: unum studium vere liberale est, quod liberum facit, hoc est sapientiae, sublime, forte, magnanimum. 4) Pariter Clemens Alexandrinus: *ὡς τὰ ἐγκύκλια μαθήματα συμβάλ-*

1) *Fragm.* 88. p. 486. Orell.
2) p. 7. C.
3) Plut. l. l. ubi vid. *Wytt.*
4) *Ep.* 88

λεται πρὸς φιλοσοφίαν, τὴν δέσποιναν αὐτῶν, οὕτω καὶ φιλοσοφία αὐτὴ πρὸς σοφίας κτῆσιν συνεργεῖ. 1) Placebat Patribus haec in primis sententia, sic philosophiam oportere religioni servire, ut artes liberales inserviunt philosophiae. 2)

Fines migrarem disputationis hujus, si vim philosophiae apud antiquos ad vitam recte instituendam demonstrarem pluribus. Sed silentio non praetermittendum, Platonicae philosophiae hoc proprium fuisse, ut virtutem non tantum spectaret et morum honestatem, sed omnium primum et maxime *veritatem.* Quo fit, ut *philosophus* apud eum non occurrat ut morum magister, prouti apud nullos non populos occurrunt sapientes; sed ut *φιλομαθὴς*, ut *τῆς ἀληθείας φιλοθεάμων*, 3) qui haud utilia praecipit et bona, sed *verum* exquirit primum, ut *inde* existimetur de praeceptorum bonitate et utilitate. Itaque in *philosophi* exploranda indole et natura, quam praeclare descripsit in Politia, studium illud discendi verique cognoscendi attendit maxime. *Τοῦτο μὲν δὴ τῶν φιλοσόφων φύσεων πέρι ὡμολογήσθω ἡμῖν, ὅτι μαθήματός γε ἀεὶ ἐρῶσιν, ὅσα ἂν αὐτοῖς δηλοῖ ἐκείνης τῆς οὐσίας τῆς ἀεὶ οὔσης καὶ μὴ πλανωμένης ὑπὸ γενέσεως καὶ φθορᾶς.* 4) Quo ipse ductus veri studio, dialecticas instituit *περὶ τοῦ ὄντος, de eo quod est*, disputationes, accuratissimas illas et subtilissimas, e quibus maxime metaphysica videtur orta, quae deinde hoc nomine et dicta est et elaborata. Illustrabitur haec propria Platonis et singularis ratio in proximis disputationibus omnibus; sed patuit jam nobis ex comparationibus et imaginibus, quibus vim philosophiae declaravit. Eo spectant omnes, ut, repudiatis umbris, res spectemus, procedamus e tenebris in lucem veritatis, omnino ut verum assequamur: quod idem sublimis illius, quam descripsit, initiationis summum est propositum.

Tam late patuit apud antiquos Graecos et Latinos philosophia. Quodsi inde respicimus nostra tempora, mirari subit, quî tandem acciderit, ut hodie concludatur tam arctis terminis. Cujus rei non una fuisse caussa videtur. Nam primum in doctrinas divisa est, ut partes ipsi propriae relinquerentur exiguae: tum ipsa doctrinae finibus et angustiis terminari coepit. Sed princeps caussa ab auctoritate repetenda est religionis christianae. Haec enim quo magis invaluit in genere humano, eo minus reliquit philosophiae.

Religio apud veteres non habebat, quo expleret cultiorum hominum

1) *Strom.* I. 5. p. 333. ubi Intpp. Cf. 373. et *Wytt.* ad Plut. l. l.

2) Orig. *Philocal.* c. 13.

3) *De Rep.* V. 475. E.

4) *Eod.* VI. 485. A. (*ὅσα* manifesto corruptum. Ex Themist. XXI. 250. *ὃ* restitutum est, probantibus Codd. Verum *ὅσα* non temere natum; videtur legendum *ὃ σαφές τι ἂν* — Ed.)

animos. Poëtica erat et tota referebatur ad sensus varia ratione afficiendos. Interiorem doctrinam continebant mysteria, sed nisi quis philosophiâ esset imbutus, non multum sane inde proficere poterat. Nam erant illa obscura, utpote mysteria, et obscure significaverant a vetusto inde tempore, quae deinde illustrare philosophi coeperunt. Philosophia igitur cultissimo cuique homini maxime erat colenda, quippe sola animum imbuens sensibus celsioribus et erigens hominem ad divinae naturae sublimitatem. Quo factum, ut instar esset veteribus religionis omnis, certe munera ejus susciperet longe gravissima. Successit deinde antiquae religioni religio christiana, nec poëtica illa, nec philosopha, sed tam simplex et pura, ut facile admitteret germanam philosophiam: nec admitteret tantum eam, sed sponte susciperet ac commendaret vehementer. Recuperavit ita religio, quae amiserat, munera, et valuit nunc demum ad divinam agnoscendam majestatem, ad spem confirmandam vitae futurae, tum vero etiam ad erudiendum excolendumque hominem. Nec mirum. Nam falsae religioni successerat vera, quae cum vera philosophia copulatur facillime. Quo fit hodieque, ut, quae occurrunt apud antiquos philosophos praeclara de moribus praecepta, haud nova videantur plane, quippe quibus ipsis, religionis ope, a tenera jam aetate imbuti simus. Sed accidit ita simul, ut religioni tribuatur vis omnis ad pueros instituendos, ad mores emendandos, ad vitam bene integreque transigendam: philosophiae relinquatur, ut rerum indaget principia, et docte de his ac subtiliter disputet.

Nec vero dolendum, contractos ita esse recentiore aetate philosophiae fines. Nam quod ipsa olim praestabat paucis, id omnibus jam praestat religio christiana. Haec enim non, ut illa, cultioribus tantum hominibus, sed incultis etiam et rudibus convenit, et una est apta ad universum excolendum genus humanum. Sed quo magis immutata est hodie philosophiae conditio, eo minus nobis committendum, ut antiquam rationem cum hodierna confundamus. Et profecto habet haec ipsa antiqui disquisitio aevi, quo mentem nostram maximopere advertat, habet, quo studia nostra alat ac moderetur. Nam ut celebramus fere philosophiam, nec tamen cernimus ejus nisi partem obscuram, *metaphysicam* vocant, ita quaerimus sponte, qualis aliquando fuerit, quum integra esset plane, doctrinas omnes, ut parens communis, complecteretur, suppeditaret homini, quod negabat religio, et bearet universe cultiorem partem generis humani. Quae si cognoscere, et vero hinc ipsi capere fructum velimus, in antiquam nobis Graeciam recedendum est. Nam illic nata est philosophia et laete increvit effloruitque, ut germen nativum, solo illi et tempori unice proprium. Huc vero traducta, emarcuit subito et, quamvis studiose exculta, antiqui vigoris ne speciem quidem refert. Sed eo nobis diligentius tractanda sunt scripta Platonis. In hisce enim apparet dotibus suis omnibus et virtutibus instructa, jungens simplicitatem Socra-

ticam cum Pythagorica sublimitate, poëtarum elegantiam cum dialecticorum subtilitate, hanc autem propriam habens, non dotem, sed virtutem maximam, ut ad *veri* studium referatur tota.

De philosophia Platonis.

Et haec quidem hacteuus de philosophiae apud Platonem natura, proposito, ubertate, ambitu. Quae sane non ita disputavimus, quasi omnia probaremus Platonis, nulla recentiorum placita. Interpretes sumus philosophi, non laudatores: et multa ab antiquis inchoata recentior demum perfecit aetas. Illud unice egimus, ut ex veteris aevi ratione Platonicae philosophiae veluti imaginem adumbraremus, eamque universam contemplati, singulas ejus partes singulatim deinceps exploraremus. Quod ut nunc nobis instituendum est, ita quaerimus continuo, unde ordiendum videatur in hac disceptatione, quid primum sit, quid proxime, quid porro perlustrandum. Nec sane id statim in oculos incurrit. Nam partes non apparent singulares, sed junctae sunt et connexae secum invicem arctissime, et huic praesertim conjunctioni vim suam et efficaciam debent. Et tamen prudenter nobis ab initio inde instituenda est disquisitio, ne perversam ineuntes rationem, oberremus turpiter: eoque cautius inquirendum erit, quo facilius nos in errorem inducat posteriorum ratio philosophorum, qui discesserunt a Platone et tamen sibi aliisque idem tenuisse iter visi sunt. Age, viam quaeramus, qua procedamus deinceps firmiter et jucunde.

Post Platonem philosophia in varias doctrinas distribui coepit, prouti verbo jam monuimus: quod institui facile potuit, quoniam fons erat, e quo doctrinae omnes manarent. Separatim igitur, procedente tempore, tractatae sunt physica, dialectica, ethica, postea item metaphysica, inauditum Socratis aetate nomen, cujus partes recentiore aevo habitae sunt ontologia, cosmologia, psychologia, theologia. Rivuli hi fuerunt e philosophia ducti, sed, ut fit, fontis destituti et ubertate et limpida perspicuitate. Quos explorantes philosophi, in iisque solis defixi, ignorare subinde visi sunt, quae esset tandem, unde erant derivati, *philosophia*. Quo magis nobis cavendum est, ne Platoni obtrudamus, quae ab ejus aetate et ingenio sint aliena. Confundatur ita philosophus cum posterioris aevi philosophis, imo adhaerere ei videautur sordes scholasticae. Exploravit ille quidem, quae singulis istis doctrinis continentur, sed ita exploravit haec omnia, ut suo semper loco, id est, in ipsa philosophiae veluti arce maneret. Memor enim semper divini moniti *γνῶθι σεαυτόν*, animum spectabat maxime, in eoque et explorando et ad veri cognitionem acuendo versabatur totus. 1)

1) *Phaedr.* 229. E. ibique Intpp. Proclus *in Alcib.* p. 5. 6.

Quocirca excludenda erit disputatione nostrâ omnis philosophiae distributio, quae non Platonem, sed alios habeat auctores, etiamsi hi, legendo tractandoque Platone, eo pervenisse censendi sint: ut Xenocrates, Aristoteles, Zeno, cum tota Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum familia. Quae vero argumenta in ipsis philosophi scriptis ubivis occurrunt, quaeque ipse maxime philosophando complexus est, haec nobis in primis de ejus sententia et excitanda erunt et explicanda. Quae sane ratio ut simplicissima, ita certissima esse videtur ad assequenda Platonis placita praecipua. Nec vero in exquirendis illis diu quis haereat, nisi qui in literis hisce rudis sit plane et hospes. Haud legerit enim Phaedrum, Symposium, Theaetetum, Parmenidem, Phaedonem, Politiam, Leges, Timaeum, praecipuos auctoris celebratissimosque dialogos, quin viderit disseruisse lubentissime Platonem de amore, de pulcro, de artibus: de exquirenda veritate, de scientia, de ideis, de dialectica caeterisque disciplinis: porro de justitia ac legibus, deque civitate regenda, in primis de bono: denique de Deo et hac rerum universitate. In his omnibus non invenerit philosophiae distributionem, nec singularum partium definitiones: haud enim nomine occurrunt logica, physica, metaphysica, ontologia, psychologia, ne ethica quidem; sed animadverterit idem facile, tria in hisce a philosopho singulatim fuisse indagata, *pulcrum*, *verum*, *justum*, maxime autem *verum*, τὸ ὄν, quo pertinent ideae, locus in Platonis philosophia uberrimus latissimeque patens; *bonum* autem ab eo cum *pulcro* esse conjunctum: idemque in *veri* indagatione summo esse loco habitum.

Triplex haec, quam dixi, disquisitio de *pulcro*, de *vero* et de *justo*, cui *bonum* ac *sanctum* accedit, ut res omnium maxime expetenda, in disquisitionibus Platonis gravioribus dominatur plane: et quod miretur fortasse aliquis, convenit illa cum hodierna philosophiae partitione, qua quaeri solet de facultate sentiendi, de facultate cognoscendi, de facultate appetendi. Sed haec scilicet est ingenii humani ratio, ut a simplici ratione in varias partes digrediatur, multisque ambagibus oberret, sed redeat tamen tandem ad simplicitatem pristinam, naturae congruam. Qualem sane esse Socraticam rationem, et vero Platònicam, nec quisquam negaverit, qui eam totam perspexerit, et probant hodie philosophi, qui optimam quaerentes rationem, sponte in antiquam illam inciderunt.

Ducit apud Platonem philosophia ad pulcrum, ad verum, ad justum, praecipue autem ad verum.

Quae cum ita sint, via, ni fallor, patet nobis, qua, duce Platone et verâ philosophiâ, sic procedendum sit, ut inquiramus continuo in naturam nostram, sive *animum* hominis ejusque conditionem praesentem et pristinam: tum singulatim agamus primum de *pulcro*, item de *amore*,

quae proxime sunt apud Platonem et in hominis natura secum invicem conjuncta: tum de *vero*, de dialectica et caeteris disciplinis, quae ad verum assequendum adhibendae sunt: praesertim de *ideis* atque idearum omnium summa, de *bono:* tandem de *justo*, cujus argumenti disquisitio apud Platonem et *moralem*, quam nos dicimus, *doctrinam* complectitur et *politicam* simul: item de vita beata. Quibus adjiciendae erunt philosophi de rebus divinis, de sancto et divina natura sententiae, ductae illae maximam partem, certe explicandae ex disputationibus praecedentibus.

Et sic quidem, ni fallimur, ordinem sequemur, quo ipsum in philosophando progressum est Platonis ingenium. Juvenis ille Socraticus fuit et egit in Phaedro de *amore* et *pulcro*. Ad Megaricos concessit deinde et Eleaticos, quorum in disputando subtilitate captus, *verum* inquirere distinguendo studuit, scripsitque dialecticos sermones, Theaetetum, Sophistam, Politicum, caeteros. Tum vero, quod maturioris est aetatis proprium, ad vitae usum convertens studia, exploratis diligentius Aegyptiorum maximeque Pythagoreorum institutis, perfectam finxit rempublicam, quae *justi bonique* referret exemplar, et vitam contineret optimam: unde escendit tandem, Timaeo conscribendo, ad rerum divinarum disquisitionem. 1) Hac ille progressione mentem paulatim animumque explicans, eâdem scribendo illustravit *philosophiam pulcri*, *philosophiam veri*, *philosophiam justi:* nos vero, illud agentes maxime, ut sequamur philosophum, quidni pari deinceps via et ratione procedamus?

Quod autem adhuc instituimus, ut non disputaremus cum aliis et contenderemus de philosophia Platonis, sed *induceremus* in eam lectores: perpetuum erit propositum nostrum. Proficiemus e scriptis eorum, qui et ante et hac nostra aetate praeclare de Platone ejusque placitis meriti sunt: quibus quantum debeamus, laudatis identidem locis, grato animo declarabimus. Quodsi sunt in iis, qui interpretandi philosophi aliam inierint rationem, haud defendemus datâ operâ sententiam nostram, sed suadebimus eam et commendabimus ipsâ Platonicorum scriptorum auctoritate. Haec enim non memorabimus solum, sed legemus, exponemus, interpretabimur, ut *formam*, quae vocatur, Platonicae philosophiae perspiciamus, tum etiam, quod maxime spectamus, per *initia* haecce sacris illis *initiemur* quodammodo.

---

1) De multis Platonis dialogis, quo tempore scripti sint, non constat; sed hos, quos diximus, sic sibi successisse, idoneis rationibus probavit *Astius*, Platon's Leb. u. Schr. p. 51 sqq.

DE ANIMO.

IPSIUS PHILOSOPHIAE PLATONICAE PROOEMIUM.

Nobilem Platonis de animo sententiam ut quodammodo assequamur, disquisitioni nostrae cum Socratica adhibenda sunt, tum Pythagorica placita. 1) Persuaserat sibi Socrates de animi humani praestantia et divinitate. *Ἀλλὰ μὴν*, contendit, *καὶ ἀνθρώπου γε ψυχή, εἴπερ τι καὶ ἄλλο τῶν ἀνθρωπίνων, τοῦ θείου μετέχει.* Nec minus apud eum constabat de animi immortalitate. Non ille, ait Cicero, tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, animos hominum esse divinos, iisque, cum e corpore excessissent, reditum in coelum patere, optimo et justissimo cuique expeditissimum. Caeterum de pristino animi statu et migrationibus in alia deinceps et alia corpora, haud disquisivisse videtur subtilius. Alienum hoc erat ab insigni illa viri in philosophando simplicitate. Quaerere malebat, quid pium esset, quid impium, quid pulcrum, quid turpe, quid justum, quid injustum, 2) quo certius semetipsum et alios emendaret. Existimavi, dicebat, *φιλοσοφοῦντα με δεῖν ζῆν καὶ ἐξετάζοντα ἐμαυτὸν καὶ τοὺς ἄλλους.* 3)

---

1) De animo passim egit Plato: nam eo fere retulit philosophiam omnem. Classica autem loca sunt *Phaedr.* 245. C. — *Phaed.* 64. C. — *Menon.* 81. B. — *De Rep.* 435. C. — *Timaeo* 30. A. 42. A. — 69. C. — Caeterum quaestiones de animi origine, partibus, immortalitate datâ operâ deinceps tractabimus: nunc de hoc argumento universe agendum est.

2) Xen. *Mem.* I. 1. § 16.

3) *Apol. S.* 28. E.

Alia fuit Pythagorae ratio. Primus hic quidem, ut ante memoravimus, *sapientis* posuit, *philosophi* assumsit nomen, quo philosophum se et Graecum probavit virum. Sed profecit idem multum ex orientali, maxime Aegyptiorum, ratione. Non ille, ut Socrates, in mediis versabatur civibus suis, tanquam unus e multis, tanquam destitutus doctrinâ, ut ab omnibus, a pueris etiam et adolescentibus disceret. Distinguebatur a caeteris cum peculiari vivendi modo, tum vestitu, quo sacerdotem referebat Aegyptium, tum doctrina quadam arcana, qua magis etiam et aliis videbatur excellere et Aegyptios imitabatur sapientes. 1) Praeterea non omnibus pariter, ut Socrates, prodesse monendo studebat, ut suum quisque expleret officium, prodessetque civitati; sed selectos habebat discipulos, quos maxime excoleret, quique cultu praestantes caeteris, et civibus aliquando suis praeessent et civitates moribus legibusque temperarent. Ad quod item instituendum valuisse quodammodo videtur sacerdotum apud Orientales exemplum. Valere certe eo minus potuit Graecorum ratio, ad civilem aequalitatem, quam Orientalium, ad principum venerationem accommodata magis. Nec desunt Aegyptiae institutionis vestigia in republica Platonis, Pythagoricae rationi plane consentanea. Sed, ut mittamus illud, nec persequamur Socratis cum Pythagora comparationem, ex hoc Aegyptiorum fonte doctrinam de animo hausisse videtur Pythagoras. Refert Herodotus, 2) primos fuisse Aegyptios, qui dicerent, animum hominis esse immortalem, post corporis vero interitum in aliud deinde nascens animal migrare: cumque per omnia terrestria, marina et volucria animalia circuitum fecisset, eum iterum nascentem in hominis corpus migrare: hunc autem ab eo circuitum confici trium millium annorum spatio. A quibus initiis profectus Pythagoras, philosophatus subtilius est de animorum per has migrationes emendatione, eorumque tam pristina, quam futura conditione, statuitque, nos aliunde in hanc terram migrasse, atque, ut Cicero interpretatur, quasi in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua, sic in hanc vitam ex alia vita et natura profectos. 3)

Pythagorica non minus, quam Socratica, disciplina animum advertit tenuitque Platonis. Hac incensus est acerrimo veritatis virtutisque studio, illâ adductus videtur ad sublimes, quas prodidit, de animo sententias. Itaque Socratem in dialogis fere omnibus disputantem induxit; sed eidem Socrati in iisdem sermonibus multa subinde tribuit, quae non ipsi, sed sive Pythagorae sive Pythagoreis erant propria. Qualis est celebratissima illa de animo disputatio, quam in Phaedone habuisse fingitur Socratês. Vetus, inquit, sermo est, animos hominum hinc profectos in orco esse,

---

1) Loca hac de re veterum memoravit et dijudicavit *Meiners*, Gesch. der Wiss. I. 405 sqq.

2) II. 123.

3) *Tusc. Q.* V. 3.

rursusque huc venire. 1) Quicunque enim sic corpore exierunt, ut, polluti ejus contagione, pravis etiamnunc ducantur appetitibus, libidinibus, studiis, reverti student unde discesserunt. Quo fit, ut eorum umbrae et imagines per sepulcra fere et monumenta vagentur. Induunt igitur alia sive hominum sive animalium corpora, quae maxime ipsorum studiis conveniant. In asinos migrant libidinosi, in lupos tyrannici, sedatiore in apes, vespas, formicas vel in similis indolis homines. Ad Deos vero transire nemini licet, quin ab omni corporis labe immunis sit et purus. 2)

Sed ut occurrit in his omnibus Pythagorica de animorum migratione sententia, ita, quod latere nos non oportet, quamquam negligitur a multis, dominatur in iisdem germana illa philosophandi ratio, quam Platoni maxime propriam fuisse diximus. Ex Pythagorae effato poenas luunt animi pro commissis flagitiis. Quae sententia obtinet universe in fragmentis Pythagoreorum, in primis Empedoclis. Is, teste Plutarcho, 3) in ipso philosophiae prooemio pronunciat, si quis daemonum *peccato et caede membra polluerit*, fato juberi per triginta annorum millia oberrare, beatorum concilio exclusum:

ἔστι τ' Ἀνάγκης χρῆμα, θεῶν ψήφισμα παλαιὸν,
εὖτέ τις ἀμπλακίῃσι φόνῳ φίλα γυῖα μιήνῃ,
δαίμονες οἵ τε μακραίωνος λελόγχασι βίοιο·
τρίς μιν μυρίας ὥρας ἀπὸ μακάρων ἀλάλησθαι. 4)

Unde animorum post mortem supplicia, quibus expiant scelera et purgantur, ducta illa ex Pythagorae disciplina et celebrata a Virgilio:

Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanis
Suspensae ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni. —
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium sensum, atque aurai simplicis ignem. 5)

Et quadrat haec doctrina sacerdotum in Aegypto rationi, a quibus profecta est. Hominum spectat castigationem, religionis usurpat auctoritatem, sacerdotum severitatem habet et quasi vocem refert. Sed Socrates apud Platonem sic disputat, ut *philosophum* nobis audire, non sacerdotem videamur. Supplicia memorat, quibus mortuorum afficiuntur animi; sed

1) *Phaed.* 70. C.
2) *Eod.* 81. B. Cf. *Tim.* 42. B. C.
3) *De Exsil.* 607. C.
4) Cf. *Plut.* de Is. et Os. 361. C. et alias Emped. sententias apud *Wytt.* Opusc. II. 528. Cf. *Karsten.* Phil. Vet. Rell. II. 84. 507 sq.
5) *Aen.* VI. 739.

malum censet gravissimum, cujus animi ipsi sibimet auctores sunt, falsa opinari, vera ignorare: sic enim fieri, ut, quid vere sit pulcrum, vere sit bonum et justum, non videant, prava vero persequantur specie decepti, iisque se reddant similes: quae maxima est poena. 1) Contaminari dicit animum pravis libidinibus, ut morum censores omni tempore pronunciarunt: sed subjungit idem, his animum impediri potissimum, quominus veram cernat virtutem, seque ipsum ad ejus exemplum emendet. De moribus loquitur et vita bene instituenda, sed hortatur in primis, ut verum studeamus cognoscere: hoc enim cognito, sponte nos videre quid expetendum sit, quid fugiendum. Illa sacerdotibus, haec philosophis sunt propria. Nam sacerdotes eos vocare impuros solebant, qui suis praeceptis haud obtemperarent: praecipiebant autem ea, quae divinitus existimabantur vera et justa: sed philosophiae est *inquirere*, quid verum sit, quid justum, nec quidquam habet antiquius, quam inquirendi verique assequendi summovere impedimenta. Sunt autem illa in primis sensus, voluptates, dolores, timores. His remotis, animus in suam se vindicat libertatem, ultro tendit ad verum et justum, purus fit et sincerus.

Praesentem animi conditionem sic sibi informabant Pythagorei, ut, tanquam carcere quodam, corpore eum inclusum perhibereut.

Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, neque auras
Dispiciunt, clausae tenebris et carcere coeco. 2)

Sumus nos, ait Cicero, item Pythagoreos secutus, sumus in his inclusi compagibus corporis, et munere quodam necessitatis et gravi opere perfungimur. 3) Similiter Plato animum dicit vinctum esse corpore, eique veluti conglutinatum: 4) singulas voluptates, singulos dolores quasi clavos esse, quibus animus corpori affigatur et connectatur. 5) Sed addit, fieri ita ut animus veritatem non ipse per se, sed per hunc carcerem consideret, atque in summa versetur rerum ignorantia; *ἀναγκαζομένην δὲ, ὥσπερ δι᾽ εἱργμοῦ, διὰ τούτου σκοπεῖσθαι τὰ ὄντα, ἀλλὰ μὴ αὐτὴν δι᾽ αὑτῆς, καὶ ἐν πάσῃ ἀμαθίᾳ κυλινδουμένην.* 6) Et vero in Platonica comparatione ad animum his vinculis liberandum principes partes tribuuntur *philosophiae* i. e. veri studio, veri disciplinae. Haec, inquit, animum suscipiens tam misere affectum, leniter eum commonet et solvere conatur, ostendens, fallacem esse oculorum, fallacem aurium caeterorumque sensuum perceptionem: suadens, ut discedat ab hisce, quatenus iis uti non debeat necessario, hortansque, ut se revocet in se ipsum et recolli-

1) *Theaet.* 176. D.
2) *Aen.* VI. 733.
3) *Cat. Maj.* 21.
4) *Phaed.* 82. E.
5) *Eod.* 83. D. Vid. *Wyttenb.* ad h. l. et ad Plut. *de sera num. vind.* p. 12.
6) *Eod.* 82. E.

gat, neque ulli fidem babeat praeterquam sibimetipsi, si quid ipsum per se perceperit: quaecunque vero per alia consideraverit, quae in aliis alia sunt, borum nihil existimet verum: haec autem esse, quae oculis sensibusque pateant, quod autem ipsa cernat, solâ mente percipi. 1) Itaque abstinet pbilosopbi animus voluptatibus, cupiditatibus et quoad ejus fieri potest, omni affectu, id in primis cavens, ne sensuum judicio res dijudicans, quod his placet, verum, quod displicet, falsum habeat.

Omnino ad virtutem vitaeque sanctitatem adducit pbilosophia Platonis; sed sanctitas illa non est anachoretarum, sed *philosophorum*, qui *sapientiae* student. Quod studium non bujus vitae terminis definit, sed futurae in primis vitae proprium existimat. Pbilosophos inducit sic secum invicem disputantes: quamdiu in corpore versabimur, commixtusque erit buic malo et pollutus animus noster, nullo unquam modo assequi nobis licebit, quod expetimus: *φαμὲν δὲ τοῦτο εἶναι τὸ ἀληθὲς· hoc autem esse dicimus verum.* 2) Mori iccirco cupiunt: tum enim, inqniunt, puri immunesque a sensuum corporisque dementia, cum talibus, ut consentaneum est, erimus, *καὶ γνωσόμεθα δι' ἡμῶν αὐτῶν πᾶν τὸ εἰλικρινὲς τοῦτο δ' ἐστὶν ἴσως τὸ ἀληθές. Ipsique per nosmetipsos omne cognoscemus purum et sincerum: id autem esse verum videtur.* Impuro enim purum attingere non licitum est. 3) Itaque Plato futurae vitae felicitatem facultate potissimum cerni censet *ipsius veri* spectandi. Animus si purus e corpore discedit, nibil ex eo secum trahens, quippe quocum in vita nullum lubens commercium habuerit, sed fugerit illud, seque ipsum in se collegerit, utpote huic semper rei studens — id autem nihil aliud est, nisi recte philosopbari — sic igitur se babens animus corpusque relinquens, ad istud procedit, quod ipsi est simile nec potest videri, divinum, immortale, sapiens: quo ut pervenerit, licebit illi beato esse, errore, inscitia, metu, feris amoribus caeterisque malis humanis liberato, utque de initiatis dicitur, re vera per sequens tempus omne cum Diis vivet. 4) Unde ductum explicandumque est Ciceronis illud, quod ante ex Hortensio attulimus: « sic existimandum est, quo magis animi fuerint semper in suo cursu, id est, in ratione et investigandi cupiditate — hoc iis faciliorem adscensum et reditum in coelum fore. » 5) Imo vero *solâ* naturae cognitione et scientiâ tam hominum post mortem, quam Deorum constare beatitudinem, in eodem opere contendit Cicero: « si nobis, eum ex bac vita emigraverimus, in beatorum insulis immortale aevum, ut fabulae ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentiâ, cum judicia

1) *Phaed.* 83. A.
2) *Eod.* 66. B.
3) *Eod.* 67. A.
4) *Eod.* 80. E.
5) p. 37.

nulla fierent? aut ipsis etiam virtutibus? Nec enim fortitudine egeremus, nullo proposito aut labore, aut periculo: nec justitia, cum esset nihil, quod appeteretur, alieni: nec temperantia, quae regeret eas „quae nullae essent, libidines: ne prudentia quidem egeremus, nullo delectu proposito bonorum et malorum. *Una igitur essemus beati cognitione naturae et scientia, qua sola etiam Deorum est vita laudanda.*» 1)

De pristino animi et puro statu.

Quo magis haec placita ex ipsa Platonis mente perceperimus, eo plenius intelligemus illa, quae de pristino animi et puro statu in Phaedro pronunciavit. Sed eo prinsquam transeamus, hanc etiam philosophi attendamus de indole nostra et natura sententiam.

Nil homo possidet animo divinius. *Πάντων γὰρ τῶν αὑτοῦ κτημάτων μετὰ θεοὺς ψυχὴ θειότατον.* 2) Verum, qualis ille sit, si cognoscere velimus, haud intueri eum oportet pollutum inquinatumque corporis communione et caeteris malis; sed, ut naturâ se habet, purum et sincerum discernere nos eum oportet ratione et perspicere. Qui Glaucum marinum vident, haud possunt illi ex praesente specie antiquam ejus naturam assequi: nam corporis partes aliae sunt fractae, aliae contritae, cunctae undis fluctibusque corruptae: adhaerescunt item aliena illis, conchylia, alga, lapides, quo fit, ut cuivis ferae, quam sibimetipsi, similior sit. *Οὕτω καὶ τὴν ψυχὴν ἡμεῖς θεώμεθα διακειμένην ὑπὸ μυρίων κακῶν.* 3) *Pari nos quoque conditione animum nunc conspicimus, infinitis affectum malis.* Hac comparatione Plato praesentem declarat animi statum, quo magis auguremur inde, quae olim ejus conditio fuerit, quae deinde sit futura. Quod ex indole ejus et naturali studio efficit. Nam pergit Socrates: *ἀλλὰ δεῖ, ὦ Γλαύκων, ἐκεῖσε βλέπειν. Ποῖ; ἦ δ' ὅς. Εἰς τὴν φιλοσοφίαν αὐτῆς, καὶ ἐννοεῖν ὧν ἅπτεται καὶ οἵων ἐφίεται ὁμιλιῶν, ὡς ξυγγενὴς οὖσα τῷ τε θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ τῷ ἀεὶ ὄντι, καὶ οἵα ἂν γένοιτο τῷ τοιούτῳ πᾶσα ἐπισπομένη, καὶ ὑπὸ ταύτης τῆς ὁρμῆς ἐκκομισθεῖσα ἐκ τοῦ πόντου, ἐν ᾧ νῦν ἐστι, καὶ περικρουσθεῖσα πέτρας τε καὶ ὄστρεα, ἃ νῦν αὐτῇ, ἅτε γῆν ἑστιωμένῃ, γεηρὰ καὶ πετρώδη πολλὰ καὶ ἄγρια περιπέφυκεν ὑπὸ τῶν εὐδαιμόνων λεγομένων ἑστιάσεων. Sed illuc, o Glauco, oculos convertere debemus. Insitum animo studium, insita nobis spectanda est ejus philosophia. Animadvertere oportet, quae expetat, quae amplectatur, quibuscum se jungi gestiat, ut divino et immortali et sempi-*

1) *Fragm.* 37. p. 482. Orell.
2) *De Legg.* V. 726. A.
3) *De Rep.* X. 611. D.

terno cognatus, et qualis aliquando fieret, si totus omnique nisu illa persequeretur et hoc impetu e mari emergeret, in quo nunc agitatur, excussis lapidibus et conchyliis, quae nunc ei, quippe terrenis nutrito rebus, terrena et petrosa et agrestia circumcirca inhaerescunt, propter beatas, quae dicuntur, epulationes: καὶ τότ' ἄν τις ἴδοι αὐτῆς τὴν ἀληθῆ φύσιν tum demum quis cernat veram ejus naturam. 1)

Praeclaram autem hanc animi indolem in Phaedro potissimum celebravit Plato, ubi pristinam ejus conditionem illustri oratione descripsit. Quam sane descriptionem haud temere dicamus exordium esse sublime et quasi προοίμιον universae philosophiae Platonicae. Nec sane quidquam fingi poterat, quod excelso philosophi proposito aptius esset et convenientius. Nam cum statueret, animos hominum ex alia quadam vita in haec corpora migrasse, tribueretque philosophiae gravissimum munus, ut eos restitueret in pristinam conditionem, conditionis illius perfectae perfectum adumbrandum erat exemplar, quod intuentes philosophi, in eoque penitus defixi, ad ejus similitudinem et semetipsos et alios informarent.

Hanc autem beatae vitae descriptionem, poëticam simul et philosopham, qui assequi et percipere totam studet, ipsum legat Platonem. Nam exprimi penitus nec alio potest modo, nec vero aliâ linguâ. Nos illud agemus unice, quod interpretis videtur munus postulare, ut primum explicemus eam, i. e., partes ejus implicitas quasi evolvamus, tum singulas has partes singulatim ex antiquae cum poëseos, tum philosophiae, ratione illustremus.

Omnis animus sempiternus est: nec habuit principium, nec finem habebit. Nam cum id sit aeternum, quod a se ipso movetur, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem animal est, id motu cietur interiore et suo. Nam haec est propria natura animi atque vis: quae si est una ex omnibus, quae se ipsa semper moveat, neque nata certe est et aeterna est. 2) Et haec quidem satis de immortalitate animi. De ejus vero forma ita dicendum: qualis sit, enarrationis esse longae et divinae, cui autem sit similis, humanae et brevioris. Hac igitur nos usi, comparemus eum equorum jugo alatorum, quos gubernet modereturque auriga. Sed primum de Deorum, tum de hominum disseramus animis.

Ita beatissimi sunt Dii immortales, ut facillime saepissimeque adspiciunt ipsum verum in loco supra coelum evecto: cujus beatitudinis participes aliquando fuerunt animi humani. Locum illum ὑπερουράνιον nec quisquam adhuc celebravit poëtarum nostrorum, nec unquam pro digni-

1) *De Rep.* X. 611. E.

2) Locum in *Phaedro* 245. C. sic vertit Cicero *Tusc. Q.* I. 23. et in *Somn. Scip.* Explicuit eum Muretus, *Opp.* II. 174. Cff. Heind. et Ast ad *Phaedr.* l. l.

tate celebraturus est. Tenet hunc locum *ἡ ἀχρώματός τε καὶ ἀσχημάτιστος καὶ ἀναφὴς οὐσία ὄντως οὖσα*, id, quod vere est nec colorem aut formam habet nec tactu percipitur, sed ab una conspici mente potest, quae aurigae instar animum gubernat: illic hoc adest una cum vera scientia. Hanc spectans *οὐσίαν ὄντως οὖσαν* cum Dei intelligentia, quae mente pura et scientià vertitur, tum animi cujusque acies, quae huic rei par sit futura, et placida fruitur voluptate, et hoc veri spectaculo alitur atque exhilaratur, quamdiu coeli vertigine in circulum vertitur. In hoc autem circuitu ipsam contemplatur justitiam, temperantiam ipsam, ipsam omnino scientiam, non quae nata aliquando est, aut quae alia est in aliis eorum, quae nunc *esse* dicimus; sed quae in eo obtinet, quod vere est, *ὅ ἐστιν ὄν ὄντως:* hanc igitur scientiam et caetera pariter omnia, quae vere sunt, contemplatus animus, iisque nutritus ac pastus, recipiens se rursus intra coelum, domum redit. Postquam autem rediit, equos auriga ad praesepe sistens, ambrosiam iis projicit et nectar insuper potandum praebet. Et haec quidem est Deorum vita. 1)

Iter autem illud coeleste ad ipsum contemplandum verum, cum certis instituitur temporibus, tum hunc in modum. Magnus in coelo dux Jupiter, alatum citans currum, primum incedit, ordinans omnia et providenter disponens. Hunc sequitur exercitus Deorum et Daemonum, in undecim partes distributus. Manet enim Vesta in Deorum domicilio sola. Caeteri vero, qui in duodecim Deorum numero censentur, suum quisque agmen ducunt. Multae sunt intra coelum cursitationes, multa beataque spectacula, quo Deorum genus beatorum vertitur, suum quisque munus peragens: sequitur autem illos quicunque et vult et potest: nam livor a choro Deorum procul remotus est. Quando vero ad dapes et convivia procedunt, arduum conscendunt locum ad summum coeli verticem: quo postquam pervenerunt, extra progressi in coeli dorso subsistunt: subsistentes autem coeli conversione convertuntur, et spectant quae extra sunt in loco, quem descripsimus, *ὑπερουρανίῳ.* 2)

De animi in praesentem conditionem lapsu.

Nullus est humanus animus, quin huic agmini Deorum interfuerit aliquando et verum spectare in coeli vertice tentaverit: caeteroquin in hoc corpus non venisset. Sed humanorum conditio animorum longe alia est, ac divinorum. Hi enim et aurigam habent prudentem et equos freno obtemperantes: illis vero alter equus est docilis, alter aegre coërcetur. Itaque ut in locum venerunt arduum, aegre processerunt. Nam equus

1) *Phaedr.* 247. C. D. E.
2) *Eod.* 246. E. 247. A. B.

pravitatis particeps deorsum prae pondere ruebat, ad terram vergens, nisi bene esset ab auriga doctus et cohibitus. Qui animus optime et secutus est Deum suum et imitatus, extulit ille in sublimem trans coelum locum aurigae caput et una cum coeli conversione conversus est, quamquam turbatus equis et vix *τὰ ὄντα* contemplatus. Alius autem modo extulit caput, modo demisit, et, ferocientibus equis, partim aliquid vidit, partim non vidit. Caeteri vero appetentes quidem omnes superiora, sequebantur, sed frustra contendentes, submersi circumferebantur, calcantes se invicem et incumbentes, alii alios praevertere proruendo conantes. Illic igitur tumultus et certamen et sudor extremus, ubi vitio aurigarum multi claudicarunt, multi multas pennas confregerunt, omnes, gravi exantlato labore, veri expertes, quod spectatum iverant, discesserunt, proque vero opinione usi sunt alimento. Unde autem tantum illud studium campum videndi veritatis, ubinam sit? Scilicet ex illo prato unice petitur, quo optima sit nutrienda animi pars, quaeque animum elevant alae, hoc aluntur. 1)

Etenim, ut Deorum animi, sic hominum aliquando alis fuerunt instructi. His in altum sublati ac sustentati, eo escendebant, ubi Deorum habitat genus. Nam alae omnium maxime divinâ sunt naturâ; 2) *τὸ δὲ θεῖον καλὸν, σοφὸν, ἀγαθὸν καὶ πᾶν ὅ τι τοιοῦτον* ***divinum autem est pulcrum, sapiens, bonum et quidquid est hujusmodi:*** his aluntur et corroborantur animorum alae, turpi vero et malo et contrariis omnibus infringuntur et pereunt. Fractis igitur alis in illa contentione ad verum spectandum, lapsi sunt animi in terram, terrenumque induerunt corpus, alii vero aliud, quique plurima viderunt, in eos migrarunt qui postea nati sunt sive *φιλόσοφοι*, sive *φιλόκαλοι*, sive *μουσικοί*. 3)

Talis est descriptio Platonica beatae vitae, quam gustarunt hominum animi, anteaquam corpoream hanc naturam induerunt. Continentur eâ alia item multa et sublimia, in primis, quae vis sit amoris et pulcri ad reducendum animum ex praesente hac conditione in pristinam illam beatitudinem. Sed in ipsa explicanda philosophia Platonis sponte nos illa et adducemus deinceps et interpretabimur. Nunc vero ad illustranda, quae attulimus, nonnihil ex poësi antiqua et philosophia adhibeamus. Et primum quidem hoc animadvertendum.

Innata est homini perfecti cupido, cui cum non conveniat praesentis temporis conditio, fingere illud solet ingenio, et pristino cuidam et remotissimo aevo tribuere. Itaque auream humani generis aetatem certatim celebrarunt omnis aevi et loci poëtae, idemque fecerunt philosophi, sed

1) *Phaedr.* 247. 248.
2) *Eod.* 246. D.
3) *Eod.* 248. D.

dispari utrique et modo et consilio. Illi, ut semetipsos aliosque delectarent perfecta felicitatis specie, tempus fingebant, quo

Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores —
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant. 1)

Philosophi vero aliam, ac caeteri solent, appetentes felicitatem, in perfecta pariter conditione, omnia tribuebant menti, sensibus corporique nihil. Itaque Plato acerrimo ductus philosophiae veritatisque studio, beatam adumbravit animorum in prisca quadam vita conditionem, ejusmodi illam, ut integrâ purâque fruerentur veri contemplatione.

Diis tribuebant antiqui, quod ipsis videbatur summum et perfectum. Apud Homerum convivia celebrant Dii hilaritate summâ, quam alunt Apollinis cantus et chori Musarum, excitat autem nectar in primis, quod singulis administrat sive Hebe sive Ganymedes. Sed in hac Platonica divinae felicitatis descriptione nectar quidem occurrit, sed equis praebetur Deorum una cum ambrosia, quando itinere fatigati praesepibus adstant: ipsos vero Deos nec cantus, nec chori, nec vero nectar aut ambrosia demulcent aut exhilarant, sed unum tenet veritatis spectaculum, quod spectantes voluptate fruuntur, quae sola dici divina potest. Haec aurea aetas est philosophorum.

Quod autem ad ipsam attinet fabulam, facile intelligimus, totam hanc animorum et coelestis itineris imaginem a solis ambitu ductam esse, qualem hunc informaverant poëtae Graeci. Phoebum hi finxerant sedentem in curru et equos illos ignivomos pennisque levatos agentem, coelum conscendere quotidie et totum transire. 2)

Ἀκτὶς ἀελίου πολύσκοπε —
ἐπισκότιον ἄτρωπον ἐσσαμένα γ'
ἐλαύνεις τι νεώτερον, ἢ πάρος·
ἀλλὰ σὲ, πρὸς Διὸς,
Ἵππους θοὰς, ἱκετεύω,
ἀπήμον' ἐς ὄλβον τινὰ
τράποιο Θήβαις. 3)

quem Pindari locum et alios hujus poëtae in Solem hymnos, fontes existimat Dionysius Halicarnassensis, e quibus sua hauserit Plato. Pari sublimitate Euripides:

ὦ τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδὸν,
καὶ χρυσοκολλήτοισιν ἐμβεβὼς δίφροις,
Ἥλιε, θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα. 4)

---

1) Ovid. *Metam.* I. 107.
2) *Eod.* II. 159.
3) Dion. Hal. VI. 972. Reisk. Cf. Pind. III. 59. Heyn.
4) *Phoeniss.* init.

idemque in deperdita tragoedia *Phaëthonte* in primis illa ornasse videtur. E prologo haec servata sunt: 1)

ἣν ἐκ τεθρίππων ἁρμάτων πρώτην
Ἥλιος ἀνίσχων χρυσέᾳ βώλῳ φλέγει.

E quibus et similibus proficiens Ovidius, admirabili arte iter descripsit Solis. Simile est hoc iter Jovis caeterorumque Deorum excellentium, quos eâdem specie sequuntur animi humani. Escendunt hi item in coelum certis temporibus, ut Phoebus, non singulis diebus, sed anno quoque ter millesimo, et spectaculo illic fruuntur magnificentissimo. In quibus describendis, philosophos item habuisse videtur Plato, quos imitaretur. Exstant certe in Empedoclis et Parmenidis fragmentis, quae notionem contineant *equorum currusque εὐηνίου*, quibus animus vehatur. 2) Sed alias item in his et aliunde imagines adhibuit. Ne dicam de exercitu in agmina distributo, cui summus praeest in coelo dux et imperator: aurigationem animi certatim instituunt, ut certant apud Homerum aurigae. Nec vero negligenda est, quae chori fit et initiorum mentio. Deos sequuntur animi et student imitari, sequuntur autem, ut choregos suos, quasi choros cum Diis celebrantes in sacris hisce omnium augustissimis; quin etiam initiantur mysteriis auimi verum intuendo, quaeque illic viderunt *ἐποπτικὰ*, eorum in hac vita etiamnunc sunt memores. *Εἶδόν τε καὶ ἐτελοῦντο τελετῶν ἣν θέμις λέγειν μακαριωτάτην ἣν ὠργιάζομεν ὁλόκληροι μὲν αὐτοὶ ὄντες καὶ ἀπαθεῖς κακῶν, ὅσα ἡμᾶς ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ ὑπέμενεν ὁλόκληρα δὲ καὶ ἁπλᾶ καὶ ἀτρεμῆ καὶ εὐδαίμονα φάσματα μυούμενοί τε καὶ ἐποπτεύοντες ἐν αὐγῇ καθαρᾷ καθαροὶ ὄντες.* 3) Sic plena est pulcerrima descriptio poëticarum imaginum; sed adaptantur haec mirabiliter gravissimis philosophi placitis. Haud enim is temere fingendo evolavit incertoque vagatus est, ut splendida quaeque persequeretur, assequeretur inania. Haec ratio fuit posterioris aevi philosophorum. Plato vero, quaecunque vel ipse finxit sublimia, vel ficta ab aliis illustravit ornavitque, haec omnia adhibuit ad veri disquisitionem, quo magis illustraret sententiam suam. Unde lumen Platonicae philosophiae, quod omni aevo advertit philosophos. Neque alio spectat sublimis, quem adumbravimus, in Phaedro *μῦθος*. Refertur ille totus ad explicanda evidentius, quae de homine sentiebat, deque ejus et pristino statu et praesente conditione ac futura. Et vero, quae diligenter deinde exposuit de scientia et opinione, de recordatione et disciplina, de animi omnino natura et tribus ejus partibus, *τῷ ἐπιθυμητικῷ, θυμοειδεῖ καὶ λόγῳ, cupiditatibus, ratione, ira*, qui locus late patet in

1) Vid. Valck. *Diatr.* p. 31.
2) Loca apposuit Ast, *ad Phaedr.* p. 291.
3) *Phaedr.* 250. C.

omni ejus philosophia, in primis morali et politica, mirifice haec omnia palmario hoc μύθῳ illustrantur.

Per philosophiam animus in pristinum est statum reducendus.

Et sic quidem ad finem pervenimus sublimis prooemii, quod scriptis suis totique philosophiae tanquam τηλαυγὲς πρόσωπον praeposuit Plato. Aperuit hoc nobis quasi novum quendam mundum, in quo veritas lucet, lucet pulcrum, bonum, justum, lucent exempla eorum omnium, quorum in his terris inania cernimus et falsa simulacra. Huc autem qua ratione escendendum sit homini, ipsa nos deinceps philosophia docebit, et primum quidem, quam nunc sumus expositŭri, *philosophia pulcri.*

PHILOSOPHIA PULCRI,

SIVE DE AMORE

Spiritus intus alit.

Aditus ad philosophiam sic multis videtur difficilis et molestus, vix ut eam ingressi vel haereant subinde aegerrimeque progrediantur, vel continuo reditum parent. Quod non mirum est in hodierna et disciplinarum methodo et philosophiae conditione. Contineri haec praesertim videtur metaphysicâ, e cujus principiis explicandae maximam partem sint logica, ethica, ipsa etiam, quae nunc vocatur, aesthetica. Institutionis autem hujusmodi est ratio, ut juvenes, vix degustatis poëseos et literarum initiis, continuo ad metaphysicam illam sive ipsam sive ejus principia adducantur, quae sane disciplina et est et habetur disciplinarum omnium longe difficillima. Quidni igitur philosophiam rem habeant, gratissimam fortasse aliis et pulcerrimam, sed sibi ingratam, quippe suo captu majorem? Quo magis admiramur eos, qui in tradenda philosophia hisce non impediuntur difficultatibus, sed sive ingenio, sive veterum lectione facile eas superant.

Non ita se habet philosophia Platonis: neque absterret ipso aditu, et progressu magis deinceps magisque placet. Quod ipsi jam, ni fallor, hoc loco experimur. Nam in media illa jam dudum versamur, nec fuit tamen, quod sive difficultate sive jejunitate nos magnopere rejiceret. Quodsi de progressu quaeris: noli dubitare: respondebit ille principio, imo, ar-

gumentorum suavitate, praestabit etiam. Nam explorata philosophi de animo sententiâ, gravi sane illâ et excelsâ, hinc nobis jam deinceps, tanquam a sublimi quodam ὁρμητηρίῳ, in amoenissimum descendendum est locum de *amore et amoris disciplina*, quo maxime apud Platonem continetur philosophia pulcri. 1)

Scilicet non haec fuit Platonis vita, ut ab ineunte aetate in scholis delitesceret metaphysicorum, rebusque obscuris et intricatis definiendo argumentandoque enodandis studeret. Puer poësin tractavit, tantoque ductus est pulcerrimae artis amore, ut carmina sponte funderet et Musis videretur per totam vitam operaturus. Accessit deinde ad philosophiam: quo eum Socrates adducebat et multo etiam magis ipsius natura: nam inerat ejus menti philosophia quaedam. Sed ita ei studuit, ut legeret simul poëtas omnis aevi celeberrimos, Homerum, Hesiodum, Pindarum, illos praesertim, quorum carmina philosophiae essent plena, Parmenidem, Pythagoreos, tum tragicos, comicos, item eroticos, Anacreontem, Sapphonem: quorum lectione imbutus, quum ad scribendum se daret, sponte exhilarabat scripta sua venustatis quodam et poëseos colore. Sed studium hoc et poëseos et poëtarum eam vim habuit in viri philosophiam, ut haec videretur ab ipsis Musis Gratiisque profecta. Nam de iis quaerebat studiosissime, quae maxime essent a poëtis celebrata: de amore in primis et rebus amatoriis: argumento sane Socratico et philosopho, ab umbra scholarum, si quod aliud, alienissimo.

---

1) De *amore* principes sunt Platonis loci in *Phaedro* et *Symp.* quos aetatis suae ratione explicuit *Ficinus* in libello: Sopra lo Amore over' Convito di Platone. Firenze, 1544, et Opp. II. 289. Cf. *A. Niphus*, de pulchro et amore libri II. LB. 1641. De *enthusiasmo* amoris vid. *Hansch*, de enthusiasmo Platonis. Lips. 1716. Cf. *Ficin.* Ep. I. 598. Locum de *pulcro* tum his dialogis tractavit Plato, tum *Hipp. Maj.* ac *Philebo.* Sed *Philebus* proprie ad ideam boni refertur nobisque in *philosophia justi* memorabitur. Praeclare de eo egerunt *Böckh* in Philolao et *Stallbaum* in edit. Sententiam Platonis de pulcro explicuit *Tennemann*, Syst. der Plat. Philos. IV. 263. Scripta veterum de hoc argumento, ut Isocratis, Dionis Chrysostomi, Luciani, Plotini, Procli accurate recensuit *Creuzerus* ad *Plot. de pulcritudine* cum in praep. tum in comment. De *artibus*, maxime de musica, egit Plato in primis *de Rep.* III. X. *de Legg.* II. VII. Vid. *Den Tex*, de vi musices ad excol. hominem e sent. Plat. Traj. ad Rh. 1816. De *choris* ex sententia Platonis egit *Bax*, de naturae simplicitate in Eurip. Oreste. Traj. ad Rh. 1816. Cf. *L. G. Pareau*, Lucius s. navigantes (Annal. Acad. Traj. 1819-1820). De *disciplina amoris* (περὶ τῆς ἐρωτικῆς) scripserunt Plotinus, Olympiodorus, Proclus l. l., tum Maximus Tyrius, *diss.* XXIV-XXVII. Reisk. et Plutarchus in *Amatorio*, qui omnium maxime videtur sententiam Platonis et cepisse et expressisse. Vidd. Intpp. ad *Phaedr.* et *Symp.* et *Reynders*, Diatr. in Symp. Gron. 1821. *Gorter*, de Plat. Symp. Diall. tres (Ann. Acad. Traj. 1831-1832). Ad hodierni aevi captum exposuerunt eam cum alii, tum maxime *von Ramdohr*, Venus Urania. Lips. 1798.

DE AMORE.

Platonis de hoc argumento philosophandi ratio.

Sententia Platonis de amore sic omni tempore celebrata est, ut vim nacta sit proverbii et nemo non loquatur de *amore Platonico.* Sed eandem, ut fit, pro suo quisque sensu et judicio cum accepit aliter, tum judicavit. Acceperunt hunc amorem poëtae, in primis Itali, de mira illa animorum conjunctione, quae amatae intercedit cum amatore, et utrumque in regionis coelestes extollit: ac profecerunt inde Dantes Aligerius ad Beatricem, Petrarcha ad Lauram, alii ad alias celebrandas divini pectoris foeminas. Philosophi vero, si ab Italis discesseris, qui faciliores fere fuerunt, ut nonnulli etiam alii, philosophi igitur plerique amorem istum Platonicum ad res retulerunt poëticas, sed philosophiâ indignum habuerunt: esse enim fortasse aptum alii cuidam mundo, quem ignoremus, sed huic, in quo vivimus et agimus, haud consentaneum. Quod judicium, praeter philosophos, alii etiam pronunciare solent, qui nec dicuntur philosophi, nec sunt. Sed exstiterunt item, qui rem serio judicarent, turpem eam censerent et moribus noxiam, Platonem reprehenderent, calumniarentur, neque ipsius parcerent Socratis virtuti. 1) Quorum sane omnium nobis ratio habenda erit in hisce disquisitionibus; sed in primis eorum, qui tam inique de Socrate et Platone judicarunt, imo vero sententiam iis obtruserunt, ipsorum placitis propositisque plane contrariam. Sed ut quisque de his omnibus ipse judicet, non ab aliena pendeat opinione, unum alterumque percurramus Platonis dialogum: et primum quidem illum, qui Phaedri nomine inscribitur et locum jam nobis suppeditavit de vita beata. Capiet nos continuo generosa Phaedri indoles cum Socrate confabulantis suavissime, tum Socratis nos capiet, imo movebit in turpem amorem oratio. Sed ab exordio inde exponamus.

De vulgari amore.

Sermonem a Lysia acceperat Phaedrus, quo contenderat ille, amanti non gratificandum esse, sed ei, qui non amaret: hunc enim sedatum esse et placidum, illum vero vehementibus agitari studiis. Quem ut acceperat, urbe egreditur, ut solus ambulans meditaretur cum studiose. Nam oratorum omnium Lysiam admirabatur maxime, quo non putabat disertius posse quemquam et ornatius dicere. Ambulanti autem et meditanti, ecce! obvius est ei Socrates, qui penitus cognoscens juvenem, ut

---

1) V. Gesneri *Socrates sanctus paederasta* in Comm. Soc. scientt. Gött. II. Editus item Traj. ad. Rh. 1769.

nomen audivit Lysiae, perspicit continuo, quid intus agitet animo, rogatque eum, ut secum communicet pulcerrimum scilicet illum et disertissimum Lysiae sermonem. Phaedrus primum recusare, ut mos fert juventutis, quo nempe magis instaret rogando Socrates: deinde peragere lubenter, quippe intus animo gaudens, posse se nunc Lysiae celebrare eloquentiam et vero suam item ostendere: tum ambo procedere et locum exquirere, ubi alter legeret, audiret Lysiamque admiraretur alter: invenire autem longe amoenissimum in Ilissi ripa sub platano patulis diffusâ ramis. Ibi jam Phaedrus sermonem recitat singularis plane argumenti, et ipsum singularem, multa arte confectum, verborum dictionumque varietate insignem, sed hanc ipsam ob caussam mirabiliter placentem juveni. 1) Qui ut finem fecit legendi, quid tibi tandem, Socrates, inquit, de hoc sermone videtur? nonne mirum in modum placet? Obstupui plane, respondet ille, praesertim te adspiciens. Nam videbaris mihi inter legendum exsultare prorsus. Adspiciens igitur te et secutus, una tecum, divinum caput, baecchatus sum. Hic Phaedrus suspicari, illudere ipsi Socratem: quaerere autem serio, putaretne, Graecorum aliquem ullo tempore de una re tot ac tanta dixisse. Socrates vero memorare poëtas multos et poëtrias, alios item scriptores, qui de amore scripsissent: quorum, inquit, pectus plenum habens, sentio me praeter haecce alia dicere, nec pejora, posse. Tum Phaedrus, hoc, inquit, praeclare dixisti, generosissime; a quibus autem haec acceperis et quomodo, ne dicas velim, etiamsi a me rogatus. Sed tu, quaeso, tu perage quod promisisti: si feceris, ponam ego tibi Delphis statuam auream, juxta meam. Quo adolescentis ardore captus Socrates, aegre quidem et multo cum pudore, sed perducitur tamen eo, ut ipse pariter orationem pronunciet.

Est autem illa non ita arte nitens et splendida, ut Lysiae; sed commendat se multo magis et lucet plane ordine, perspicuitate, proprio ver-

1) In hoc sermone desiderat Taylorus oratoris Lysiae dicendi genus, quamobrem alii eum Lysiae tribuendum censet. Cf. *Vita Lysiae* p. 59. Hoc quam ineptum sit, satis demonstravit *Wytt.* ad Plutarch. *de aud. phil.* p. 340. Cff. *Heindorf* et *Ast* ad Phaedr. h. l. et *Groen.* Prosopogr. Plat. p. 113. Nobis animadvertendum videtur, non *orationem* Lysiae in amorem, sed *dialogum* a Platone significari. *Γέγραφε γὰρ δὴ ὁ Λυσίας πειρώμενόν τινα τῶν καλῶν, οὐχ ὑπ' ἐραστοῦ δέ.* 227. C. Quo intelligitur dramatica forma. Sed hanc formam plane prodit cum initium sermonis: *περὶ μὲν τῶν ἐμῶν πραγμάτων ἐπίστασαι* — 230. E.: tum finis: *ἐγὼ μὲν οὖν ἱκανά μοι νομίζω τα εἰρημένα· εἰ δέ τι σὺ ὑποθῇς* (f. *ἐπιποθεῖς* — Ed.), *ἡγούμενος παραλελεῖφθαι, ἐρώτα.* 234. C. Jam vero ejusdem scriptoris in dialogo aliam esse, aliam plane in oratione, dicendi rationem, nemo est, quin sponte videat. Caeterum hunc Lysiae sermonem, si non totum finxerit pro more suo Plato, quod nolim affirmare, certe ad propositum suum plane accommodasse videtur.

borum usu, accurata argumenti definitione, interiore animi humani pervestigatione: valet unice ad caussam obtinendam, quam proposuerat Lysias, amanti gratificari non oportere juvenem. « Quaerendum nobis primum, inquit, quid sit amor: tum quidnam ex eo percipiatur vel emolumenti vel damni. Omnis amor cupiditas est quaedam: sed, ut multa sunt genera cupiditatum, quorum alia alio spectant, ita amor voluptatem appetit pulcritudinis. Porro, cum duo nobis insint, quae sequi soleamus quocunque ducant, primum, innata haec nobis cupiditas pulcritudinis et voluptatis, tum alterum, boni existimatio, ratione et studio parta; amor sine ratione bonive studio ad corporis trahit voluptates. » Hac praemissa amoris definitione, efficit inde Socrates, perniciosum esse juveni amorem: amatorem enim, quippe voluptati servientem, id unice agere, ut amasium sibi reddat quam gratissimum: haud ferre igitur, ab eo se sive ingenio, sive fortitudine, sive divitiis superari aut aequari: nam gratum esse insanienti quidquid non repugnet; quidquid vero vel superius sit vel par, ipsi esse inimicum. Itaque eo contendere amantem, ut amasium efficiat mollem, ignavum, effoeminatum, egenum, excludat eum bonorum consuetudine, *ὅθεν ἂν μάλιστ᾽ ἀνὴρ γίγνοιτο*, *unde maxime possit vir evadere;* excludat eum adeo arceatque procul ab eorum usu, unde maxime possit sapiens fieri: *τοῦτο δὲ ἡ θεία φιλοσοφία τυγχάνει ὄν· id autem est divina philosophia:* quo sane damno majus graviusque homini inferri nullum potest. 1)

Sed hanc Socratis de amore orationem ita intelligemus maxime, ut diligentissime adverterimus mores libidinesque gentium antiquarum. In his omnibus obtinebat amor turpis et abjectus, qui unice contineretur sensuum voluptatibus, imo naturae repugnaret et bestiis adeo viliorem efficeret hominem. Neque obtinebat ille tantum in rudibus et agrestibus hominibus: dominabatur plane in ipsis sacris, in cultu Bacchi, Veneris, Priapi: praeibant sacerdotes, sequebantur populi. Nam ut homo primum stupidus est et languet tam corpore, quam animo — quae conditio fuit Ichthyophagorum et Troglodytarum, et est hodieque mortalium, quos variis in regionibus et olim et praecedente aevo invenerunt Europaei — ita prima est progressio ad humanitatem, ut ex hoc sopore et indolentia evigilet, appetitibus, cupiditatibus, studiis, libidinibus excitetur. Quamobrem dum vulgus manet in eodem stupore, primi sunt sacerdotes, qui evigilent, voluptatibus ducantur, voluptatum insignia et sibi et caeteris informent, phallos et similia populo proponant, in solennibus pompis haec circumferant, ut fieri apud Aegyptios solebat, 2) vel celebrent in

1) *Phaedr.* 237—241. D.
2) Herod. II. 48.

mysteriis, quae Graecorum erat vetusto aevo consuctudo. 1) Nam sacerdotes apud rudes gentes non sunt sapientes, quales nobis dicuntur, sed paullo minus caeteris a sapientia absunt, quamvis rudes etiamnunc ipsi et motibus agitati, quos nos detestamur. Mutari haec quodammodo apud Graecos coeperunt cultiore aetate: sua coluerunt sacra et alibi et apud Corinthios mulieres ingenuae.

Ἀφροδίσι' ἦγε ταῖς ἑταίραις ἡ πόλις,
ἕτερα δὲ χωρίς ἐστι ταῖς ἐλευθέραις· 2)

quae in vetustis fabulis latebant duplicis Veneris notiones, 3) explicatae a poëtis sunt, in primis a tragicis:

ἀλλ' ἔστι δή τις ἄλλος ἐν βροτοῖς Ἔρως·
ψυχῆς δικαίας, σώφρονός τε κἀγαθῆς. 4).

Purioris amoris et statuae positae sunt in gymnasiis 5) et festa celebrata, *ἐρωτικὰ* dicta, 6) quaeque in templis aderant nec tollenda videbantur turpitudinis indicia et simulacra, habita sunt illa et culta tanquam imagines naturae et foecunditatis; 7) sed ipsa turpitudo in moribus mansit et vitae consuetudine, imo latius subinde serpsit per nulla non hominum genera. Nam commendabant has nequitias poëtarum carmina, quorum lectione imbuebatur juventus, et oculis subjiciebant comicorum fabulae, quas universus spectabat populus. Quo fiebat, ut adsuescerent plane homines impuris istis rebus, cultissimique adeo apud Graecos Romanosque viri sermonibus eas scriptisque usurparent.

De amore coelesti, sive uranio.

Quod vero malum sponte ita irrepserat in hominum societatem, fueratque confirmatum popularis religionis auctoritate et poëseos commendatione, tantum abfuit, ut a philosophia pariter propagaretur sive etiam ferretur, ut haec illud maxime expellendum delendumque susciperet. Suscepit autem eo modo, qui et ipsam deceret et hominis conveniret naturae. Nam exstirpare non studuit hominum animis amorem: quod frustra tentasset et pessimo eventu; sed convertit eum a rebus turpibus et abjectis ad pulcra,

---

1) Vid. Clem. Alex. *Protrep.* p. 13 et 20. Arnob. *adv. gentes.* V. 73. Quae Patrum testimonia tum *μυθοῖς* confirmantur, quos memorant, tum rudium gentium moribus.

2) *Alexis* apud Athen. XIII. 574.

3) Vid. *Bach.* ad Xenoph. *Symp.* VIII. 9.

4) *Eurip.* apud Plut. *de educ. puer.* p. 11. E. Cf. Valck. *Diatr.* p. 241.

5) Vid. Valck. l. l. p. 157.

6) Plut. *Amat.* init. et passim. Cf. Creuzer. *Symb.* III. 552.

7) V. c. Plut. *de Iside et Osir.* 365. B. Cf. Meiners *Gesch. der Relig.*

honesta, decora. Quod nisus est summa ope Socrates, qui hac una in re sibi maxime videtur placuisse. *Ἀλλὰ καὶ λέγω δήπου ἀεὶ, ὅτι ἐγὼ τυγχάνω, ὡς ἔπος εἰπεῖν, οὐδὲν ἐπιστάμενος πλήν γε σμικροῦ τινὸς μαθήματος, τῶν ἐρωτικῶν. Τοῦτο μέντοι τὸ μάθημα παρ' ὁντινοῦν ποιοῦμαι δεινὸς εἶναι καὶ τῶν προγεγονότων ἀνθρώπων καὶ τῶν νῦν.* 1) Sed hoc *μάθημα* quale esset, neque ipse videtur accurate tradidisse et nos ignoraremus, nisi exposuisset nobis Plato cum in Convivio, tum in hoc ipso, quem percurrimus, dialogo. Nam Socrati tribuens quae ipse sentiebat, inducit eum porro sic celebrantem amorem honestum, ut turpem culpaverat ante. Hunc vero Platonicum, sermonem dicam, an hymnum? ut percipiamus penitus, tantamque assequamur sublimitatem, praeparari nos quodammodo oportet aliis philosophi memorandis interpretandisque de amore placitis. Age igitur, alterum illum aperiamus Platonis dialogum amatorium, imo intremus convivium illud, quo nullum unquam philosophi celebrarunt magis. Occurrent nobis in illo cum alii, qui de amore dicturi sunt, tum Socrates, tum vero etiam idem ille Phaedrus noster. Neque hic sane ab initio inde exiguas habet partes. Nam auctor est sermonum omnium, quos de amore habent convivae. Sic enim continuo Eryximachus: «Phaedrus, inquit, saepenumero me coram moleste tulit, alios quidem Deos hymnis et cantibus a poëtis esse laudatos, Amorem vero, talem illum ac tantum Deum, a tot illis, qui fuerunt, poëtis ad hunc usque diem nullum accepisse encomium. Quod mihi jure videtur indignatus. Ego igitur et illi gratificari cupiens et nos decere arbitratus, ut nostra quique vice amorem celebremus, auctor sum. Primus autem Phaedrus dicat, quippe qui et primus accumbit et pater est sermonis hujus." Quod postquam omnes probarunt, sic ille facit dicendi initium. Amorem esse contendit Deorum omnium veterrimum: haud celebrari enim ejus parentes. Nam Hesiodum dicere, primum exstitisse Chaos, tum Terram et Amorem, idemque affirmare Parmenidem et assentiri Acusilaum. 2) Quo respicit Phaedrus, philosophema antiquum de rerum origine et conditione praesente memorans, quo nil unquam elegantius sublimiusque excogitavit hominis ingenium: chaos fuisse primum, rerum universarum principia continens, sed rudem indigestamque molem, in qua omnia fluerent contrario motu et in se invicem agitarentur elementa: tum vero, ecce! natum esse *Amorem*, quo exorto, omnia esse confestim ac sponte in ordinem et concentum redacta, ac pulcerrimum exstitisse, quem

---

1) *Theage* 128. B. Similiter *Symp.* 177. D. ὃς οὐδέν φημι ἄλλο ἐπίστασθαι ἢ τὰ ἐρωτικά. Cf. 193. E.

2) Parmenidis mentionem retinere nos jubet cum *Symp.* 195. C, tum subsequens (178. C.) *οὕτω πολλαχόθεν*, tum tota hujus orationis ratio.

nunc admiramur, mundum. 1) Quae fictio perquam placuit antiquis poetis et philosophis. Hinc enim cum alia multa, tum Empedoclis *φιλία καὶ νεῖκος* 2) et *μῦθος* apud Aristophanem in pulcerrimo avium choro, ubi Nox dicitur in Erebi sinu ovum peperisse,

Ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις
τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠόν,
ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινός. 3)

Nato autem amore, orta dicuntur omnia, ipsi adeo exstitisse Dii immortales:
πρότερον δ' οὐκ ἦν γένος ἀθανάτων, πρὶν Ἔρως ξυνέμιξεν ἅπαντα·
ξυμμιγνυμένων δ' ἑτέρων ἑτέροις, γένετ' οὐρανὸς, ὠκεανός τε
καὶ γῆ, πάντων τε θεῶν μακάρων γένος ἄφθιτον.

Sed pergat jam Phaedrus. Nam ejus oratio jam continuo nobis declarabit, qualis sit tandem amor Platonicus. « Ut autem veterrimus est Deorum, ita maximorum nobis bonorum auctor est. Nam juveni quid magis uberiusque prosit, quam amator bonus, vel amatori, quam bonus amasius, equidem non reperio. Quod enim ducere debet homines per totam vitam, quotquot quidem honeste sunt victuri, illud nec genus nec honores nec divitiae neque alia qualiacunque tam possunt praeclare efficere, quam amor. Quid autem illud dico? *Τὴν ἐπὶ μὲν τοῖς αἰσχροῖς αἰσχύνην, ἐπὶ δὲ τοῖς καλοῖς φιλοτιμίαν. Pudorem in rebus turpibus et in honestis aemulationem.* Nam sine his fieri nullo modo potest, ut vel civitas vel civis magna edat et nobilia facinora. Statuo equidem, virum, qui amet, si turpe quid vel ipse peregisse deprehendatur, vel, passus ab alio, nec propter ignaviam ultus, deprehensum in eo sive a patre, sive ab amicis, sive ab alio quolibet, haud tantum angi ac dolere, quantum ab amasio: pariter amasium videmus tum erubescentem maxime, quum in turpi negotio ab amatoribus sit conspectus. Si igitur aliquo pacto exsistere vel civitas posset vel exercitus amatorum et amasiorum: nulla ratio est, qua melius hi res suas ordinarent, quam abstinentes a turpibus omnibus et secum invicem aemulatione contendentes: et sane pugnâ tales cives vincerent facile, pauci etiam numero, universos, ut ita dicam, homines. *Ἐρῶν γὰρ ἀνὴρ ὑπὸ παιδικῶν ὀφθῆναι ἢ λιπὼν τάξιν ἢ ὅπλα ἀποβαλὼν, ἧττον ἂν δήπου δέξαιτο ἢ ὑπὸ πάντων τῶν ἄλλων· καὶ μὴν ἐγκαταλιπεῖν γε τὰ παιδικὰ ἢ μὴ βοηθῆσαι κινδυνεύοντι, πρὸ τούτου τεθνάναι ἂν πολλάκις ἕλοιτο.* 4) *Amator enim ab amasio conspici vel ordines deserens, vel clypeum abjiciens minus vslit, quam a caete-*

---

1) *Symp.* 178. A. B.
2) Arist. *Metaph.* I. 4.
3) *Avib.* vs. 696.
4) *Symp.* 178. C. 179. A. Locum ita de conjectura constitui. Vid. *Reynders.* Annot. ad h. l. p. 35.

ris omnibus: et vero derelinquere in periculo amasium, vel laboranti non succurrere, prae hoc mori saepenumero malit.»

Diserte haec Phaedrus et magno impetu atque ardore, ut juvenem agnoscamus, quem cognovimus paullo ante ad Ilissum: et intelligere ex ejus oratione licet, virtutem spectari amore Platonico, totumque referri ad pulcri honestique studium. Praeiverant Platoni philosophi, qui cum philosophia jungebant poësin, ut ille de scena philosophus in nobili hymno apud Athenaeum: 1)

παίδευμα δ' Ἔρως σοφίας, ἀρετῆς
πλεῖστον ὑπάρχει, καὶ προσομιλεῖν
οὗτος ὁ δαίμων
πάντων ἥδιστος ἔφυ θνητοῖς·

quod sic vertendo expressit Grotius: 2)

ad virtutem sapere egregius
dat doctor amor: generi humano
ad convictum
non est Divûm suavior alter.

Sed rem nobis subtilius etiam Pausanias explicabit, qui Phaedrum dicendo excepit.

«Non universe, inquit, laudandus est amor, quod modo commisit Phaedrus; sed a *vulgari* distinguendus est *Uranius*, Uraniae Veneris comes et adjutor. Nam eorum, quae aguntur, nihil est ipsum vel honestum vel turpe, veluti quae nunc agimus, bibere, canere, colloqui; sed ipso, quo ea instituimus, modo vel honesta fiunt vel turpia. Sic amorem non omnem oportet celebrare, sed eum unice, qui honeste nos amare jubeat. Est autem hujusmodi ille, ut non peragat promiscue quodcunque lubuerit: quae vulgaris est amoris ratio. Nam vulgus foeminas item amat et quaerit amentissimas, quo facilius libidines expleat. Amor vero Uranius mentem multo magis, quam corpus respicit: quique eo ducuntur, adolescentes amant, non foeminas, quippe qui naturâ sunt philosophiae aptiores. Difficile est in hac nostra civitate rite definire, quid de amore statuant leges. Nam favetur amantibus, imo conceditur illis, ut serviant aliis: quod in caeteris rebus summum est dedecus: contra, filiis paedagogos adhibent parentes, qui caveant ne cum aliis colloquantur. Sed quamvis contraria, conciliantur haec facillime, si Uranium amorem a vulgari distinxerimus. Hunc fugiendum censemus, ut malum gravissimum, illum commendamus, ut virtuti consentaneum. Amoris enim eadem

---

1) XIII. 561. Euripides Plutarcho dicitur ἐρωτικὸς ἀνήρ. *Fragm. de amore.* Opp. V. 2, 854. Wytt. Ut in tragicis Euripides, ita in comicis Menander φιλοσοφώτερον de amore dixit. Plut. l. l. p. 848.

2) *Excerpt. Tragic.* p. 421. Cf. Valck. *Diatr.* p. 240.

est ac virtutis ratio. Quicunque aliquem colit hac spe, ut ejus consuetudine melior fiat et sapientior, laudatur. Similiter, qui gratificatur alteri, ut ad virtutem proficiat, quamvis vel serviat ei sponte, tamen non indecora ejus habetur servitus. Hic est Uraniae Deae Amor, coelestis ipse et maxime aestimandus tum singulis tum universis: nam amantem pariter et amatum ad virtutem ducit; caeteri vulgarem sequuntur Deam.» 1)

Talis est, quem Plato celebravit, amor: nec quisquam haec facile legerit, quin nostrae rationis et antiquae discrimen animadvertat. Accommodarunt eum Itali poëtae ad celebrandas amatas suas, et profecerunt inde mirifice et hi et alii multi ad exprimendos puros et sublimes et coelestes adeo animorum sensus, eos praesertim, qui puriori convenirent religioni. Sed amor apud Platonem, quamvis ipse coelestis et pariter tendens ad vitam beatam et coelestem, ad *philosophiam* pertinet proxime, non ad religionem. Studet sanctitati integrae, sed amor est proprie veri, boni, virtutis, in primis sapientiae. *Φρόνησις*, ait Socrates, si conspici a mortalibus posset, admirabiles sui excitaret amores. 2) Itaque amabat ille adolescentes, in quorum ingeniis latere *φρόνησις* videretur, quam in lucem producere miscendis sermonibus studebat. Hos *παιδικὰ* vocabat sua, eorumque in animis *ἀντέρωτα* excitabat, ut ipsum amarent vicissim tanquam *ἐραστὴν* suum. *Ὦ γενναῖε*, dicit Alcibiadi adolescentulo, *πελαργοῦ ἄρα ὁ ἐμὸς ἔρως οὐδὲν διοίσει, εἰ παρά σοὶ ἐννεοττεύσας ἔρωτα ὑπόπτερον, ὑπὸ τούτου πάλιν θεραπεύσεται.* 3) Idem est hic amor, quo Pythagoram Pythagorei et hi semet invicem prosequebantur: idem, qui in rebus politicis ad prudentiam, in militaribus ad fortitudinem, in omni vitae genere ad virtutem ducebat et sapientiam: diversus sane maximopere a foeminarum amore, quocum confundi solet. 4) Excludebantur adeo foeminae, paucis tantum exceptis. Nec vero hae paucae erant formosae, ut formae potissimum commendatione dignae existimarentur quae amarent et amarentur; sed quae ingenio praestarent et sapientiae studerent. Erat fere unice *adolescentum* amor, *παιδεραστία*, quorum quippe natura et indoles magis, quam foeminarum, ad verum inquirendum, ad doctrinas

---

1) *Symp.* 180. C. — 183. C. De Venere vulgari et coelesti vid. Plut. *Amat.* 764. A. Cf. 762. A. ubi ab Aegyptiis hanc doctrinam repetit. Hinc maxime patet, quomodo Graeci orientalia ad suam rationem accommodarint. Cf. *Reynders* ad h. l. p. 44.

2) *Phaedr.* 250. D.

3) *Alcib.* I. 135. E.

4) Plutarch. *Amat.* 750. C. *ἀληθινοῦ δὲ Ἔρωτος οὐδ᾽ ὁτιοῦν τῇ γυναικωνίτιδι μέτεστιν, οὐδ᾽ ἐρᾶν ὑμᾶς ἔγωγέ φημι τοὺς γυναιξὶ προσπεπονθότας ἢ παρθένοις.* Veneri hoc tribuebant veteres, non *amori*, quippe cum voluptatibus conjunctum. *Ἔρως γὰρ, εὐφυοῦς καὶ νέας ψυχῆς ἁψάμενος, εἰς ἀρετὴν διὰ φιλίας τελευτᾷ.*

tractandas subtiliores et sublimiores, ad virtutem civilem et militarem aptae essent et accommodatae. Hos maxime Platonicus amor ex hac ignorantia rerum gravissimarum ad coeleste adducebat purae sinceraeque veritatis spectaculum, ut, hoc contemplati, vitam instituerent omnium optimam, alisque recuperatis, si qui alii, beati essent et immortales. Sed hac de re deinceps. Alia sunt, quae in pulcerrimo argumento prius videantur exponenda.

Memoravimus modo elegans antiquorum placitum de vi amoris per totam rerum naturam diffusa, cui mundi adeo ortum tribuebant, certe ordinem ejus et speciem admirabilem. Dominatur hoc philosophema in Eryximachi sermone, qui post Pausaniam dicendi suscepit partes: sed quod ille inchoaverat, hic persequitur, neque unum celebrat in rebus omnibus amorem, sed duplicem distinguit, alterum temperatum, quo calida et frigida, sicca et humida, congruam nacta temperiem, agris fertilitatem sanitatemque hominibus caeterisque animantibus afferunt: violentum alterum, turbidum, contumacem, quo invalescente corrumpantur omnia, tempestates oriantur cum grandine et glacie, et segetum rubigines, pestilentiae adeo et nulli non animalium et plantarum morbi. Sic veteres, quae animo sentiebant de amore, haec in rerum naturam transferebant: eademque medicus hicce in corpora hominum eorumque curationem applicat. «Utrumque amorem, inquit, agnoscimus in artibus variis, atque ego mihi deprehendisse videor in arte nostra medica. Nam alia appetit, quod in corporibus sanum, alia, quod in iis morbosum est. Prouti igitur, de Pausaniae sententia, bonis hominibus gratificari, pulcrum, malis vero, turpe est, sic in ipsis corporibus bono cuique appetitui obsequendum est, malo resistendum: eritque ille medicorum optimus, qui optime utrumque amorem distinxerit: qui autem hoc effecerit, ut pro altero quis alterum accipiat, ut nascatur amor ubi non adsit et esse debeat, vel restinguatur ubi satius sit abesse, nae is erit optimus artifex.» 1)

Virtutis auctor apud Platonem coelestis amor est.

Haec et alia Eryximachus de amore in rerum natura, de quibus nobis deinde dicendi erit locus. Sed Plato exquisivit maxime, quae amoris in homine esset et hominum civitate vis et efficacitas. Proposuit eum, in Phaedri oratione, ut *virtutis auctorem*, quo duce maxime et turpia vitaremus et honesta appeteremus. Nec praetermittendus est nobis locus in

---

1) *Symp.* 185. E. — 188. D. Ducta haec quidem sunt ex Heracliti et Hippocratis ratione: (Vid. *Ast* ad h. l. p. 238 et in primis *Thiersch*, Spec. in Sympos. Plat. p. 14 sqq.) sed Plato illa ad praesens argumentum de duplici amore accommodavit. Quod ideo monendum, ne medicorum principi Platonicam tribuamus doctrinam.

Pausaniae oratione, ubi hanc amori vim tribuit, ut ad patriam vindicandam propugnandamque valeat maxime. « In Ionia, inquit, et ubicunque sub barbaris vivitur, turpe existimatur amare. Nam tyrannidis caussa turpe id habent barbari, ut philosophiam iidem et gymnasticae studium reprobant. Imperantibus enim, credo, haud prodest, excelsis efferri sensibus subditos ac validas jungi amicitias et societates: quod prae caeteris omnibus amor solet efficere. Reapse hoc didicerunt qui hîc fuerunt tyranni. Nam Aristogitonis amor et Harmodii amicitia, firmiter invalescens, eorum dissolvit tyrannidem.» 1) Et vero, quam Phaedrus laudavit, quaeque fuit apud Thebanos, sacra amatorum cohors, merito illa invicta dicebatur. Id enim non tantum efficit amor, ut, qui solitarius fuerat antea nec sibi sufficiens, cum altero jungatur arctissima necessitudine — quae amicitiae est ratio — sed hoc item studet efficere, ut coalescat uterque plane in unam eandemque naturam, unus fiant qui fuerant duo, hinc autem vires concipiant immensas, et soli tantum non omnibus videantur pares. Quam admirabilem amoris naturam exposuit in singulari libello Franciscus Hemsterhusius, 2) idemque ad hominis explicandam indolem in nullis non scriptis amorem attendit diligentissime: sed debuit hoc praesertim, ut ipse confessus est, symposiis Xenophontis et Platonis, in primis Aristophanis sermoni, faceto illi et comico, sed interioris philosophiae pleno. Fabulam is narrat de hominis natura, qualis olim fuerit, quamque deinde subierit commutationem. « Nam olim, inquit, haud eadem fuit, quae nunc est, sed diversa. Primum enim tria erant hominum genera, non duo: mari et foeminae accedebat mixtum ex utroque, cujus nomen superest *ἀνδρόγυνον*. Deinde integri erant illi, formâ rotundi, quatuor instructi manibus, totidemque pedibus: duplici in capite vultu, quatuor auribus, genitalibus binis. Procedebant recti, ut nunc solent, quocunque vellent; sed festinantes, octo illis membris innixi, circumvolvebant se velocissime, eorum instar, qui in capite saltant. Quo cum essent ingenti corporis robore, pares gerebant spiritus et ipsos aggressi sunt Deos. Jupiter, concilio convocato, cum Diis deliberat, quid sit in homines agendum. Haud reperiunt. Nam nolunt eos fulmine deleri, ne scilicet honoribus sacrificiisque destituantur, quibus ipsos prosequantur: nec vero ferre tantam insolentiam possunt. Tandem Jupiter, re perpensa, videor mihi, inquit, rationem excogitasse, qua desituri sint ita insolescere homines, nec tamen perituri. Dissecabo singulos in duas partes: erunt sic infirmiores sed nobis simul utiliores, quippe numero plures. Sic fatus, bifariam dissecuit homines, sanandosque Apollini tradidit.» Quibus festive enarratis, subjungit Aristophanes: *ἔστι δὴ οὖν ἐκ τόσου ὁ ἔρως ἔμφυτος*

1) *Symp.* 182. A.

2) *Lettre sur les désirs à M. De Smeth.* Oeuv. I. 61. Paris. 1792.

ἀλλήλων τοῖς ἀνθρώποις. *Ab hoc inde tempore innatus est hominibus amor mutuus.* Nam divisis illis in duas partes, suum unaquaeque pars quaeritabat dimidium, inventumque vehementi studio amplexabatur. Hinc mira illa omnia, quae in amore etiamnunc obtinent. Quoties enim alicui contingit, ut in partem sui, in sui dimidium et ξύμβολον incidat, ambo illi obstupescunt continuo, discedere a se invicem nolunt, nec dicere queunt, quid sibi a se invicem expetant: non enim id esse videtur venereus coitus, quasi, hujus caussà, mutua consuetudine tantopere delectentur, sed aliud quid utriusque animus anquirit, quod quale sit dicere non potest, sed quasi vaticinatur quid cupiat, et obscure indicat. Quodsi illos, se mutuo amplexos, adstans cum instrumentis Vulcanus rogaret: quid est tandem, homines, quod vobis fieri a vobismet invicem velitis? et ambigentes illos iterum percunctaretur: hoccine desideratis, ut, quoad ejus fieri possit, maxime sitis una, ut dies noctesque nunquam a vobis invicem discedatis? Nam id si desideratis, velim vos ego in unum conflare, ut, quamvis duo, unus sitis: et quamdiu vivatis, ambo ut unus idemque vivatis, et postquam mortui eritis, illic denuo in orco pro duobus unus sitis, communiter mortui. Vos vero videte, num hoc cupiatis, vobisque sufficiat, si hoc assequamini. His auditis, scimus, neminem id negaturum, aut aliud quid appetiturum; sed plane se audivisse existimaturum illud, quod dudum desideravisset, ut conjunctus cum amato et commixtus ex duobus unus fieret. Hujus rei caussa est, quod talis fuit vetus natura nostra, fuimusque aliquando integri. Integritatis hujus cupidini et desiderio *amor* nomen est.» 1)

Fabulas interpretari, quae apud Platonem occurrunt, difficillima sane res est. Nam uti nolumus illas accipere ut narrationes quasdam inanes, quibus puerorum instar oblectemur tantummodo, ita cavendum est maxime, ne iis sensum significationemque tribuamus, a philosophi mente abhorrentem. Sed in ipsa etiam exquirenda auctoris mente et sententia facile committimus, ut, formà neglectà, destituamus eas omni gratia et venustate, imo vi maxima, quae formà, habitu, imagine unice exprimitur et veluti oculis proponitur. 2) Quid igitur? In philosophia tradenda Platonis enarrandae nobis tantummodo sunt, quae apud eum occurrunt fabulae? Imo vero explicandae videntur simul et illustrandae, sed ex ipsa antiquitatis et Platonis ratione. Exstat in eodem symposio alia item de amore fabula, brevius enarrata, sed non minus plena interioris philosophiae. «Si quaerimus, ait Diotime, unde ortus sit amor, Porum habuit

---

1) *Symp.* 189. C. — 193. D. Ut caeteros, ita hunc in primis sermonem elegantissime enarravit Wytt. *Bibl. Cr.* I. I. 38. Nos ex eo attulimus, quae maxime *philosophiam* spectarent.

2) Vid. Wytt. in *Epist.* Specimini meo Plat. praemissa p. 37.

patrem, matrem Peniam. Nam quum esset nata Venus, convivium celebrabant Dii, cum caeteri, tum Metidis filius, Porus. Cum autem coenassent, cibum mendicatura, quippe affluentibus illic epulis, accessit Penia et adstitit foribus. Tum Porus, in Jovis progressus hortum, nectare ebrius gravatusque dormiebat. Penia igitur hoc agitans consilium, ut, inops ipsa, ex Poro filium conciperet, juxta illum accubnit et concepit Amorem.» 1) E qua fabula facile ducimus placitum, ex indigentia oriri amorem omnem: anquirere amantem, quo hunc indigentiae sensum expleat: reperto voro isto, insitas virtutes omnes explicare, suamque assequi perfectionem. Quae eâdem aliquis facilitate in totam rerum naturam accommodet. 2) Nec negamus, hujusmodi quid animo concepisse Diotimam, quod ejus sermo nos docebit. Sed multum abfuisse putamus, ut illud ita perspiceret, ita paucis verbis posset explicare, ut nos solemus. Sensisse id obscure videtur, nec totum in amorem et naturam applicuisse. Omnino quod modo de amantibus nobis occurrebat, aliud quid velle utriusque animum, quod dicere non possit, *ἀλλὰ μαντεύεσθαι ὃ βούλεται καὶ αἰνίττεσθαι*, convenit plane et in Diotimam et in totam antiquitatem. Ut sculptis imaginibus Aegyptii, sic Graeci fabulis, significare studuerunt et quasi vaticinati sunt, quae abstracte, ut ajunt, et paucis verbis exprimere nondum poterant. Pariter existimandum de Aristophanis fabula. Etiam hac exprimitur indigentiae sensus, qui in amore dominatur: veruntamen quae inde duxit et quasi elicuit Hemsterhusius, neque Aristophanes perspexisse videtur, nec Plato explicuit: uterque vero *naturam* declarare *amoris* studuit, effecitque illud hac fabula longe evidentius, quam effici accuratissima disputatione potuisset. Placent autem nobis fabulae illae hanc praesertim ob caussam, quod sensibus conveniunt nostris, imo oculis proponunt, quae intus sentimus animo. Nam quae continentur iis amoris notiones, sunt hae sic propriae naturae nostrae, ut lateant in nullis non linguis, in vocibus maxime, quibus caritatis caussâ se mutuo compellare amantes solent, *partem* se invicem *sui*, *dimidium sui* 3) vocantes; ut Horatius appellat Virgilium suum:

Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
eddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae. 4)

---

1) *Symp.* 203. B.

2) Procl. *περὶ ἑνωσ.* p. 121. Creuz. *καὶ πᾶν τὸ ἐρῶν ἐφίεταί τινος, οὗ ἐστιν ἐνδεές.*

3) Nostrum *wederhelft* vim plane exprimit fabulae Platonicae.

4) *Carm.* I. 3. Sic Graeci poëtae, e quibus ductum est Horatianum hocce, v. c. *Meleager.* Anal. Brunck. I. p. 5:

Hac autem perspecta intima amoris necessitudine, intelligimus jam plane, quae de amore dixit Phaedrus, tum etiam hocce, quod dictis subjunxit, uni esse amori proprium, ut alter lubens pro altero mortem subeat. « Nemo ita est ignavus, quem amor ad virtutem non ἔνθεον efficiat: quodque de Diis apud Homerum occurrit, heroibus eos μένος ἐμπνεῦσαι·

— τῷ δ' ἔμπνευσε μένος γλαυκῶπις Ἀθήνη 1)

hoc furore amantes agitat amor. Et vero hi soli pro aliis mortem expetunt, nec viri tantum, sed etiam foeminae. Cujus rei Peliae filia, Alcestis, illustre dedit apud Graecos exemplum, quae sola pro amato mori voluit. Erant Admeto parentes et cognati, sed hos illa, amoris vi et efficacia, sic superavit caritate, ut eos esse extraneos probaret, nec nisi nomine propinquos.» 2)

Homines ἐνθέους ad virtutem efficit amor coelestis.

Diu nos jam tenuit argumentum hocce praeclarum: nec vero idem dimittet nos facile. Nam quod Phaedrus dixit de amore, ἐνθέους eum efficere homines ad virtutem, reducit illud nos sponte ad Ilissi ripas, ubi eundem Phaedrum reliquimus paullo ante, recubantem cum Socrate in molli gramine, sub tegmine patulae platani, et a Socratis quasi ore pendentem, ubi is orationem recitabat adversus amorem. Vix finem ille fecit dicendi, quum ecce! aufugere conatur prae pudore, quippe facinus ausus audaciae et impietatis plenum. « *Δεινόν, ὦ Φαῖδρε,* inquit, *δεινὸν λόγον αὐτός τε ἐκόμισας, ἐμέ τε ἠνάγκασας εἰπεῖν.* Jussisti me dicere in amorem, rem divinam, imo Deum. Et feci, Lysiam imitatus et tibi, Phaedre, gratificaturus: quamquam dixi tecto capite: nam verebar, ne, ut Ibycus ait, in Deos delinquerem, dum gratiam inire apud mortales gestirem. Expiandum igitur facinus est: nam aufugere me non sinit genius meus et metuo amorem, in quem peccavi gravissime. Age, palinodiam canam, ut cecinit Stesichorus, qui, culpare ausus Helenam, visu privatus est, sed, peccato cognito, continuo dixit: ***haud verus est sermo iste:*** et decantata palinodia, usum recuperavit oculorum. Sic ego jam, detecto capite, solemniter dico: non meus est sermo, 3) quem dicere me coëgerunt Lysias

---

οὔριος ἐμπνεύσας ναύταις
Νότος, ὦ δυσέρωτες, ἥμισύ μεν ψυχᾶς ἅρπασεν
ἀνδράγαθον.

1) *Il.* K. 482.

2) *Symp.* 179. A.

3) *Οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς παρά.* Eurip. *Menalippe.* Cf. Stallbaum ad *Apol. Soc.* p. 24. Vid. *Symp.* p. 177. A.

et Phaedrus hicce, amanti non esse gratificandum, sed ei, qui non amet: hunc enim esse temperantem, illum furore agitari: quasi scilicet omnis furor culpandus esset: imo vero *τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν γίγνεται διὰ μανίας, θείᾳ μέντοι δόσει διδομένης· honorum maxima obtingunt nobis per furorem, divino quidem munere datum.* Nam quae Delphis est Pythia, quaeque Dodonae sunt sacerdotes, furore agitatae multa et praeclara privatim publiceque in Graeciam contulerunt beneficia; mentis vero compotes, exigua vel nulla. Quodsi memorantes Sibyllam et quotquot, divinitus afflati, vaticinandi arte usi sunt, enumerare velimus, quam multis verissime de rebus futuris praedixerint, et longum institueremus sermonem et illud diceremus, quod omnibus patet. Hanc artem vaticinandi veteres *μανικὴν* dixerunt, non *μαντικήν*, quae recentiorum est perversitas, *μανίαν* quippe significantes, qua unice perficitur. 1) In avibus observandis humana quaeritur cogitatio, intelligentia, disquisitio, *οἴησις, νοῦς, ἱστορία*, unde *οἰονοϊστική*, quae hodie vocatur *οἰωνιστική*. 2) Sed hac arte quanto illa nobilior est et nomine et re, tanto prudentiâ humanâ praestabilior furor est, qui divinitus excitatur: quod ipsi testati sunt antiqui, ut e nominibus intelligitur. Jam vero ingravescentibus morbis et calamitatibus, furor non neminem occupat, et, quo illis pacto liberari oporteat, vaticinatus, remedium eorum invenit. Confugiunt illi ad Deorum preces et cultum: unde expiationes initiationesque consecuti, integri purique redduntur ad praesens tempus et futurum, per rectum hunc furorem praesentium malorum sibi liberationem invenientes. Tertius a Musis est furor, qui tenerum intactumque animum occupans, excitat eum afflatque cantibus omnique poësi, atque innumera celebrans antiquorum facinora, posteros instituit. Quicunque vero sine Musarum furore poeticas fores adit, confidens, arte se quadam poëtam esse evasurum, nec voti ille compos fiet et evanescit ipse cum prudenti sua poësi prae illorum poësi, qui divino afflantur numine.» 3) Et hoc quidem orationis cursu et quasi flumine procedit deinceps Socrates ad furorem, qui amori inest, contenditque, *ὡς ἐπ' εὐτυχίᾳ τῇ μεγίστῃ παρὰ θεῶν ἡ τοιαύτη μανία δίδοται· hujus-*

1) Obiter hic Platoni restituamus, quod excidisse videtur, τὸ κ. Legendum: *οὐ γὰρ ἂν τὴν καλλίστην τέχνην, ᾗ τὸ μέλλον κρινέται, αὐτὸ τοῦτο τοὔνομα, τὸ Κ ἐμπλέκοντες, μανικὴν ἐκάλεσαν. — Non enim pulcerrimam artem — hoc ipso nomine (μανίας), inserta Κ, μανικὴν vocassent.*

2) Recte sic locum servavit et explicuit *Hermias* scholiis ad h. l. Vid. *Ast.* ad h. l.

3) *Phaedr.* 242. B. — 245. A 265. B. Cf. Plato *Ione* p. 533. E. 534. A. et *Apol. S.* 22 B. Ex Democriti placitis profecisse Platonem, probabiliter animadvertit *Groenius* Prosopogr. Plat. p. 41. Platonis de poësi sententiae hanc Democriti apponit Clem. Alex. *Strom.* VI. p. 827. *Ποιητὴς δὲ ἅσσα μὲν ἂν γράφῃ μετ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ ἱεροῦ πνεύματος, καλὰ κάρτα ἐστίν.*

cemodi furorem hominibus a Diis ad maximam eorum felicitatem dari. Nos vero subsistamus hic paulisper.

Divino impetu optima quaeque in hominum genere exstiterunt: de ἐνθουσιάσει *amoris.*

Nam quod modo de Pythia memoravit, ejusmodi est, ut mentem uostram totam advertat. Multi sic loqui de oracnlis solent, quasi totum negotium fraudibus tribnendum sit sacerdotum, qui Pythiam, uescio quam, furibundam, sive simulantem furorem populis proposuerint: quo scilicet magis ipsi consilia perficerent sua divinâ auctoritate. Quae vulgaris hominum sententia nec a poëtis probatur, qui Pythiam, Sibyllam, similes vates, ut ἐνθέους, Deo plenas celebrant: et refutatur plane antiqua Graecorum historiâ, in qua eadem illa Pythia rexit plane res Graecorum. 1) Scilicet negari nequit, fraudes saepe commissas esse posteriore in primis aetate, ac fuisse apud Graecos, ut apud nullos non populos, falsos prophetas, qui afflatum simularent divinum, ipsi frigerent auri cupiditate. At vero uti apud tragicos occurrit Cassandra, 2) apud Virgilium Sibylla, sic profecto Delphis aliquando poëtico afflatu agitata fuit Pythia. Carmina canebat ipsa, et totus ille locus poësi plane congruebat. Ludi illic celebrari solebant gymnici, ut Olympiae, Nemeae, in Isthmo Corinthiaco, sed illic in primis *musici*. Imo vero in vicinia erat mons Parnassus, sedes Musarum, ab omnibus celebratus omnis aevi poëtis. 3) Nec sinit nos dubitare de hac re sententia Platonis, gravissima sane et evidentissime enunciata. Nam quod de poetis pronunciat, idem contendit de Pythia similibusque poetriis: μανεῖσαι μὲν πολλὰ δὴ καὶ καλὰ ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ τὴν Ἑλλάδα εἰργάσαντο· σωφρονοῦσαι δὲ, βραχέα, ἢ οὐδέν. 4) Sic poësi intercessit antiquitus cum politica conjunctio; intercessit autem pariter, quod hic nobis animadvertendum, cum philosophia. Nam sic porro dicit de amore Socrates, sic Deum celebrat sublimi palinodiâ, ut ipse videatur, vatis instar, divino afflatu agitatus. Θεῖος, inquit, ἔοικεν ὁ τόπος εἶναι· *divinus videtur hic locus esse:* haud mirum

1) Monui hac de re in *Diatr. in civitates antiquas*, commentationibus inserta tertiae classis Instit. Belg. II. p. 20.

2) Cic. *de Divin.* I. 31.

3) Eurip. *Ione.* 82. et passim.

4) Cic. *de Divin.* I. 18. 19. 31. 37. et loca veterum a *Davis.* allata. Adde Plat. *Timaeo* 71. E. ἱκανὸν δὲ σημεῖον, ὡς μαντικὴν ἀφροσύνῃ θεὸς ἀνθρωπίνῃ δέδωκεν· οὐδεὶς γὰρ ἔννους ἐφάπτεται μαντικῆς ἐνθέου καὶ ἀληθοῦς. Huc item pertinet ὁ παλαιὸς μῦθος, quem memorat Plato *de Legg.* 719. C. ὅτι ποιητής, ὁπόταν ἐν τῷ τρίποδι τῆς Μούσης καθίζηται, τότε οὐκ ἔμφρων ἐστὶν, οἷον δὲ κρήνη τις τὸ ἐπιὸν ῥεῖν ἑτοίμως ἐᾷ.

iccirco, si quando νυμφόληπτος fiam, *Nymphis corripiar*, quae hunc locum habitant, nec poëticis solum verbis loquar, sed dithyrambis adeo. Et hymnum sic recitat Pindaricum plane, et tamen philosophum de amore, de pulcro, de ideis, de vita beata cum Deorum immortalium, tum hominum, de furore in primis amoris, qui pulcri adspectu excitatur extemplo, efficitque excitatus, ut, alis restitutis, quas dudum amisimus, his nos sublati in pristinam sedem nostram, ad veri spectaculum redeamus aliquando. Huc enim, huc, inquam, spectat, quem Plato celebravit, amor. Age, sequi porro conemur philosophum, quamquam assequi hîc certe non licebit. Sed agemus id, quod jam aliquoties instituimus, ut praeparemus ad illa intelligenda legentium animos.

Elaborato isti et artificioso Lysiae sermoni opponere jam coepit Socrates sublimem, quam vocat, palinodiam, contenditque, non omnem furorem homini nocere, esse eum subinde homini salutarem, ac sine enthusiasmo nec poëtas fuisse, nec vates claros, nec Graeciae consuluisse Pythiam aut Sibyllam. Tum vero descripto sublimi oratione Deorum animorumque ad coeli verticem itinere, ubi campum viderunt veritatis, ipsam adspexerunt veritatem, pura in luce fulgentem: descriptis his omnibus, quae jam ante adumbravimus, 1) enthusiasmum celebrat tandem, quo amantium agitantur pectora. 2)

Coelestibus illis sacris initiati aliquando fuimus, sed animi nostri lapsi sunt deinde in hasce terras, ubi corpore induto, sensibus jam utimur ad verum cognoscendum, incertis fluctuamus opinionibus, voluptatibus item distrahimur et cogimur plane deorsum spectare. Superest nobis recordatio coelestium sacrorum, sed haec sensim paulatimque perversis studiis in animis evanescit. Nam non est hîc uspiam veri, boni, justi, sancti effigies ulla, quae illa in memoriam revocet. Non enim sensibus haec percipiuntur, cogitando solum et ratiocinando aegerrime illa assequimur. Quidsi oculis cernere veritatem et sapientiam possemus, admirabiles sui amores excitarent. Veruntamen *pulcrum*, quod illic lucebat summo splendore, hîc habet clara et splendida simulacra. Nam pulcra sensibus patent et eo percipiuntur sensu, qui omnium est acutissimus. Quamobrem in praesente hac conditione nostrâ pulcritudo hanc vim habet, ut evidentissima sit et mentem advertat continuo, et amorem excitet flagrantissimum, quippe ipsa rerum omnium maxime amabilis, et vero instauret efficacissime omnem pristinae felicitatis divinique spectaculi recordationem. Ergo qui recens initiatus, eorum, quae tum spectabantur, quam plurima percepit, is, quando divinum adspicit vultum, vel corporis speciem, ipsum pulcrum plane referentem, primum quidem cohorrescit, subitque ipsum tremor aliquis, ut illic antea: deinde vero adspiciens

---

1) Supra p. 50.

2) Vid. Plutarch. *Amat.* p. 756.

et contemplatus, ut Deum aliquem colit amasium, et, nisi vereretur insaniae speciem, sacrificaret plane illi, tanquam statuae et Deo. Intuentem vero, ex horrore illo capit eum veluti commutatio quaedam insolita et sudor et calor. Nam per oculos suscipiens pulcritudinis effluvium, quod emollit et quasi liquefacit animum, incalescit totus et germinare in animo incipiunt alae. Hinc pruritus: hinc dolores, ut dentium orientium: hinc fervet universus animus et aestuat, nec lenitur, nisi pulcri adspectu; sed absens furentis est similis nec noctu capit somnum, nec interdiu consistit; sed quaerit ubivis pulcrum, cujus ferre non potest desiderium. Adspiciens autem denuo et hauriens veluti ex oculis effluvium cupidinis, *τοῦ ἱμέρου*, quo liquescit denuo, respirat, stimulisque et doloribus liberatus, hac fruitur dulcissima voluptate. Quocirca ultro nunquam relinquit pulcrum, nec quidquam pulcro pluris facit, sed matris, fratrum, amicorum obliviscitur, nec curat rem familiarem, quamvis negligentiâ pereat, imo decorum et honestum, quo antea se efferebat, contemnit et servit plane amasio, nec discedit ab eo noctu, quippe non veneratur tantum, sed remedium eum habet gravissimorum dolorum. 1)

Hic enthusiasmus est amoris, in quo describendo cum poëtis antiquis concertasse videtur Plato. Nam carmen est plane, quamquam plenum philosophiae: et ab initio dixerat Socrates, refertum se pectus habere eorum, quae a poëtis, a Sapphone in primis et Anacreonte acceperat. Nec Graeca aliquis sensu affectuque legerit, quin Sapphicam vere rationem sublimitatemque agnoverit. Pauca nobis supersunt Lesbiae poëtriae fragmenta, sed superest amoris descriptio, una instar plurimorum carminum.

— ὡς γὰρ εἴδω σε, βροχέως με φωνᾶς
οὐδὲν ἔτ' ἴκει,
ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσ' ἔαγε· λεπτὸν δ'
αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν,
ὀππάτεσσιν δ' οὐδὲν ὄρημ', ἐπιβομ-
βεῦσι δ' ἄκουε·
καδδ' ἱδρὼς ψυχρὸς χέεται, τρόμος δὲ
πᾶσαν ἀγρεῖ —

---

1) *Phaedr.* 250 — 252. B. Animadvertendum, corruptum videri locum 249. D. *Ἔστι δὴ οὖν δεῦρο ὁ πᾶς ἥκων λόγος περὶ τῆς τετάρτης μανίας*, quod vix Graecum est. Leni emendatione legendum: *Ἔστι δὴ οὖν δεῦρο προσήκων ὁ πᾶς λόγος* — *huc igitur pertinet omnis sermo de quarta furoris specie.* Ficinus: *Tendit igitur huc omnis sermo.* Item p. 245 B. *μηδέ τις ἡμᾶς λόγος θορυβείτω δεδιττόμενος, ὡς πρὸ τοῦ κεκινημένου τὸν σώφρονα δεῖ προαιρεῖσθαι φίλον* — legendum est *θορυβείτω αἰνιττόμενος*. Cf. *Stallb.* ad h. l. Ficinus: *neve ulla nos ratio absterreat, ostendens* —

quibus expressa sunt plane, ut ait Longinus, qui haec nobis servavit, *τὰ συμβαίνοντα ταῖς ἐρωτικαῖς μανίαις παθήματα.* 1) Unde Horatius:

Nec, si quid olim lusit Anacreon,
delevit aetas: spirat adhuc amor,
vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae. 2)

Hinc autem non facile quis dubitabit, quin colorem duxerint Platonica illa, quae Latine jam memoravimus: *ὁ δὲ ἀρτιτελὴς, ὁ τῶν τότε πολυθεάμων, ὅταν θεοειδὲς πρόσωπον ἴδῃ — πρῶτον μὲν ἔφριξε καί τι τῶν τότε ὑπῆλθεν αὐτὸν δειμάτων· εἶτα προσορῶν ὡς θεὸν σέβεται — ἰδόντα δὲ αὐτὸν, οἷον ἐκ τῆς φρίκης μεταβολή τε καὶ ἱδρὼς καὶ θερμότης ἀήθης λαμβάνει.* *Alae* autem apud Platonem prorsus poësin spirant. Affert adeo Socrates Homeridarum versum, quo amor dicitur ab hominibus *ἔρως*, a Diis vero vocari *πτέρως, διὰ πτεροφύτορ' ἀνάγκην.* 3) Nec praetermittendum est, *τῷ ἱμέρῳ* maxime, i. e. *cupidini* vim tribui ad alarum germinationem. Cupidinem autem poëtae alis instruxerunt, ut apud Anacreontem occurrit Amor. 4) Haud defuerunt adeo antiquitus, qui Socratis *ἐρωτικὴν*, uti apud Platonem exstat, eum Sapphus et Anacreontis amoribus compararent. Laudat eorum Maximus Tyrius nonnulla, quae Socraticis ac Platonicis conveniant. In quibus singulis conferendis judicium aliquis fortasse desideret auctoris, nec tamen haec, ut videtur, comparaturus fuisset, nisi nonnihil in iis exstitisset similitudinis. 5) Caeterum quae elegantissima sunt in hac descriptione loca: *δεξάμενος γὰρ τοῦ κάλλους τὴν ἀποῤῥοὴν διὰ τῶν ὀμμάτων· — ὅταν μὲν οὖν βλέπουσα (ἡ ψυχὴ) πρὸς τὸ τοῦ παιδὸς κάλλος, δεχομένη τὸν ἵμερον — θεῖ δὲ ποθοῦσα ὅπου ἂν οἴηται ὄψεσθαι τὸν ἔχοντα τὸ κάλλος· ἰδοῦσα δὲ καὶ ἐποχετευσαμένη ἵμερον* — 6) vel fallor, vel ab Euripideo fonte fluxerunt:

---

1) *περὶ ὕψ.* c. 10.

2) *Carm.* IV. 9. 9.

3) p. 252 C. De hac lect. vid. *Heind.* et *Ast.* h. l. Cf. *Groen*, Prosop. p. 169.

4) Vid. Eurip. *Hippol.* vs. 1274. et *Helena* vs. 674. Cf. Plut. *Amat.* 763. F.

5) Quod amantes rogat Vulcanus et p. 67 nobis allatum est: *τί ἔσθ' ὃ βούλεσθε, ὦ ἄνθρωποι, ὑμῖν παρ' ἀλλήλων γενέσθαι; — ἆρά γε τοῦδε ἐπιθυμεῖτε;* — similiter fortasse ductum ex Sapphus *oda in Venerem* p. 8. Wolf, ubi Venerem ad se venisse dicit rogantem:

— ὄττι γ' ἦν τὸ πέπονθα —
κ' ὄττι ἐμῷ μάλιστ' ἐθέλω γενέσθαι
μαινόλᾳ θύμῳ.

Pariter certe in hisce amoris expressum est desiderium.

6) *Phaedr* 251. B — E.

Ἔρως, Ἔρως, ὃς κατ' ὀμμάτων
στάζεις πόθον, εἰσάγων γλυκεῖαν
ψυχαῖς χάριν· 1)

Sed furore describendo amoris altius spectavit Plato, quam poetae solebant. Nam tantum abest, ut voluptates excitare studuerit, ut amoris expresserit vim divinam, qua evehat mortales homines ad Deorum immortalium imitationem et similitudinem. Quod nobis jam proximum est, ut quodammodo explicemus.

De amoris apud Platonem et philosophiae necessitudine.

In pristina illa vita et coelesti, quum fruebamur identidem pulcerrimo veri spectaculo, Deum quique nostrum, ut ducem, solebamus sequi, in cujus choro versabamur: eumque habebamus singuli quasi choregum nostrum, cui ipsi essemus naturâ et studio simillimi. Exclusi jam festis illis chorisque divinis, non solum spectare illa non possumus, sed desideramus etiam aegerrime quem colamus, quem imitemur, quem sequamur. Veruntamen quod tum nobis contigit et postea ademtum est, id nunc nobis amor restituit. Amasium unusquisque quaerit Deo similem, quem tum veneratus est, et hunc eodem veneratur prosequiturque, quo illum, honore. Qua in re maxima cernitur amantium diversitas. Nam qui Martem fuerunt secuti, ut ipsi sunt sanguinolenti, ita talem etiam amasium quaerunt: sic alium quaerunt, qui Junonis, alium, qui Apollinis, alium, qui alius secuti sunt chorum. Omnes vero ad sui similitudinem Dei et amatum et semetipsos componere student. Accidit ita, ut diversus sit item amandi modus, amorque non omnibus similiter prosit. Qui vero Jovem aliquando choregum habuerunt, Jovialem quaerunt, quem ament: σκοποῦσιν οὖν, εἰ φιλόσοφός τε καὶ ἡγεμονικὸς τὴν φύσιν· *considerant igitur, num philosophus sit naturâ atque ad imperandum natus:* qualem ubi invenerunt, non amant eum solummodo, sed enituntur simul, ut indoles ejus generosa explicetur tota. Quod efficere conantes, non minus sibimetipsis, quam amato, consulunt. Nam si antea philosophiam haud rite aggressi sunt, tunc in eam incumbentes, et aliunde discunt undecunque licet, et ipsi per se proficere nituntur. Explorantes autem semetipsos, ut investigando assequantur Dei sui naturam, voti tandem compotes fiunt, propterea, quod in Deum intendere omnem mentis aciem coguntur. Tum vero assecuti illum recordatione, ejusque numine afflati, ex eo mores et studia delibant, quatenus homini fas est Dei esse participi. Hujus autem beneficii amasium habentes auctorem, magis etiam eum diligunt; quodsi,

1) *Hippol.* vs. 525. De scriptoribus, qui Platonem imitati sunt vid. *Ast.* ad h. l.

bacchantium instar, ex Bacchi fonte hauserint, 1) eo irrigant amasii animum, simillimumque eum efficiunt Deo suo. 2) Sic amans amatum, quasi hic Deus sit ipsi, tanquam statuam informat et exornat, utpote culturus eum festisque celebraturus. 3)

Nec tamen ita continuo suo quisque amasio prodest. Nam ut primum quis adspexit divinum illum vultum, qui spirat amorem, germinantibus alis, furore corripitur vehementissimo, nec sui est compos. Optimus etiam quisque libidinem, tanquam equum ferocientem, aegre domat, et nisi temperantia et fortitudo, una cum prudentia, ipsius in animo vigerent, freno coërcere tantam libidinem nullo modo posset. Sed vincit prudentia cum studio honesti conjuncta, quoque ipse agitatur amore, eodem jam imbuit amasium. Nam ut ex hoc suscepit per oculos pulcritudinis effluvium, quo incaluit totusque est commutatus, sic, venti instar aut echûs, redit hicce ἵμερος ab amante in amasii animum, eumque implet amore et quasi irrigat emollitque, ut pariter oriantur alae. Itaque hic quoque amat, sed quid amet nescit, nec potest declarare, quid ipsi evenerit. Fit autem mutuo hoc amore, ut tanquam in speculo, in amante semetipsum adspiciat: *ὥσπερ δὲ ἐν κατόπτρῳ ἐν τῷ ἐρῶντι ἑαυτὸν ὁρῶν λέληθε.* 4) Absens igitur desiderat eum, ut ab eo desideratur vicissim, nec quidquam cupit vehementius, quam ut semper cum eo sit una. Et sic quidem ambo beatam atque concordem praesentem agunt vitam, modesti et sibimetipsis imperantes, subactis, e quibus vitia, in libertatem vindicatis, e quibus virtutes oriuntur; mortui vero, recuperatis alis, praepetes evolant, cum trium certaminum vere Olympicorum unum pervicerint: *οὐ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτε σωφροσύνη ἀνθρωπίνη οὔτε θεία μανία δυνατὴ πορίσαι ἀνθρώπῳ· quo sane praestabilius bonum nec humana temperantia, nec divinus furor homini afferre ullum potest.* 5)

Sic *amoris* est apud Platonem arctissima cum *philosophia* conjunctio. Commune utriusque est et summum propositum, ut ad veritatem ac sapientiam adducat hominem, imo reddat homini, quam amisit, felicitatem. Nam ut restituit eum philosophia in conditionem pristinam, ita alas ei adaptat amor, quibus sublatus in beatum Dei sui quasi chorum

1) p. 253. A. Prorsus hinc alienum est Jovis nomen; nam de eo ipso, qui Jovis comes fuerat, sermo est, ut mox de Junonis comite; ipsa praesertim Baccharum mentio abhorret a Jovis mentione facta. Quare sic legendum: *κἂν ἐκ Διονύσου* (pro *Διὸς*) *ἀρύτωσιν, ὥσπερ αἱ βάκχαι, ἐπὶ τὴν τοῦ ἐρωμένου ψυχὴν ἐπαντλοῦντες* —

2) *Phaedr.* 252. C — 253.

3) *Eod.* 252. D.

4) *Eod.* 255. D.

5) *Eod.* 256. A. B.

redeat. Sic utrique adscribitur divinum munus, ut hominem efficiat Deo similem. Sed hujus uondum loci est, illam explicare, quam Plato ubivis praedicat, *ὁμοίωσιν τῷ θεῷ*. Praestat hic apponere Socraticae palinodiae epilogum, elegantissimum illum, et vero amoris declarantem et philosophiae conjunctionem. « Haec tibi, dilecte Amor, recantatio pulcerrima et optima, ut potuimus, exsoluta est et dicata, quam et hoc modo canere et verbis proferre poëticis a Phaedro coacti sumus. Tu vero et ante dictis ignoscens et haec a nobis placide accipiens, benignus mihi adsis et propitius, quamque dedisti mihi, ne auferas irâ neve imminuas artem amatoriam. Quodsi quid hactenus numine tuo indignum a Phaedro et a me dictum sit, Lysiam accusans, orationis illius auctorem, averte eum ab hujusmodi sermonibus, ad philosophiam vero converte, ne ejus amplius exemplo amator hicce, Phaedrus, incertus fluctuet mutetque senteutiam, sed in *amoris* et *sapientiae* studio vitam transigat constanter.» 1)

Est profecto venustus in primis et sublimis dialogus hicce: nec mirum, captos ejus suavitate fuisse elegantissimos quosque scriptores. Habuerunt eum erotici omnes tanquam pratum quoddam jucundissimum, unde flores carperent sciiptis suis. 2) Cicero vero rusticans in villis cum amicis et scribens etiam de eloquentia et de legibus constituendis, mente subinde et cogitatione totus versabatur in sacris illis Ilissi tractibus. Scaevolam inducit cum Crasso aliisque in hujus Tusculano ambulantem, et duobus spatiis tribusve factis, haec usurpantem: 3) « Cur non imitamur, Crasse, Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis? nam me haec tua platanus admonuit, quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cujus umbram secutus est Socrates, quae mihi videtur non tam ipsa aquula, quae describitur, quam Platonis oratione crevisse:

---

1) *Phaedr.* 257. A. B.

2) V. c. Plutarchus, Lucianus, Aristaenetus, Alciphron, alii: quod cum studiosius, quam aptius, agerent nonnulli, carpsit eos Plutarchus, qui *γλίχονται τὸν Πλάτωνος Ἰλισσὸν καὶ τὸν ἄγνον ἐκεῖνον καὶ τὴν ἠρέμα προσάντη πόαν πεφυκυῖαν ἐπιγράφεσθαι. Amat.* 749. A. Fortasse etiam philosophi profecerunt inde; certe principes eorum *ἐρωτικὰ* scripserunt: *Aristoteles*, cujus librum secundum *ἐρωτικῶν* memorat Athen. XV. 674. Cf. Diog. L. V. 22.; *Zeno*, vid. Diog. L. VII. 34. *Epicurus*, vid. id. X. 27. *Cleanthes*, qui conscripsit *ἐρωτικὴν τεχνὴν*, vid. id. VII. 175. alii.

3) *De Orat.* I. 7. (Verbis: *venisse eodem, socer ejus qui fuerat, Q. Mucius dicebatur*, aliquid excidisse puto. Fortasse legendum: socer ejus, *qui principum fuerat.* Nam et insulsa est recepta lectio (cf. II. 6, 22), et proxima *consiliorum — socius* non habent, quo, Ciceronis more, referantur. Caeterum *admonuit* non ita displicuit, ut cum Bakio (Schol. Hyp. II. 57.) *admonet* corrigerem. Indicari enim videtur, iisdem spatiis bis terve inambulatum esse. Tertium ventitantibus Scaevola miratus: Cur non — *admonuit* — Ed.)

et quod ille durissimis pedibus fecit, ut se abjiceret in herba atque ita illa, quae philosophi divinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certe concedi est aequius.» Ipse Cicero rusticans cum fratre et Attico in fundo suo Arpinate, ut ambulando devenerant ad insulam in Fibreno, hunc amnem Ilisso comparat: «nullum hoc, inquit, frigidius flumen attigi, cum ad multa accesserim, ut vix pede tentare id possim: quod in Phaedro Platonis facit Socrates.» 1) Sic omnino ceperat Ciceronem venustissimus dialogus, ut Phaedrus ille et amnis et platanus et caetera omnia in sancto illo loco semper ipsius animo essent praesentia. Sed quae *divinitus* illic, ut idem ait, *Socratis ferunt esse dicta*, haec vero in admirationem rapuerunt posteros. Scilicet scripsit hunc dialogum Plato, non ut Symposium provectiore aetate, sed ipso juventutis vigore. Quo factum, ut vim poeticam, qua naturâ valebat, in eo scribendo explicaret totam. Et hinc sublimitas illa, hinc sensus illi excelsi de pulcro et vero, quales hic unice expressos reperimus. Exstant in hoc dialogo Pythagoreorum placita: μῦθον illum, ut diximus, eorum metempsychosi magnam partem debemus. Quodsi cum hisce Pythagorica comparamus, quae in Phaedone v. c. et in Politia occurrunt, sic vero maxime nobis in Phaedro juvenilis auctoris vigor apparebit. 2) Nec vero diffiteor, vitia hinc etiam contraxisse dialogum. Qui enim ordo in Symposio, in Phaedone, in aliis philosophi scriptis perfectus est fere, desideratur ille in Phaedro. Non unum est argumentum, quo referantur omnia; sed, cum agendum videatur proprie de dicendi scribendique arte, episodium de amore partem dramatis fere maximam occupat. Dictio item, quod veteres reprehenderunt, 3) sic migrat subinde prosae orationis fines, ut poëtica atque adeo dithyrambica videatur. Sed vitia haec juvenilis luxuriantisque ingenii quis adeo est severus, quin huic aetati ignoscat? Accedit argumenti sublimitas et poëtica ratio. Haud enim facile reperiatur, qui amantium describens ac poëtarum enthusiasmum, ipse sibi caveat, ne exsultet subinde oratio ac poëticum quid et dithyrambicum sonet. Habuit hoc Plato cum Democrito commune, qui item scripsisse de furore videtur. 4) Quo nomine jungit eos Cicero. 5) «Video, ait, visum esse non-

---

1) *De Legg.* II. 3. adde *Orat.* c. 4. 12. 13. *De Div.* I. 37. *Tusc. Q.* I. 23.

2) Diog. Laert. III. 38. Aliter hac de re judicat Socherus, *über Platons Schriften* p. 309.

3) Dicaearchus apud Diog. L. III. 38. Dionys. Hal. *Ep. ad Pomp.* c. 2. p. 203. et in *Jud. de Demosth.* c. 6. p. 271. Iniquius sane illi, quam verius. V. Wytt. *Epist.* ad Spec. meum p. 43. Ut autem Socratem Aristophanes, sic Platonis scripta comici exagitarunt. Vid. Diog. L. III. 26 - 28. Phaedrum scripsit Alexis, qui parodia videtur fuisse Phaedri Platonici. Vid. Athen. XIII. 562. A.

4) Vid. supra p. 70. not.

5) *Orat.* c. 20.

nullis, Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen, quod incitatius feratur et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandum, quam comicorum poëtarum.» Caeterum Plato, quod principio monuimus, a poësi ad philosophiam progressus est, et ea vivebat aetate, qua ligatae orationis et solutae discrimen, quod ad philosophiae studium attinet, idoneis nondum legibus erat definitum. Quo minus nobis committendum est, ut scripta viri et placita ad posterioris et nostrae adeo aetatis conditionem exigamus. Tantum autem abest, ut haec ejus de amore dicta levia putanda sint ac philosopho indigna, ut interioris contineant doctrinae Platonicae principia. Quod nobis tum maxime manifestum erit, quum eo pervenerimus, quo omnis apud Platonem tendit philosophia pulcri, ad *ipsius pulcri scientiam.* Sed quo facilius eo perveniamus, de artibus jam porro agendum est, quae ad pulcri amorem ducunt, hominemque praeparant, ut ipsum aliquando pulcrum cognoscat.

DE ARTIBUS,

QUAE AD PULCRI DUCUNT AMOREM,

IN PRIMIS DE MUSICA.

Multa tulit et nova et praeclara saeculum praecedens. In quibus haud infimum tenet locum artium elegantiorum, quod effloruit, studium. Nam cum adhaesisset antea doctrinis ratio quaedam scholastica, quae et ipsas obscuraret et literis obesset ac philosophiae, *pulcrum* exquiri summo studio coepit. Quo accidit, ut, quidquid antiquarum esset artium superstes, sculpturae, statuariae, architecturae, similium, illud et exploraretur diligentius et cum pulcri venustique sensu judicaretur: tum etiam nullum non disciplinarum genus venustatis quendam susciperet colorem: quin nova exsisteret doctrina, *aesthetica* vulgo dicta. Quocirca nemo facile hodieque in philosophiam incumbat Platonis, quin locum hunc tractaus, qui est de pulcro et amore, Platonicae iuvestiget, si quae sit, aestheticae principia. Et profecto, cum merito haec doctrina gravis habeatur philosophiae pars, eo magis, quid de artibus existimaverit Plato, exquirendum videtur.

Quid illud est, quod in artium studio reprehendit Plato?

Sed ingredientibus hoc argumentum, id nobis continuo mirum videatur, quod constat, haud praeclare existimasse Platonem de poëtis, oratoribus, statuariis, pictoribus, de iis omnino, qui artes coluerunt: imo vero, una cum hisce, artes etiam eorum tantum non contemsisse. Quod eo minus videatur explicari posse, quo magis abhorret ab indole et studiis

Platonis. Nam ipse poëta fuit et orator: utramque artem philosophiae adhibuit, et hinc maxime repetenda philosophiae Platonicae admirabilis illa elegantia et sublimitas. Excelluit adeo in oratoribus, quod judicabat optimus sane harum rerum judex, Cicero. Vocat eum *non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimum auctorem et magistrum: longe omnium, quicunque scripserunt, aut locuti sunt, et suavitate et gravitate principem.* 1) *Jovem adeo, dicebant veteres philosophi, si Graece loquatur, sic loqui.* 2)

Respiciamus vero philosophiam viri, e cujus propria notione haec ipsa explicari debent et quaecunque in ejus opinionibus vel mira vel absurda videntur. Est illa veri studium, non ejus quod *esse videtur*, sed quod *est*. Quapropter rejicit artes, quae vulgo dicuntur, et una cum artibus artifices, qui non res, sed rerum simulacra et umbras imitantur: ne ipsi quidem Homero parcens, quamquam haud sine verecundia de eo loquitur. Declarant id sermones festivi, quos Socrates in Politia cum Adimanto instituit. Artificem, inquit, qui unus omnia efficere potest, quae singula singuli efficiunt artifices, qualem hunc vocas? — Solertem quendam memoras et mirabilem virum. — Nondum tu ita: mox magis sic de eo pronunciabis. Idem enim hicce artifex non solum omnia potest supellectilia facere, sed etiam omnia quae ex terra nascuntur efficit et animalia omnia, cum caetera, tum etiam semetipsum: praeterea terram et coelum et Deos et quaecunque in coelo atque in orco sunt, haec omnia efficit. — Sophistam nobis narras perquam mirificum. — Dubitas? sed dic mihi, quaeso, nullusne tibi esse videtur hujusmodi artifex? non intelligis, temetipsum posse haec omnia quodammodo efficere? — Quo tandem modo? — Haud difficili illo, sed quo passim et celeriter fabriceris; celerrime autem, si velis speculum in manus sumtum in omnes partes circumferre: celeriter et solem efficies et quae sunt in coelo: celeriter terram, imo vero temetipsum et caetera animantia et supellectilia et germina et quaecunque modo sunt memorata. — *Ναί, ἔφη, φαινόμενα, οὐ μέντοι ὄντα γέ που τῇ ἀληθείᾳ· quae videntur, non quae revera sunt.* — Pulcre hoc tu et opportune dicis. 3) Hoc in genere fabrorum pictor censendus est: censendi sunt item poëtae et quotquot *φαντάσματα, ἀλλ' οὐκ ὄντα ποιοῦσιν.* 4) Quodsi rogamus eos, cujus artis periti consulant humano generi, ut medicinae Aesculapius, legislatoriae Lycurgus et Solon, vitae rite instituendae Pythagoras periti, civibus quisque suis et discipulis profuerunt, quam memorent artem, non reperiunt. Scilicet nec veritatis ullam nec utilitatis rationem habentes, spe-

1) Cic. *Orat.* 3 et 19. *de Orat.* I. 11.
2) *Bruto.* 31.
3) *De Rep.* X. 596. B.
4) *Eod.* 599. A.

ciem sectantur, res vero negligunt. *Οὐκοῦν τιθῶμεν, ἀπὸ Ὁμήρου ἀρξαμένους, πάντας τοὺς ποιητικοὺς μιμητὰς εἰδώλων ἀρετῆς εἶναι, καὶ τῶν ἄλλων περὶ ὧν ποιοῦσι, τῆς δὲ ἀληθείας οὐχ ἅπτεσθαι.* 1)

Quo spectant potissimum apud Platonem artes?

Videtur igitur Plato sic de artibus statuisse, ut philosophiae, quam profitebatur, satisfaceret. Sed dicat hic aliquis: Esto, in philosophiam non peccaverit Plato; sed peccavit in artes. Has enim nemo non coluit, nisi qui ab ipsa esset humanitate alienus. Atqui, o bone, nec Plato fuit ab omni humanitate alienus, et coluit artes: sed non illas, quae vulgo habebantur, et ad oblectandos hominum animos summopere, ad emendandos vero parum aut nihil aptas et efficaces. Eas coluit et optimo cuique maxime colendas censuit, quae quasi *τύπον* haberent veritatis, animumque adducerent ad ipsum pulcrum, ipsum bonum, ipsas ideas intuendas. Quae vero hinc mentem averterent, converterentque ad inania simulacra, ad inanes umbras, has repudiavit, ut philosopho indignas. Quam Platonis sententiam ut apte explicemus, de summo jam agamus, quod artibus praescripsit, proposito et fine. Sed primum disquirendum est de musicae origine.

De origine musices.

Duxit eam Plato e naturalibus sensibus studiisque animi humani. Censet enim, naturâ nobis proprium esse sensum quendam rhythmi et harmoniae, quo caeteris praestemus animantibus: hoc autem motum ductumque genus humanum, sponte sua et choros agere instituisse et invenisse musicam. In opere de Legibus, quod senex scripsit, senes inducit hac de re colloquentes Cliniam, Megillum et hospitem Atheniensem, quorum hic ita profert sententiam suam. « Videndum, num verus sit et secundum naturam, qui nobis celebratur, sermo: dicimus autem, animantia tantum non omnia, dum juvenili sunt aetate, nec corpore posse quiescere nec linguâ silere, moveri vero semper et clamare: exsultare fere ac tripudiare, prae gaudio saltantia ac ludentia, ore vero nullos non sonos emittere; in his autem caetera animalia nullum habere ordinis sensum, sed sine rhythmo moveri, sine harmonia vociferari; hominibus vero Deos et rhythmi tribuisse et harmoniae sensum, quo apte moveremur saltando et caneremus concinne, choros instituentes cum hilaritate, qui *παρὰ τῆς χαρᾶς*, ab ipsa hilaritate nomen habent. » 2) Quae sententia ita placet Atheniensi

---

1) *De Rep.* X. 600. E.
2) *De Legg.* II. 654. A.

hospiti — cujus sub persona ipse loqui videtur Plato — ut iterum illam et tertium memoret: evideutissime autem his verbis: *εἴπομεν, εἰ μεμνήμεθα, ὡς ἡ φύσις ἁπάντων τῶν νέων διάπυρος οὖσα ἡσυχίαν οὐχ οἵα τε ἄγειν οὔτε κατὰ τὸ σῶμα οὔτε κατὰ τὴν φωνὴν εἴη, φθέγγοιτο δ' ἀεὶ ἀτάκτως καὶ πηδῷ. Τάξεως δ' αἴσθησιν τούτων ἀμφοτέρων, τῶν ἄλλων μὲν ζώων οὐδὲν ἐφάπτοιτο, ἡ δὲ ἀνθρώπου φύσις ἔχοι μόνη τοῦτο· τῇ δὲ τῆς κινήσεως τάξει ῥυθμὸς ὄνομα εἴη· τῇ δ' αὖ τῆς φωνῆς, τοῦ τε ὀξέος ἅμα καὶ βαρέος ξυγκεραννυμένων, ἁρμονίας ὄνομα προσαγορεύοιτο· χορεία δὲ τὸ ξυναμφότερον κληθείη.* 1)

Sed quod senili aetate Plato diligentius exploravit, id juvenili jam adumbraverat in Phaedro fabulâ enarrandâ de eicadarum origine. Homines fingebat antiquitus, Musis natis et exorto cantu, sic delectatos fuisse, ut ipsi canendo vitam transigerent, cibique et potus immemores, fame perirent: ex his autem hominibus cicadas exstitisse, quae perpetuo canerent. Sed elegantem fabulam multo lubentius ab ipso aecipiemus Socrate, qui eam Phaedro enarrat, *ἀνδρὶ φιλομούσῳ*, divino illo loco, Nympharum receptaeulo, ubi utriusque sermonibus aeeinere videtur eieadarum ehorus. Nam delato illic ad bene scribendi artem sermone, rogat juvenem Socrates, num opus illi esse videatur, banc artem explorare, ad ejusque naturam et Lysiam exigere et quicunque scripsissent, tam oratores quam poëtas. Tum Phaedrus: rogasne, inquit, num opus sit? Cujus tandem rei gratiâ, ut ita dieam, vivat aliquis, nisi talium voluptatum caussâ? Quod perquam probans Socrates: et vero, inquit, simul mihi videntur cicadae, super caput nostrum canentes et colloquentes, nos contemplari. 2) Si ergo nos videant, quaemadmodum vulgus, meridie non disputantes, sed dormitantes, ab ipsis propter mentis desidiam delinitos, merito derideant, putantes mancipia quaedam ad ipsas in hunc secessum venisse, et, tanquam pecudes, ad fontem meridiano somno teneri; sin viderint disputantes nos, ipsasque, tanquam Sirenas, haud captos cantu praeternavigantes, fortasse, quod a Diis, ut hominibus impertirent, nactae sunt praemium, hoc nobis prae admiratione coneedant. Hic Phaedrus: quidnam muneris istud est, quod babent? nunquam enim audivisse mihi videor. Cui Socrates: *οὐ μὲν δὴ πρέπει γε φιλόμουσον ἄνδρα τῶν τοιούτων ἀνήκοον εἶναι· λέγεται δ', ὥς ποτ' ἦσαν οὗτοι ἄνθρωποι τῶν πρὶν Μούσας γεγονέναι· γενομένων δὲ Μουσῶν καὶ φανείσης ᾠδῆς, οὕτως ἄρα τινὲς τῶν τότε ἐξεπλάγησαν ὑφ' ἡδονῆς, ὥστε ᾄδοντες ἠμέ-*

1) *De Legg.* II. 664. E. Cf. 672. C.

2) Simile quid in Indica fabula, ubi eorvi eroeitando eonfabulari dicuntur de regis visiro hujusque ministro, quorum sermonibus intersunt. Profeeit inde Le Sage, *Gil Blas.* VIII. 6.

λησαν σίτων τε καὶ ποτων, καὶ ἔλαθον τελευτήσαντες αὐτούς· ἐξ ὧν τὸ τεττίγων γένος μετ᾽ ἐκεῖνο φύεται, γέρας τοῦτο παρὰ Μουσῶν λαβὸν, μηδὲν τροφῆς δεῖσθαι γενόμενον, ἀλλ᾽ ἄσιτόν τε καὶ ἄποτον εὐθὺς ᾄδειν, ἕως ἂν τελευτήσῃ. 1) Itaque, quod adjicit Socrates, nec nobis est reticendum, tum aliis nunciant Musis, quinam hîc eas maxime colant, tum Calliopae et Uraniae, Musarum antiquissimis, eos conciliant gratioresque reddunt, qui in philosophia vivunt, earumque maxime musicam celebrant.

Homo igitur, de Platonis sententia, natus est ad musicam: naturâ quippe praeditus rhythmi harmoniaeque sensu et studio. Nec vero musica, quam memorat, exilis est ista et levis, quae aures solum modulando sonorumque varietate demulcet; sed, ut modo nos docuit Atheniensis hospes, illa est, quae in choris, in tragicis certaminibus et comicis viget: quae decori studium in animis hominum unice excitat, eosque ad εὐρυθμίαν, εὐαρμοστίαν, εὐσχημοσύνην componit: 2) quae ad excolendum hominem vim habet maximam, ad sublimia omnia, ad Musarum antiquissimas Calliopen et Uraniam, i. e. ad divinam philosophiam hominem evehit. Sed tot sunt haec et tanta musices munera, ut videatur de iis singulatim agendum.

De vi musices ad excolendos puerorum animos.

Initium ducamus iterum ab ipsa hominis natura. «Dico — ait idem ille apud Platonem Atheniensis hospes, germanae principia institutionis explorans — dico equidem, primum esse puerorum sensum, voluptatem et dolorem, nec principio alium, praeter hunc, virtutum esse ac vitiorum fontem. Nam sapientiam assequi et ratione confirmare veras opiniones, beatus ille, cui id in senectute contigerit. Sensum igitur hunc ita in puero excolere, ut oderit continuo, quae fugienda, amet vero et appetat, quae appetenda sunt, hoc verae est institutionis officium. Perfectus videlicet homo is est, qui a tenera inde aetate, priusquam, quid bonum sit, quid malum, judicare possit, sponte sua ex rebus pulcris et honis voluptatem, ex turpibus et malis dolorem ceperit: nactus autem cum ratione judicandi facultatem, rationem cum hoc sensu in concentum redegerit. Hic scilicet concentus, haec ξυμφωνία ipsa est virtus. Sed cum hanc rectam voluptatum et dolorum moderationem remittant fere mortales et pervertant saepenumero, indeque oriantur et vitia omnia et aerumnae gravissimae, Dii, humanum genus miserati, quod aerumnis hisce suis et laboribus succumberet, *festa* instituerunt, quae laborum

---

1) *Phaedr.* 258. D. 259. A. B. C.
2) *De Rep.* III. 401. A.

essent intermissiones relaxationesque, tum *Musas* hominibus dederunt et *Apollinem Musageten Liberumque patrem*, festorum socios, ut saltantes in choris et canentes, ad rhythmi harmoniaeque modum suos ipsi animos moresque et studia componerent atque omnem ita corrigerent pristinae institutionis perversitatem.» 1)

Est sane jucunda haec philosophandi ratio, qnae repetens omnia a remotissimis principiis, nihil tamen inde sive obscuritatis sive jejunitatis contrahit, sed, quamvis subtilis et accurata, poëseos nos simul gratia et venustate delectat. Quam imitari debuerant, qui post Platonem philosophiam pulcri attigerunt. Nam sic de pulcro disserere, nt ratio et oratio nihil minus, quam pulcrum, referant, pulcrum adeo argumentando obscurent, id sane, si quid aliud, ineptum est. Plato quotiescunqne de artibus agit elegantioribus — agit autem de iis saepenumero et perlubenter — toties et mentem exercet nostram rerum indagatione, et vero sensum simul pulcri venustique in animis nostris suscitat et acuit. Quod ipse videtur maxime scribendo spectasse, spectandum certe putavit in puerorum institutione, quam totam, nti vidimus, a Musis Musarumque chorego Apolline, i. e. ab excolendo in animis harmoniae rhythmique sensu studioque inchoari jussit. Ponamus igitnr, ait tandem Atheniensis ille, *παιδείαν εἶναι πρώτην διὰ Μουσῶν τε καὶ Ἀπόλλωνος.* 2) Quod ita intelligemus optime, ut diligentissime et chori apud Graecos et tragicae comicaeque poëseos rationem animadverterimus.

Festa dederunt Dii miseris mortalibus, ut, intermissis laboribus, exhilararent eos identidem, simulque emendarent. Nam ludendo maxime genus nostrum ad pulcrum et honestum accedere posse videtur. Unde simillimâ voce institutionem et ludum appellare solemus, illam *παιδείαν*, hunc *παιδιὰν* vocantes. Et vero omnis educatio cum recta ludendi consuetudine conjuncta est. Qui puer pulcerrime lusit, is vivit adultus honestissime. Quid? quod ludendo eliciuntur optime insitae animo facultates. »Ego sic statuo, ait Plato, ut praestet aliqnando homo qualicunque in negotio, id eum oportere ab ineunte statim pueritia, tam ludendo, quam seria tractando, in singulis meditari, quae huic rei conveniant: qui, verbi caussa, aptus futurus sit agricola vel aedificator, ludentem hunc oportere a teneris vel colere terram vel pueriles quasdam domos aedificare: illum vero, qui educet utrumque, ntrique debere instrumenta quaedam parvula, verorum imagines, parare: omnino per ludos eo convertere puerorum cupiditates et voluptates, quo maturi aetate pervenire debeant. *Κεφάλαιον δὴ παιδείας λέγομεν τὴν ὀρθὴν τροφήν, ἣ τοῦ παίζοντος τὴν ψυχὴν εἰς ἔρωτα ὅτι μάλιστα ἄξει τούτου, οὗ δεήσει*

1) *De Legg.* II. 653. A.
2) *Eod.* 654. A.

γενόμενον ἄνδρ' αὐτὸν τέλειον εἶναι τῆς τοῦ πράγματος ἀρετῆς. Caput esse institutionis dicimus rectam educationem, quae ludentis pueri animum ad amorem ducit illius, quod virili aetate assecutum esse oportet, si perfectus in arte sua futurus est. » 1)

Festis igitur solemnibus nihil facile esse aptius efficaciusque poterat ad insita pulcri honestique studia excitanda et confirmanda. Nam ludendo peragebantur maxime et summâ hilaritate, nec solum currendo, luctando, aurigando caeterisque ludis gymnicis, sed musicis etiam certaminibus, quae, ad Apollinis Musarumque exemplum, in choris celebrabantur, et ludentium spectantiumque animos ad snblimia quaeque evehebant. Chori autem, quod hîc nobis minime negligendum est, ut hymnis extollebant Deorum laudes et facta praeclara heroum, ita res simul Deorum heroumque canendo saltandoque imitabantur. Cujus rei praeclarum exstat monumentum, hymnus in Apollinem, Homero vulgo adscriptus, qui nativam continet chori descriptionem, quo Iones solebant in Deliacis festis Apollinem ac Dianam celebrare. Non minus illic imitatio hominum seu actio, quam cantus et saltatio laudatur.

πάντων δ' ἀνθρώπων φωνὰς καὶ κρεμβαλιαστὺν
μιμεῖσθ' ἴσασιν· φαίη δέ κεν αὐτὸς ἕκαστος
φθέγγεσθ'· οὕτω σφιν καλὴ συνάρηρεν ἀοιδή. 2)

Ut sponte sua homo canere gestit et saltare, ita accedit naturali huic oblectamento imitandi studium, non minus sane naturae congruum. Patent haec in puerorum consuetudine, pariter in populorum moribus, qui etiamnunc, ut tunc Iones, pueritiae referunt gratiam et simplicitatem. Ludentes illi puerorum instar canendo delectantur et saltando, chorosque jungunt et homines imitantur et res ab iis gestas. Quod advertentes peregrinatores, qui in remotis regionibns, in insulis maxime maris australis, tales adierunt populos, explicuerunt ex eorum moribus chororum apud Graecos rationem. Ego vero fateor, ex eorum descriptionibus multum me profecisse ad Platonem intelligendum. Nam illustrant illa mirifice, qnae philosophus pronunciavit de musicae et chororum ortu, nec minus valent ad placita ejus explicanda, quae ad tragicos et comicos referuntnr.

Tragoediam si respicimus, qualis exstat in gentibus recentioribus, unâ contineri poësi videtur: comoedia vero vel ipsâ destituta est poëseos

---

1) *De Legg.* I. 643. A. C. D. ubi vid. Ast. Cf. *De Rep.* IV. 425. A.

2) *Hymn. in Apoll.* 162. De choris praeclare scripserunt multi, in primis *Schillerus*, qui ad Graecam rationem sua ipse dramata conformavit. Ex Platonis fonte rem datâ operâ duxerunt *Den Tex* et *Bax*, opusculis laudatis. Nos quominus plura de hoc argumento diceremus, utriusque fecit cum diligentiatum disserendi elegantia.

commendatione ac pedestri fere oratione procedit. Apud veteres vero utraque e choris nata est, horumque perpetuo et gratiam retulit et sublimitatem. Nam chori *agebant* ipsi in Bacchi sacris, ut in Deliacis festis solebant, et pariter res Deorum et hominum agendo repraesentabant: et quamvis, auctore Aeschylo, accederent identidem histriones, 1) quo ratio et forma dramatis rite demum constituta est, chorus tamen in fabulis principes quasdam partes tenuit, eas certe, quibus musicae vi et saltationis gratiâ mirabiliter spectatores et moveret et oblectaret. Constabant igitur dramata illa non solum poësi, sed musicâ simul et saltatione: imo *musica* vocabantur *certamina*, in quibus concertare secum invicem solebant tragici poëtae et comici. Nam dominabatur plane in illis, unde originem duxerant, *musica*. Tam late apud Graecos patebat divinae hujus artis vis et auctoritas. 2)

Sed in choris, uti memoravimus, et multo etiam magis in tragica et comica poësi, *imitatio* obtinebat. Haec autem in utramque partem perquam est efficax, cum ad emendandos, tum vero ad corrumpendos juvenum animos. Poëtae, qui mores hominum imitantur pravos et ingenuo viro indignos, nocent carminibus juventuti gravissime: praesertim, quando ipsi juvenes, in choris canentes, et voce eos et motibus gestibusque exprimunt. Verendum magnopere est, ne *ἐκ τῆς μιμήσεως τὸ εἶναι ἀπολαύσωσιν*. Nam imitationes, si, a teneris ludendo ortae, diutius procedunt, in mores et naturam abeunt, nec minus animum, quam corpus et vocem corrumpunt. 3) Quodsi pulcra imitantes poëtae et honesta studiis prosequentes, nihil quidquam praeter haec arte student exprimere, sponte eorum carmina in canentium audientiumque animis pulcri excitabunt honestique amorem. Quo magis id omnibus agendum est poëtis, ut *τὴν τοῦ ἀγαθοῦ εἰκόνα ἤθους* poëmatibus exprimant, 4) tragicis vero potissimum, quorum quippe studium imitando continetur totum.

Haec cum chororum esset antiquitus apud Graecos conditio, Plato primam ab iis institutionem repetendam esse censuit. Nam ad sensus omnes affectusque temperandos musica vim habet maximam: praesertim, si mature adhibeatur juventuti. Molles enim sunt hac aetate et teneri hominum animi, *καὶ μάλιστα δὴ τότε πλάττεται καὶ ἐνδύεται τύπος, ὃν ἄν τις βούληται ἐνσημήνασθαι ἑκάστῳ. Tum maxime fingitur induiturque forma, quam quis unicuique imprimere velit.* 5) *Κυριωτάτη*,

1) Aristot. *de poët.* c. 4.

2) Vid. *Den Tex.* p. 152 sqq. et scriptt. ab eo citati: item, quae nos illic notavimus p. 110.

3) *De Rep.* III. 395. C.

4) *Eod.* 401. B.

5) *Eod.* II. 377. B.

ait Plato, *ἐν μουσικῇ τροφὴ, ὅτι μάλιστα καταδύεται εἰς τὸ ἐντὸς της ψυχῆς ὅ τε ῥυθμὸς καὶ ἁρμονία, καὶ ἐῤῥωμενέστατα ἅπτεται αὐτῆς, φέροντα τὴν εὐσχημοσύνην. Primaria est, quae per musicam procedit, educatio: nam in intimum animum penetrant rhythmus et harmonia, vehementissimeque eum tangunt, decorum efficientes animi habitum.* 1) In quibus musicam intelligit cum saltatione conjunctam, prouti in choris obtinebat. Saltatio enim, siquidem recte instituitur, una cum corporis habitu et motibus animum etiam ad decorem ac concinnitatem, ad *εὐσχημοσύνην* componit, hominemque sic efficit *εὐσχήμονα.* Quid? quod sensus decori in puerorum animis ita acuitur, ut, quid in quaque re sit decorum, quid turpe, animadvertant continuo: illud expetant et ament, hoc aversentur et fugiant. Similis est quodammodo honestatis et literarum disciplina. Literas nemo bene didicerit earumque erit peritus, et *γραμματικὸς* vocabitur, quin singulas continuo agnoscat quocunque occurrant loco, eum ipsas, tum etiam earum in aquis et speculis imagines, neque ullas sive magnas sive parvas neglexerit. Pariter is demum *μουσικὸς* dici potest, qui pulcra, decora, honesta, ubicunque adsunt, extemplo animadvertat, tam ipsa, quam eorum in omnibus artibus simulacra. Sunt haec elementa virtutis, ut illic literae linguae sunt et scripturae elementa. 2) Haec autem efficere nec saltatio potest sola, nec musica aut poësis; sed chorus efficit, in quo singulae hae artes ad sensum pulcri eliciendum quasi conspirant. Plurimum autem in iis efficit poësis: oratio certe nisi honesta est, cantu illa aut motuum venustate corrigi non potest. Sic omnino se res habet, ut rationi convenire oporteat rhythmum et harmoniam, indoli autem generosae orationem. Itaque *εὐλογία καὶ εὐαρμοστία καὶ εὐσχημοσύνη καὶ εὐρυθμία εὐηθείᾳ ἀκολουθεῖ· οὐχ ἣν ἄνοιαν οὖσαν ὑποκοριζόμενοι καλοῦμεν ὡς εὐήθειαν, ἀλλὰ τὴν ὡς ἀληθῶς εὖ τε καὶ καλῶς τὸ ἦθος κατεσκευασμένην διάνοιαν.* 3) Et hinc intelligere licet, quo sensu dixerit philosophus: *ὁ μὲν ἀπαίδευτος ἀχόρευτος ἡμῖν ἔσται· τὸν δὲ πεπαιδευμένον ἱκανῶς κεχορευκότα θετέον·* 4) tum etiam illud: *ὅλη μέν που χορεία ὅλη παίδευσις ἦν ἡμῖν.* 5)

Hac autem in re Plato haud quidquam induxit novi; sed, quod moribus erat receptum, rationibus adductis, probavit. Nam solebant Atheniensium liberi in choris sacris canere et saltare, et, si qui non interessent iis, aderant certe, et facile sic eorum animi ad *εὐαρμοστίαν*

---

1) *De Rep.* III. 401. D.
2) *Eod.* 402. A.
3) *Eod.* 400. D.
4) *De Legg.* II. 654. A.
5) *Eod.* 672. E.

componebantur. Quamobrem nemo erat Athenis paullo quidem liberalius institutus, quin musicae deberet cultus sui humanitatisque initia. Accedebat disciplinae ratio, quae eodem tendebat tota. Ediscebant adolescentes poëtarum carmina, ut viros imitarentur claros, qui in illis laudarentur, talesque ipsi fieri cuperent: citharistae autem citharam eos pulsare docentes, id studebant maxime, ut ad sonorum harmoniam eorum animos componerent. *Καὶ τοὺς ῥυθμούς τε καὶ τὰς ἁρμονίας ἀναγκάζουσιν οἰκειοῦσθαι ταῖς ψυχαῖς τῶν παίδων, ἵνα ἡμερώτεροί τε ὦσι καὶ εὐρυθμότεροι καὶ εὐαρμοστότεροι γιγνόμενοι, χρήσιμοι ὦσιν εἰς τὸ λέγειν τε καὶ πράττειν· πᾶς γὰρ ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δεῖται.* 1)

De musica et gymnastica in puerorum institutione recte temperanda.

Prouti autem in illis omnibus philosophus naturam indagavit hominis, ut inde repeteret et originem musices et artis hujus efficacitatem ad primos excolendos puerorum sensus, ita in caeteris etiam de musica disquisitionibus ex eodem hauriendum esse censuit et hausit fonte. Duo nobis naturâ inesse dicit, alterum, quod *τὸ ἥμερον*, item *τὸ φιλόσοφον* vocat, *τὸ θυμοειδὲς* alterum. Recte haec diligenterque temperanda sunt, ne homo vel mollior fiat, quam par est, vel durior: quo valet in primis musica. Scilicet utrique illorum artem dedisse videtur Deus, *τῷ ἡμέρῳ gymnasticam, musicam τῷ θυμοειδεῖ*: illam alteri, ut indoles corroboraretur placida et mitis, alteri hanc, ne insita alacritas in ferocitatem abiret. Homines vero perverso fere modo has artes usurpant: totos enim se vel musicae soli, vel gymnasticae tradunt: quo non tantum non corriguntur aut perficiuntur, sed corrumpuntur plane. Nam si quis per aures in animum, tanquam per infundibula, infundi sinit dulces, molles ac flebiles modos, vitamque totam modulando transigit cantusque percipiendâ suavitate: is primum quidem, si quid naturâ habet *θυμοειδὲς*, tanquam ferrum, id emollit atque utile efficit, quod durum fuerat atque inutile; quodsi deliniendi modum excedit, periculum ne brevi liquefiat plane ac resolvatur animus, donec eliquaverit *τὸν θυμὸν*, et, quasi nervis exsectis, effecerit *μαλθακὸν αἰχμητήν*. 2) Nec magis sibi consulit, imo vero corrumpitur pariter, qui soli se gymnasticae tradit. Qui enim nihil aliud agit neque ullum habet ulla in re cum Musis commercium, si quid animo habuit *φιλομαθὲς*, nonne illud, quippe nec disciplinas degustans ullas nec disquisitiones nec sermones, infirmum reddet

---

1) *Protag.* 326. B.

2) *De Rep.* III. 411. A.

et surdum et coecum, quandoquidem nec suscitentur sensus, nec alantur, nec perpurgentur? *Μισολόγος δὴ, οἶμαι, ὁ τοιοῦτος γίγνεται καὶ ἄμουσος· καὶ πειθοῖ μὲν διὰ λόγων οὐδὲν ἔτι χρῆται, βίᾳ δὲ καὶ ἀγριότητι, ὥσπερ θηρίον, πρὸς πάντα διαπράττεται, καὶ ἐν ἀμαθίᾳ καὶ σκαιότητι μετὰ ἀῤῥυθμίας τε καὶ ἀχαριστίας ζῇ.* 1) Quid igitur? Scilicet, quod nobis naturà inditum est, *τὸ ἥμερον, τὸ φιλόσοφον*, unde omnis manat cultus et humanitas, haud emolliendum est musicâ, sed gymnasticâ corroborandum: quodque item debemus naturae, *τὸ θυμοειδὲς*, unde fortitudo exsistit et constantia, non intendere oportet gymnasticâ, sed musicâ relaxandum est apteque temperandum. Sunt autem musicae hac in re gravissimae partes. Nam homo prima aetate, ut omne animal, *μαίνεταί τε καὶ βοᾷ ἀτάκτως.* 2) Puer *πάντων θηρίων ἐστὶ δυσμεταχειριστότατον· ὅσῳ γὰρ μάλιστα ἔχει πηγὴν τοῦ φρονεῖν μήπω κατηρτυμένην, ἐπίβουλον καὶ δριμὺ καὶ ὑβριστότατον θηρίων γίγνεται.* 3) Vim autem hanc insitam et alacritatem et vero contumaciam una omnium optime musica ct mitigare potest et moderari. Omnino artes hae concessae sunt humano generi, ut *τὸ ἥμερον* naturae nostrac et *τὸ θυμοειδὲς ἀλλήλοιν ξυναρμοσθῆτον, ἐπιτεινομένω καὶ ἀνιεμένω μέχρι τοῦ προσήκοντος.* Quocirca *τὸν κάλλιστ' ἄρα μουσικῇ γυμναστικὴν κεραννύντα καὶ μετριώτατα τῇ ψυχῇ προσφέροντα, τοῦτον ὀρθότατ' ἂν φαῖμεν εἶναι τελέως μουσικώτατον καὶ εὐαρμοστότατον.* 4)

Ad excitandum alendumque in animis pulcri amorem, cum musica tum caeterae artes tractandae sunt potissimum.

Sunt haec principia pulcerrimae institutionis, quam in libris de Republica exposuit Plato. Neque, his perceptis, mirabitur quisquam, nulli eum arti tantam ad erudiendum excolendumque hominem vim tribuisse, quantam musicae. Est enim illa, si qua alia, et homini naturà propria et naturales quosque sensus temperat et moderatur, ut studia inde oriantur optima: et juncta cum gymnastica, id efficit maxime, ne abeat in ferocitatem alacritas, sed ad veram componatur fortitudinem. Quocirca, si utilitas quaeritur in hominum societate, quae tandem ars puerorum educationem, qua nihil est in civitate gravius et efficacius, provehit et regit aptius? Hac enim qui instituitur, a teneris sponte sua agnoscet pulcrum ac laetus in animum recipiet et quasi nutrietur eo; turpia vero vituperabit odioque habebit: omnino amabit pulcrum, anteaquam, quid

1) *De Rep.* III. 411. C.
2) *De Legg.* II. 672. C.
3) *Eod.* VII. 808. D.
4) *De Rep.* III. 411. E. 412. A.

pulcrum sit, ratione assequatur; *ἐλθόντος δὲ τοῦ λόγου, ἀσπάζοιτ' ἂν αὐτὸν, γνωρίζων δι' οἰκειότητα μάλιστα ὁ οὕτω τραφείς· adventante vero ratione, amplexabitur eam continuo, ut cognatam familiaremque agnoscens.* 1) Fit ita *καλός τε κἀγαθὸς*, imo vero *μουσικὸς, ἁρμονίαν καλλίστην ἡρμοσμένος, οὐ λύραν οὐδὲ παιδιᾶς ὄργανα· ἀλλὰ τῷ ὄντι ζῆν ἡρμοσμένος αὐτὸς αὑτοῦ τὸν βίον σύμφωνον τοῖς λόγοις πρὸς τὰ ἔργα.* 2) Qualis ut sit maneatque perpetuo, optimus cavebit custos, *ὁ λόγος, μουσικῇ κεκραμένος, ὃς μόνος ἐγγενόμενος σωτὴρ ἀρετῆς, διὰ βίου ἐνοικεῖ τῷ ἔχοντι.* 3)

Diximus de musica, quam probavit uniceque commendavit Plato. Pariter statuebat de sculptura, de statuaria, de pictura. Has omnes artes ita laudavit maxime, ut maxime et gratiam referebant et harmoniam musicae, et vim habebant ad decori honestique amorem in animis juvenum excitandum. Poëtis non tantum, ait, praecipiendum, ut bonae indolis imaginem carminibus suis exprimant, nil inserant, quod illiberale sit et indecorum: sed idem etiam caeteris praecipiendum artificibus, *ἵνα μὴ ἐν κακίας εἰκόσι τρεφόμενοι ἡμῖν οἱ φύλακες, ὥσπερ ἐν κακῇ βοτάνῃ, πολλὰ ἑκάστης ἡμέρας κατὰ σμικρὸν ἀπὸ πολλῶν δρεπόμενοί τε καὶ νεμόμενοι, ἕν τι ξυνιστάντες λανθάνωσι κακὸν μέγα ἐν τῇ αὑτῶν ψυχῇ.* Quamobrem eos et exquirere oportet artifices et solos in rempublicam admittere, *τοὺς εὐφυῶς δυναμένους ἰχνεύειν τὴν τοῦ καλοῦ τε καὶ εὐσχήμονος φύσιν· ἵν', ὥσπερ ἐν ὑγιεινῷ τόπῳ οἰκοῦντες, οἱ νέοι ὠφελῶνται ἀπὸ παντὸς, ὁπόθεν ἂν αὐτοῖς ἀπὸ τῶν καλῶν ἔργων ἢ πρὸς ὄψιν ἢ πρὸς ἀκοήν τι προσβάλῃ, ὥσπερ αὔρα φέρουσα ἀπὸ χρηστῶν τόπων ὑγίειαν, καὶ εὐθὺς ἐκ παίδων λανθάνῃ εἰς ὁμοιότητά τε καὶ φιλίαν καὶ ξυμφωνίαν τῷ καλῷ λόγῳ ἄγουσα.* 4)

De pulcro, quod spectavit Plato.

Sic artes valent, in primis musica, ad pulcri excitandum in animis amorem: qui ipse est musicae finis ultimus. *Δεῖ δέ που τελευτᾷν τὰ μουσικὰ εἰς τὰ τοῦ καλοῦ ἐρωτικά.* 5) Sed ut operibus suis hunc excitent alantque amorem, quid tandem est illud, quod sequi, quod imitari debeant? Esse illud pulcrum perfectum, ipsum omnino pulcri exemplar, ex hoc earum fine et omnibus, quae jam diximus, sponte intelligitur. Veruntamen, ne nostram aestheticam cum Platonica de

1) *De Rep.* III. 402. A.
2) *Lach.* 188.D.
3) *De Rep.* VIII. 549. B.
4) *Eod.* III. 401. C. D.
5) *Eod.* 403. C.

pulcro et artibus doctrina confundamus, diligentius hoc exponendum videtur.

De artibus et summo illo, quod imitari artifices decet, proposito, praeclarus est Ciceronis locus illo in libro, quo perfectum adumbravit *oratoris* exemplum. «Atque ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quaero, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse praestantius: quod in perpetuitate dicendi non saepe, atque haud scio an unquam, in aliqua autem parte elucet aliquando, idem aqud alios densius, apud alios fortasse rarius. Sed ego sic statuo, nihil esse in ullo genere tam pulcrum, quo non pulcrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago exprimatur, quod neque oculis neque auribus neque ullo sensu percipi potest: cogitatione tantum et mente complectimur. Itaque et Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, — cogitare tamen possumus pulcriora. Nec vero ille artifex, cum faceret Jovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat. Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cujus ad cogitatam speciem imitando referuntur ea, quae sub oculos ipsa cadunt: sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus.» 1) Similiter Plato, cujus sententiam his verbis expressit Cicero. 2) Imitari is item censet optimos quosque artifices, non quod sensibus apparet pulcrum, sed quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest: cogitatione tantum et mente complectimur. Et hoc esse videtur aestheticae, quam nos vocamus, sublime quoddam principium. Haud enim sufficit, imitando expressisse, quae in rerum natura adsunt; id vero artis proprium est, ut superet naturam: in quo ejus perfectio et vis divina cernitur. Sed altius etiam spectabat. Plato artifices imitari jubebat non solum, quod pulcrum esset vehementerque placeret, sed quod *bonum* esset simul, recteque expressum virtutis excitaret amorem. In omni de pulcro disputatione eum venustate et gratia utilitatem jungit: utilitati adeo tribuit plurimum. Tria sunt, ait, in nullis non rebus distinguenda, *χάρις*, *ὀρθότης*, *ὠφέλεια*, quorum praecipuum est et rei cujusque finis *ὠφέλεια*, quam *ὀρθότητι* assequimur: accedit autem utrique *χάρις*. Quodsi quaerimus, quae sit in artibus *ὀρθότης*: sunt illae *εἰκαστικαὶ* sive *μιμητικαὶ*, quae musicae etiam ratio est — nam *πάντα τὰ περὶ αὐτήν ἐστι ποιήματα μίμησίς τε καὶ ἀπεικασία* — quocirca, ut *ὀρθότητα* habeant, habere debent *τὴν ὁμοιότητα τῷ τοῦ καλοῦ μιμήματι*. Scilicet res vere pulcrae *μιμήματα* sunt

1) *Orat.* 2 et 3.

2) Cf. v. c. *De Rep.* VI. 501. B. et 484. C.

sive *ἀφομοιώματα αὐτοῦ τοῦ καλοῦ*: his similia esse oportet artium opera. Nisi sint similia, praesertim in musica, gravissimum quis inde detrimentum capiat, falsa quippe imagine captus atque ita *ἤθη κακὰ φιλοφρονούμενος*. Quod tenendum maxime est in judicandis artificum, quae nobis proponunt, simulacris. Explorandum est, *quid* artifex imitatus sit, deinde, num *ὀρθῶς, recta ratione*, id fecerit, i. e. num res vere pulcras imitari studuerit: tandem, num *bene* id peregerit, i. e. num, quod studuit perficere, id optime perfecerit. 1) Ita enim accipienda videtur Platonis sententia: *ἆρ᾽ οὖν οὐ περὶ ἑκάστην εἰκόνα καὶ ἐν γραφικῇ καὶ ἐν μουσικῇ καὶ πάντη τὸν μέλλοντα ἔμφρονα κριτὴν ἔσεσθαι δεῖ ταῦτα τρία ἔχειν, ὅ τί ἐστι πρῶτον γιγνώσκειν, ἔπειτα ὡς ὀρθῶς, ἔπειθ᾽ ὡς εὖ τὸ τρίτον εἴργασται τῶν εἰκόνων ἡτισοῦν ῥήμασί τε καὶ μέλεσι καὶ τοῖς ῥυθμοῖς*.

Et sic quidem escendimus eo, quo jam dudum tetendimus, ut pulcrum declaremus, quod solum celebravit Plato. Est illud ejusmodi, ut ejus praestantia internâ perfectione, non externâ specie cernatur: pulcrum est, quod nos dicimus *morale*, quodque antiqui appellare *τὸ καλοκἀγαθὸν* solebant.

Nil pulcrum esse, contendebant Socratici, nisi quod idem esset *bonum*: 2) id autum nnum amabile est, imo vero incredibiles sui amores excitat. Itaque in forma celebranda pulcerrimorum juvenum internam pulcritudinem, i. e. virtutem animique bonitatem celebrabant maxime. Exstat in Symposio, praeter caetera quae percurrimus in amorem encomia, elegantissima Agathonis oratio, qua omnes sic celebrat amoris dotes, ut adolescentiae nobis cernere videamur gratiam omnem et amabilitatem, exemplar adeo intueamur formosi adolescentis: quam aetatem mirifice amabant Graeci:

— *νεηνίῃ ἀνδρὶ ἐοικὼς*
πρωτον ὑπηνήτῃ, τοῦπερ χαριεστάτη ἥβη· 3)

Sed idem ita pergit in laudando amore, ut ejus deinceps virtutes dilaudet, ustitiam, fortitudinem, sapientiam, temperantiam, belle, festive, subinde ironice; sed ita tamen, ut esse efficiat amorem Deorum omnium *κάλλιστον ἅμα καὶ ἄριστον*. Sed ille quidem haec leviter, ut poëta, et multo cum joco. Serio vero contendit Socrates, id solum esse amabile, quod optimum sit et cum virtute conjunctum: nec formam compensare, quod animo desit; contra vero pulcrum animum suâ ipsum virtute corpus efficere quam pulcerrimum. *Ἐμοὶ μὲν γὰρ οὐ φαίνεται, ὃ ἂν χρηστὸν ᾖ σῶμα, τοῦτο τῇ αὐτοῦ ἀρετῇ ψυχὴν ἀγαθὴν ποιεῖν, ἀλλὰ τοὐναν-*

---

1) *De Legg.* II. 667. B. — 669. B.

2) Xenoph. *Mem.* III. 8. 5.

3) Hom. *Odyss.* K. 279: quod ipse usurpavit Plato *Protag.* 309. B.

τίον, ψυχὴ ἀγαθὴ τῇ αὑτῆς ἀρετῇ σῶμα παρέχειν ὡς οἷόντε βέλτιστον. 1) Quodsi alicui eveniret, ut cum animo pulcro pulcram spectaret conjunctam corporis speciem, hoc esse dicebat spectaculum omnium pulcerrimum. *Ὅτου ἂν ξυμπίπτῃ ἔν τε τῇ ψυχῇ καλὰ ἤθη ἐνόντα, καὶ ἐν τῷ εἴδει ὁμολογοῦντα ἐκείνοις καὶ ξυμφωνοῦντα, τοῦ αὐτοῦ μετέχοντα τύπου, τοῦτ' ἂν εἴη κάλλιστον θέαμα τῷ δυναμένῳ θεᾶσθαι.* 2) Itaque Socrates cum Phaedro discedens tandem ab illo Nympharum receptaculo, sic Deos precatur: *ὦ φίλε Πάν τε καὶ ἄλλοι ὅσοι τῇδε θεοί, δοίητέ μοι καλῷ γενέσθαι τἄνδοθεν· τἄξωθεν δὲ ὅσα ἔχω, τοῖς ἐντὸς εἶναί μοι φίλια.* 3) Et hinc quidem judicare licet de aestheticae Platonicae, quae vulgo quaeruntur, principiis.

Sublimis est apud Platonem maxime disciplina pulcri.

Aestheticam, quae proprie appellatur, nec condidit Plato, nec vero potuit condere. Nam pulcrum intelligebat, quod in rebus moralibus summum est et perfectum, neque ab eo distinctum putavit, quod artibus est proprium. Sin vero aestheticae appellemus nomine disciplinam pulcri, quae ad pulcrum illud *morale* adducat, nemo facile philosophorum sublimiorem condidit aestheticam. Nam eo respiciens, artes contemnebat, quae sensibus gratificarentur magis, quam animum emendarent: quae ratio erat poëtarum omnium et oratorum, ipsius Homeri fuerat, principis poëtarum; illas vero laudabat unice, quae divinum sequerentur pulcri moralis exemplum. Hanc autem pulcri doctrinam sic exposuit, ut ejus principia duceret ex ipsa hominis indole, conferret autem eam universam ad puerorum institutionem, ad veram provehendam societatis humanae salutem, ad virtutem in civitate excitandam et stabiliendam. Quo sane proposito nullum esse majus, nullum sublimius potest.

Scilicet omnis apud Platonem philosophia pulcri sic est cum morum doctrina copulata, ut, hac sublata, vix possit consistere, certe vi sua et dignitate maximam partem destituatur. Est quasi introitus aliquis ad vitae tradendam rationem optimam, ad ipsam explicandam politicam disciplinam. Nam disquisitionibus instituendis de pulcro, de amore, de musica et artibus, id agit maxime, ut viam nobis aperiat, quae ad virtutem tendit et veram civitatum felicitatem. Quod unum observasse sufficiat, si explicare velimus, quare Homerum e perfecta civitate excluserit Plato, tantamque tribuerit musicae vim, ut eâ perverse tractatâ,

1) *De Rep.* III. 403. D.
2) *Eod.* 402. C.
3) *Phaedr.* 279. B.

mutari et pessumdari civitates statueret. 1) Nam musicam omnem et poësin ad excolendum non solum ingenium, sed ad moralem praesertim adhibuit civium perfectionem: qua sola niti civitates oportet. Quocirca perversam utriusque rationem uon minus uocere rei pnblicae statuebat, quam justam prodesse.

Sed quamvis non id studuerit Plato, quod egerunt deinde Aristoteles et Peripatetici, quique ex his profeceruut, Cicero et Quintilianus, ut, quod in artibus cernitur pulcrum, singulatim exploraret, justeque hoc modo de poësi et eloquentia, de variis utriusque et generibus et auctoribus pronunciaret, tamen fontem aperuerunt ejus scripta, e quo ad haec studia excolenda haurirent posteri. Ne placita ejus iterem de artium natura, de imitatione ejusque ratione et consilio, primus ille fuit, qui exprimendam arte proponeret ideam pulcri, sive perfectum illud et excellens, ut ait Cicero, 2) cujus ad cogitatam speciem imitando referuntur illa, quae sub oculos cadunt. Quod placitum, ut a recentioribus diligentius atque ex ipsa mentis natura expositum est, ita antiquitus jam sic cepit Ciceronem, ut ad hanc normam perfectum describeret et veluti depingeret oratorem. Non hujus est loci, methodum exponere, quam sequi jussit, quotquot dicendi scribendique arti studerent, petitam illam ex interiore philosophia, magisque ad veri, quam pulcri indagationem pertinentem. Apte id tum intelligetur, quum ad doctrinas et principem earum, dialecticam, pervenerimus. Hîc vero operae pretium est animadvertere, ipsa Platonis scripta documenta esse et quasi exempla disciplinae, quam poëtis et oratoribus tradidit. Quod rite observasse, ad scripta illa intelligenda haud levis esse momenti videtur.

De dialogis Platonis, qui ad pulcri philosophiam pertinent proxime.

Pulcrum spirant dialogi Platonis omnes; sed iisdem quasi expressa est virtutis atque honestatis imago. In eroticis occurrunt juvenes insigni et formâ et amabilitate, *Phaedrus*, *Agatho*, *Charmides*; ex his autem quo magis interrogando elicit Socrates, quae iis insunt naturâ, eo fere intus apparent pulcriores: quod rubor subinde prodit, pudoris generosique animi indicium. Sermones sunt de pulcro, de amore, sed maxime de temperantia, justitia, fortitudiue, sapientia; ipsi amatorii sermones ad temperantiam ducunt et nullas non virtutes. Quodsi occurrunt subinde, quae lascivius videantur dicta nobisque displiceant: temporum id rationi et poëtarum exemplis, non scriptoris proposito tribuendum est. Exstant

1) *De Rep.* IV. 424. C. Vid. *Den Tex* p. 34 et 132.
2) *Orat.* 3.

illa in Phaedro maxime, subinde etiam in Symposio: uterque vero dialogus eo maxime consilio scriptus est, ut amori vulgari Uranius opponeretur amor, qui proxime est cum virtute et pulcro morali conjunctus et cognatus. Omnino, quod laudat Plato maximeque commendat, spectandum idem nobis proponit in dialogorum personis. Amorem hunc Uranium non descriptum tantum in ejus libris contemplamur, quod faciunt Phaedrus, Pausanias et mirâ elegantiâ, ut modo diximus, Agatho; sed exprimunt eum mores et sermones Socratis, sed referunt eum plane, qui cum Socrate colloquuntur, adolescentes. Cernere nobis adolescentes videmur, in quibus animus pulcer cum pulcro corpore mirabiliter consentit: quod pulcerrimum esse spectaculum dixit, si cui id liceat spectare. Quid pulcrum sit in artibus, quid habeant artis opera praestantissima, quo efficiatur, ut nobis pulcra videantur, haud exquisivit datâ operâ Plato: nam λώβην vocabat μιμητικὴν omnem, quae sensibus gratificaretur. 1) Sed dialogis ipse suis pulcrum expressit, quod idem esset bonum, exempla poëtis et oratoribus exhibens, quae hi ad generis humani salutem imitarentur. Quin quo magis pateret, contemni a se pulcrum, quod non idem esset bonum, animo autem bono corpus effici pulcerrimum, ***Theaetetum*** induxit, in cognomine dialogo, turpi specie, certe non formosa, sed eo ingenio, eo animi candore, ea omnino amabilitate, ut nullus in ejus scriptis adolescens nobis se commendet magis. Qui post Platonem exstiterunt philosophi, praecepta plerique tradiderunt vel artis vel doctrinae tractandae, quod minime sane neglexit Plato; sed hic, scribendo in primis, opera in lucem edidit, e quibus ipsi praecepta peteremus. Quod ut in eroticis ejus scriptis jam satis nobis patuit, ita patebit deinde in illis, quae studium veri et veri assequendi artem spectant. Totus Theaetetus, et magis etiam Sophista et Politicus, exemplum est dialecticae exercendae artis, quam in Phaedro ante adumbraverat et postea in Politia diligentissime descripsit: Theaetetus vero disciplinam Socraticam, ***μαιευτικὴν***, quasi in effigie nobis proponit. Sic Plato, quae vel ingenio excogitaverat, vel animo sentiebat, non sententiis quibusdam aut ratiocinando et argumentando, sed, poëtarum instar, ***formâ*** praecipue scriptorum exposuit et expressit. Fuisse hoc proprium videtur ipsius ingenio, ut nihil ante rite explicitum propositumque arbitraretur, quam id oculis subjecisset legentium, quin etiam, ut in dramate, vitam ei motumque dedisset. Finxerat in Politia optimos civitatis custodes, optimos principes, qui optima ratione rem publicam defenderent atque administrarent. Quibus omnibus apte descriptis et tanquam in tabula adumbratis ac depictis, tantum aberat, ut hoc ipsi satisfaceret, ut Socratem in Timaeo dicentem induceret. «Audite jam de civitate, quam absolvimus, quomodo

1) *De Rep.* X. 595. B.

erga eam affectus sim. Simile quid mihi accidit, acsi quis animalia alicubi pulcra contemplatus, sive pingendo elaborata, sive viva, sed immota, cupiat illa etiam in motu spectare et certamen ipsis convenieus ineuntia. Pariter nunc ego cives illos gestio in actione contemplari, ac narrantem audire certamina, quae tali digna et educatione et disciplina, tam dicendo, quam agendo, cum aliis civitatibus committant.» 1) Omnino, quae arte effinxerat Plato uniceque admirabatur, Pygmalionis instar, motum his et vitam indere studuit: nec solum hoc proposito Critiam instituit scribere, sed, in caeteris pariter dialogis, formosissimos quosque et optimos adolescentes sic nobis scribendo repraesentavit, ut eos etiamnunc viventes agentesque adspicere et cum Socrate colloquentes audire videamur. Itaque, quod ab initio instituimus, id porro faciemus, ut legamus cum lectoribus nostris Platonem. Nam haud magis de eo ex compendiis, quae feruntur, judicari potest, quam de Homero ex rhapsodiarum argumentis. Patefiet inde magis magisque, artem composuisse Platonem ad philosophiae, ad sublimis, quam diximus, aestheticae leges. In legibus illis haec omnium est maxima et summa, ut ne quis falsa imitetur, quae specie se commendant veri, sed vera imitatus, optima quaeque in lucem producat. Quam ipse secutus legem, scribendo quaesivit potissimum, quid vere esset pulcrum, vere esset bonum, vere esset justum: perfectam scribendo rempublicam condidit, quae ipsius justi referret exemplum: mundum adeo in Timaeo ad perfecta aeternaque pulcri et boni exempla a Deo informatum descripsit. Et mihi quidem, scripta Platonis legenti, visus est fere Plato novum quoddam inducere poëseos genus studuisse: quin etiam, hoc ipso tractando, cum celeberrimis poetis de artis palma concertasse quodammodo.

Poëtica est plane dialogorum Platonicorum forma. Nam, quamvis e Socratis exstiterunt sermonibus, quos ille vario tempore, cum variis hominibus, de omni argumentorum genere habuerat, Plato eos ad artis rationem informavit, Sophronem imitatus et tragoediae comoediaeque poëtas, in primis Euripidem. Quo factum, ut haud simpliciter essent colloquia, qualia in Xenophontis occurrunt Memorabilibus, sed *dramata* essent, tragicarum instar fabularum, quae vitae temporumque continerent effigiem, ac mores hominum et ingenia, virtutes ac vitia, juvenum etiam indolem et studia imitando exprimerent. Et sane, quae apud Euripidem est Ionis, Hippolyti, Achillis, eadem est in Platonis dramatibus Phaedri, Alcibiadis, Glauconis, Adimanti nativa gratia et venustas. Sed Plato poësin agitabat animo majorem quandam et sublimiorem. «Quae nos, ait, suscipimus, nemo unquam poëtarum, vel qui olim fuerunt, vel qui nunc sunt, perfecit. Quod non dico, τὸ ποιητικὸν ἀτιμάζων γένος, ἀλλὰ

1) *Tim.* 19. B.

παντὶ δῆλον, ὡς τὸ μιμητικὸν ἔθνος, οἷς ἂν ἐντραφῇ, ταῦτα μιμήσεται ῥᾷστα καὶ ἄριστα· τὸ δ' ἐκτὸς τῆς τροφῆς ἑκάστοις γιγνόμενον, χαλεπὸν μὲν ἔργοις, ἔτι δὲ χαλεπώτερον λόγοις εὖ μιμεῖσθαι· quasi poëticum genus rejiciens; sed cuivis est evidens, imitatorum gentem ea facillime optimeque imitari, in quibus educati sunt: aliena vero atque ab educatione remota, qua sunt usi, difficile esse operibus, difficilius etiam verbis recte imitari.» 1) Scilicet philosophiam spectabat unice, quae ad perfecta rerum *παραδείγματα* hominum vitam moresque et ipsas civitates informaret emendaretque. Eryximachus in Symposio veram musicam cum salutari arte comparat. «In nostra hac arte, ait, id maxme agendum est, ut pravos in corpore appetitus tollamus, bonos autem eliciamus et provehamus. Sic musicae officium est, amorem in animo excitare optimarum rerum optimum, eique gratificari et quasi alimentum praebere: *καὶ οὗτός ἐστιν ὁ καλὸς, ὁ οὐράνιος, ὁ τῆς Οὐρανίας Μούσης ἔρως· ὁ δὲ Πολυμνίας, ὁ πάνδημος· et hic quidem est pulcer, coelestis, Uraniae Musae amor; alter vero Polymniae, vulgaris.»* 2) Tale erat propositum Platonis in dialogis scribendis, tale novum illud sive musicae sive poëseos genus, cui unice studebat. Imitabantur tragici vitam hominum, nec quidquam habebant pensi, bonos exprimerent imitando mores, an malos ac corruptos; modo populo placerent, quas fecissent, fabulae. «*Ἡμεῖς δὲ*, ait Atheniensis ille, poetas hosce alloquens, *τοὺς μαλακῶν Μουσῶν ἐκγόνους*, eorumque in civitatem suam adventum deprecans: *ἡμεῖς δὲ, ὦ ἄριστοι τῶν ξένων, τραγῳδίας ἐσμὲν αὐτοὶ ποιηταὶ κατὰ δύναμιν ὅτι καλλίστης ἅμα καὶ ἀρίστης· πᾶσα οὖν ἡμῖν ἡ πολιτεία ξυνέστηκε μίμησις τοῦ καλλίστου καὶ ἀρίστου βίου· ὃ δή φαμεν ἡμεῖςγε ὄντως εἶναι τραγῳδίαν τὴν ἀληθεστάτην. Nos vero, hospitum optimi, tragoediae sumus quam pulcerrimae optimaeque poëtae. Tota scilicet nostra respublica pulcerrimae optimaeque vitae imitatio est; quod nos dicimus reapse esse verissimam tragoediam.»* 3) Et hinc intelligimus, quo sensu acceperit Plato Pythagoreorum de philosophia effatum, esse illam *musicam summam.* Opposuit eam artibus vulgaribus, ut e Socratis patet in carcere sermone. Enarrat illic amicis, somnio se admonitum fuisse, ut musicae operam navaret: existimasse autem, divinitus se incitari, ut, quod adhuc egisset, id porro ageret: philosophiam enim summam esse musicam, huic autem se semper studuisse; deinde vero iterum iterumque

1) *Tim.* 19. D.

2 *Symp.* 187. D.

3) *De Legg.* VII. 817. B. Valent haec ad quaestionem dijudicandam, quo animo fuerit Plato in Sophoclem et Euripidem. Euripidi quam plurima debuit, ut subinde observavimus, in primis quae amorem spectant. Multa etiam e Sophocle duxit, ut acute animadvertit Groen. *Prosop. Plat.* p. 160. Sed Urania illa effecit Musa, quo minus praeclare de eorum fabulis existimaret.

admonitum, tandem suspicatum esse, *τὴν δημώδη μουσικὴν*, *vulgarem musicam* a Deo significari, eamque tractare instituisse. 1) Vulgarem Plato vocabat musicam, quae Polymniae esset sacra et amori gratificaretur vulgari, veram autem et summam, quae coelestem in animis amorem aleret et Musam sequeretur Uraniam, i. e. philosophiam ipsam. Haec spirat Musa in dramate Platonis, quod optimae vitae imitatio est, quodque verissimam appellavit tragoediam: spirat in Timaei oratione, quando hic, ea ipsa invocata, rerum exponit principia et mundi opificem celebrat: tum vero et spirat omnium maxime et dominatur in sublimi hymno, quo amorem celebravit in Phaedro Socrates. Haec est, quam Plato coluit, poësis, hanc nobis reliquit scriptis expressam suis.

1) *Phaed.* 60. 61. A.

DE PULCRI SCIENTIA.

Viae, quam iniimus ad Platonis explicanda de pulcro placita, partem jam maximam confecimus. Tenuit nos *amor* continuo, qui ad pulcri adspectum accenditur, semelque accensus acerrimum in animo excitat pulcri desiderium. Quod postquam, duce Platone, poëtica oratione celebravimus, ad diligentiorem inde progressi sumus de *musica caeterisque artibus* disquisitionem, quarum ad erudiendos honestique studio imbuendos cives permagna in civitate vis est. Et hîc quidem patere omnibus arbitramur non tantum sublimitatem doctrinae Platonicae, sed amplitudinem item et ubertatem, quippe quae et primam contineat hominis institutionem et moralis politicaeque disciplinae primordia. Verum in pulcri disquisitione illuc maxime philosopho contendendum est, ut ad *scientiam* perveniat pulcri. Nam philosophia, quae studium est cognoscendi, qualiacunque tandem exploret et investiget, verum in omnibus assequi ac rerum tenere scientiam studet. Quo ut perveniamus aliquando, interior nunc nobis tandem instituenda est cum amoris, tum naturae humanae pervestigatio. Age, redeamus in Agathonis convivium. Adest illic, qui nondum dixerat, et unus omnium optime et dicere de amore et vim ejus declarare poterat, Socrates, ὁ ἐρωτικώτατος. Quae nobis quaerenda restant, haec nos ille docebit, et explicabit simul, quod nondum plane patet, mirum illud *μάθημα,* quo uno solebat gloriari, *τῶν ἐρωτικῶν:* omnino amoris nobis disciplinam tradet, quae ad pulcri ducit scientiam. Sed in convivium redeamus.

De disciplina amoris, quae ad pulcri ducit scientiam.

Dixit post Aristophanem Agatho, cujus oratio sic placuit omnibus, sic omnes in dicentis admirationem rapuit, ut plausu eum et summis laudi-

bus exciperent et prosequerentur. 1) Nec mirum. Nam et excellentis est ingenii Agatho, et ingenio congruit forma decora, et in ipso est juventutis flore, et vero pulcerrime dixit, ut poëta et aemulorum in tragico certamine victor, quam victoriam hoc ipso convivio cum amicis et familiaribus celebrat. Ut autem omnes admirantur in poëtico encomio cum alia, tum verborum elegantiam, orationis suavissimae flumen, tum maxime effigiem amoris, quam adumbravit pulcerrimus juvenis omnium pulcerrimam, ita mox Socrates, Eryximachum adspiciens «videorne tibi, inquit, Acumeni fili, temere jam dudum metuisse, nec vatis instar vere praedixisse, Agathonem mirabiliter dicturum esse, me vero, quod dicerem, non habiturum? Ille vero, Alterum quidem, o Socrates, inquit, vere vaticinatus es, bene dicturum Agathonem, alterum vero, tibi defuturam esse orationem, non item. Quidni vero, reponit Socrates, ego quoque haeream et quicunque orationem dicendo excepturus est tam pulcram et variam, tam illustribus ornatam verbis, tam splendidam! Gorgiae mihi in mentem veniebat verebarque plane, ne Gorgûs ille mihi caput objiciens, mutum me efficeret et in lapidem converteret. Tum vero agnovi, quam egissem ridicule, qui ipse recepissem vobis, ut vice mea amorem laudarem, ignarus plane, qua aliquid ratione laudandum esset. Nam equidem arbitrabar, prae stoliditate scilicet mea, vera proferri oportere, quae quis, delectu habito, in rem, quae laudaretur, conferret. Nunc vero cognovi, maxima omnia rei laudandae et pulcerrima tribuenda esse, sive ei propria sint, sive non sint: nam requiri unice, ut laudavisse videamur, non ut laudemus.» Quibus ironice, ut solebat, dictis, hanc Socrates a Phaedro veniam petit, ut sua sibi consuetudine de amore liceat dicere. Quam facile adeptus, ejusmodi instituit cum Agathone disceptationem, ut interrogando efficiat, nec pulcrum esse amorem, nec bonum, destitutum omnino dotibus illis omnibus, quibus a Phaedro aliisque, in primis ab ipso Agathone, fuerat celebratus. Nam fateri hic cogitur, quod quis appetit, hoc eum non habere, amorem autem appetere, quae pulcra sunt et bona: quamobrem nec habere illa, nec pulcrum esse ipsum, nec bonum. Qua disputatione ad angustias adductus Agatho «repugnare tibi, inquit, non possum, sed, ut dixisti, ita se res habeat. Tum ille, Atqui veritati, o dilectissime Agatho, nullo pacto potes repugnare, Socrati vero facillime. Sed te equidem jam mittam. Narrabo autem vobis sermonem, quem habuit mecum aliquando Diotime, docta mulier, quae amoris me disciplinam docuit. Nam, ut modo Agatho, sic ego de Amore statueram, magnum esse Deum et formosum: pariterque illa effecerat, nec formosum illum esse nec bonum. Hic ego, Ain' tandem, o Diotime? teterne est amor et malus? Illa vero, Bona verba, quaeso: tune vero putas, quod

1) *Symp.* 198. A.

non pulcrum est, necessario id tetrum esse? aut quod non est sapiens, stultum? Nonne animadvertisti, medium quid esse inter sapientiam et stultitiam, *verum opinari?* Verum enim, inquam, ab omnibus dicitur, uno et communi consensu, magnus Deus esse. Ab omnibus, dicis: ignorantibus, an scientibus? Ab omnibus, inquam, omnino. Tum illa subridens, Et quo tandem pacto, inquit, o Socrates, magnus Deus ab his dicatur, qui Deum illum esse negant? Quinam illi tandem, inquam? Unus, inquit, horum tu es, altera ego. Equidem vero dicebam: quo tandem modo hoc affirmas? Manifesto, inquit: nam tumetipse admisisti, appetere amorem pulcra et bona, quandoquidem iis est destitutus. His autem destitutus, quî tandem possit Deus esse? Videsne igitur, te item negare, Deum esse amorem? Quid igitur? inquam: estne mortalis amor? Minime. Sed quid tandem? Ut superiora illa, medium quid inter mortalia et immortalia. Quid igitur, Diotime? Daemon, o Socrates, magnus: et vero omnis daemonum natura inter divina et mortalia est intermedia. Ecquam vero, inquam, vim habens? *Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ᾽ ἀνθρώπων καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν· ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδεδέσθαι. Interpretis et portitoris munere fungitur, ut hominum res ad Deos, Deorum ad homines transmittat: illorum quidem preces et sacrificia, horum vero praecepta et sacrificiorum remunerationes: in mediis autem utrisque versatus, universum complet, ut ipsum secum ipso connectatur.*» 1)

De amoris natura. Ex indigentia oritur.

Semel ingressi praeclarum hoc colloquium, aegre subsistimus legendo. Nam sic enarratur a Socrate, ut ipsi cum Diotima sermocinanti veluti interesse nobis videamur. Veruntamen, ut haec et proxima rite intelligamus, nonnihil hoc loco animadvertendum videtur. Et primum quidem hinc patet *natura* amoris, quam expressam jam vidimus in Aristophanis fabula, quamque ipsa deinde Diotime, fabulâ enarrandâ de Penia et Poro, evidentius etiam declarat. Ex *indigentia* oritur, non illâ, quam Cicero et Stoici reprehendunt, honorum et pecuniarum, quae tota abesse ab amore et amicitia debet, sed ex indigentia naturae nostrae. Hinc comparare nobis *studemus*, quae appetimus: hinc *studia* praeclara omnia, in primis pulcri et boni: hinc *artes*, quibus explere haec studia conamur: hinc ipse adeo *cultus Deorum;* nam ut nobismetipsis non sufficimus, ita ad Deos confugimus eosque rogamus, ut praestent nobis, quae desideramus. Imaginibus haec magis, quam verbis et sententiis

1) *Symp.* 202. E.

declarat Diotime, sed declarat tamen. «Pauper est, inquit, amor, quippe matrem habens *Πενίαν*; sed *πορίζεται, suppeditat sibi* omnia, quippe patrem etiam referens *Πόρον.*» 1) Tum vero daemonem fingit Amorem, qui hominum preces ad Deos, Deorum beneficia ad homines transferat: in quibus pariter et indigentia cernitur humana et facultas simul, quae hinc exsistit. «Per hunc, ait, omnis procedit divinandi ars, omnis sacerdotum in sacrificiis, initiationibus, incantationibus solertia et diligentia. Deus cum homine non miscetur, sed per hunc daemonem commercium omne atque colloquium inter Deos hominesque procedit et vigilantibus nobis et dormientibus.» 2)

Ex his omnibus quid duci possit ad res divinas et humanas explicandas, philosophis explicandum relinquimus. Nos vero animadvertamus, ex iisdem illis principiis et alia multa illustrari, quae per totam hanc disquisitionem ex Platone attulimus, tum dictum Agathonis elegantissimum de artium studiis. Poëta, dixit, amor est: imo vero talis est poëta, qui etiam alium efficiat. *Πᾶς γοῦν ποιητὴς γίγνεται, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρὶν, οὗ ἂν Ἔρως ἅψηται·* ut est in Euripideis

ποιητὴν δ' ἄρα
Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν. 3)

Quis nescit, disertum evadere et clarum, qui amorem habeat praeceptorem, qui vero ejus haud particeps sit, in obscuro latere? Hoc duce Dii invenerunt artes, musicam Apollo et Musae, aerariam Vulcanus, textoriam Minerva. Poëtice haec Agatho; sed dictis addidit, cupiditate hoc factum esse et amore pulcri, *ἐπιθυμίας καὶ ἔρωτος ἡγεμονεύσαντος — ἔρωτος ἐγγενομένου κάλλους.* 4) Nam haec est in homine vis amoris, ut quae insitae sunt ei facultates, excitentur omnes et explicentur, proferat ipse et quasi pariat, quaecunque a teneris ingenio animoque conceperit, edatque ita in lucem inventa praeclarissima, et ipsi honorifica et humano generi saluberrima. Sed explicabit hoc nobis disertius ipsa Diotime.

Quaenam potissimum illa sunt, quae appetit amor?

«Haec igitur, inquit, amoris est natura. Nec pulcer est nec bonus, ut poëtae canunt, sed appetit utrumque et assequitur: appetit simul felicitatem, quae his comparatur: imo haec sibi studet in perpetuum comparare. Sed haec universe de amore dicta sunto. Quaenam vero eorum est conditio, quid agunt, quo contendunt, qui proprie dicuntur amare?

1) *Symp.* 203. D.
2) *Eod.* 202. E.
3) Vid. Valck. *Diatr.* p. 207.
4) *Symp.* 197. A.

Hic Socrates, Haud ego te, Diotime, inquit, propter sapientiam tuam admiratus essem, nec discendi caussa ad te ventitassem, si hoc tenerem. — Sed ego tibi, inquit, dicam: *ἔστι γὰρ τοῦτο τόκος ἐν καλῷ καὶ κατὰ τὸ σῶμα καὶ κατὰ τὴν ψυχήν· est hoc partus in pulcro et secundum corpus et secundum animum.* — Vaticinio, inquit, opus est ad id, quod dicis, intelligendum: equidem non intelligo. — Dicam igitur planius. *Κυοῦσι γάρ, ὦ Σώκρατες, πάντες ἄνθρωποι καὶ κατὰ τὸ σῶμα καὶ κατὰ τὴν ψυχήν· καὶ ἐπειδὰν ἔν τινι ἡλικίᾳ γένωνται, τίκτειν ἐπιθυμεῖ ἡμῶν ἡ φύσις. Omnes homines, mi Socrates, tam animo, quam corpore, concipiunt et praegnantes sunt; quum vero ad certam quandam aetatem pervenerunt, parere gestit natura nostra.* Parere autem, nisi in pulcro, non licet. Nam quando id, quod gravidum est, turpi appropinquat, tristitiâ et dolore contrahitur, avertitur atque involvitur, nec generat, sed, quod concepit, aegre cohibet; sin vero pulcro adhaereat, laetitia gestit, hilaritate et voluptate diffunditur, parit et generat. Est enim, o Socrates, amor non pulcri amor, ut tu putas, sed generationis et partus in pulcro, imo vero immortalitatis, quam per generationem consequimur.» 1)

Sed quamvis ita sententiam explicet Diotime, nobis tamen obscura manet, nisi hoc animadvertamus, *τίκτειν* apud Graecos, ut subinde etiam apud Latinos *parere*, de feminis non tantum, sed item de viris usurpari, totamque hanc disputationem ad viri naturam conditionemque referri. Qui corpore, inquit, conceperunt ac praegnantes sunt, ad foeminas se convertunt: quaerunt autem pulcras: nam parere in pulcro possunt, in turpi non possunt: et gignunt ita liberos, propagant stirpem suam, fiunt immortales. 2) Id transfert deinde Diotime ad ingeniorum foecunditatem. «Sunt, ait, qui ingenio magis etiam, quam corpore, sint praegnantes et illa conceperint, quae maxime oportet mente concepisse, sapientiam et nullas non virtutes: in quorum genere censendi sunt et poëtae omnes et quotquot artifices inveniendi valent facultate: *genitores* sunt illi praeclarissimarum rerum: maxima est autem et praestantissima sapientia, qua negotia administrantur cum privata, tum publica. Harum virtutum si quis a puero plenus sit et gravidus, *θεῖος ὢν καὶ ἡκούσης τῆς ἡλικίας τίκτειν τε καὶ γεννᾶν ἤδη ἐπιθυμεῖ· divinus est, et, aetate matura, parere jam et generare gestit.* 3) Quaerit hic igitur, in omnes se partes convertens, pulcrum, ut possit gignere: nam in turpi non potest: pulcram igitur formam magis, quam turpem prosequitur: quodsi in illa animum simul repererit pulcrum, generosum, solertem, vehementer am-

---

1) *Symp.* 206. B. C.
2) *Eod.* 208. E.
3) *Eod.* 209. B.

plectitur utrumque; hoc coram homine facundus fit statim et sermonibus abundat de virtute deque eo, qualem esse oporteat virum bonum et quaenam explere officia, et sponte sic eum erudire studet. *Ἁπτόμενος γὰρ, οἶμαι, τοῦ καλοῦ καὶ ὁμιλῶν αὐτῷ, ἃ πάλαι ἐκύει, τίκτει καὶ γεννᾷ, καὶ παρὼν καὶ ἀπὼν μεμνημένος, καὶ τὸ γεννηθὲν συνεκτρέφει κοινῇ μετ' ἐκείνου, ὥστε πολὺ μείζω κοινωνίαν τῆς τῶν παίδων πρὸς ἀλλήλους οἱ τοιοῦτοι ἴσχουσι καὶ φιλίαν βεβαιοτέραν, ἅτε καλλιόνων καὶ ἀθανατωτέρων παίδων κεκοινωνηκότες.* ***Nam assecutus, opinor, pulcrum et vivens cum eo et colloquens, quaecunque conceperat quondam, parit et gignit, illius tam absentis, quam praesentis memor: quodque ex hoc animorum congressu natum est, nutrit cum illo communiter et educat: unde communionem hi longe arctiorem firmioremque amicitiam contrahunt, quam qui liberos procrearunt, foetus quippe pulcriores magisque immortales communes habentes.*** » 1)

His perceptis, neminem esse arbitror, quin penitus jam perspiciat *παιδεραστίας* Socraticae vim et sublimitatem. Sed initia pariter continet haec Diotimae doctrina placitorum gravissimorum, quae in philosophia occurrunt Platonis. Ne dicam de ***dialectica*** philosophi, quam ex his mutuis repetit amantium sermonibus, tota illa *μαιευτικὴ* Socratica, quam scriptis suis certatim celebrabant Socratici, ex his est ducenda placitis de corporis animique ratione et ***naturali ingeniorum fertilitate.*** Nec vero ullus exstare videtur in scriptis Platonis locus, qui animorum nobis immortalitatem efficacius persuadeat. Sed de his omnibus infra. Hic vero memoremus, quae dictis adjecit Diotime. «Pariunt sic, inquit, ingenia nova omnia et praeclara: quales foetus unusquisque magis sibi exoptaret, quam humanos. Hujusmodi prolem, ingenio partam, cum Homerus reliquit et Hesiodus, quae immortalem ipsis gloriam conciliavit, tum Spartae Lycurgus, quae Spartae servatrix fuit et universae fere Graeciae, tum Athenis Solon et alii alibi apud Graecos passim et barbaros, qui multis praeclarisque operibus in lucem editis, nullas non virtutes progenuerunt. Templa iis et sacra propter tales natos dicata sunt plurima: propter humanos vero, nulla.» 2)

Tam sublimis est et ferme divina haec Diotimae disputatio, ut, quae tandem ipsa fuerit, operae pretium videatur exquirere. Sacram fuisse mulierem, et vatem, et vaticiniis praeclare meruisse de Atheniensibus,

---

1) *Symp.* 209. C. Frequentissime haec loca usurparunt Platonici tam veteres, quam recentiores, quorum singuli fere ad sensus suos Platonem accommodarunt. Veterum loca apposuerunt intpp., in primis *Astius* et vero *Reyndersius* noster, nuper, eheu! nobis et erudito orbi acerbo fato ereptus. Nos eorum nihil h. l. attigimus, quippe nunc unice spectantes Platonem.

2) *Eod.* 209. E.

patet e Socratis de ea dictis. Sermonem hunc esse dicit Diotimae, *ἡ ταῦτά τε σοφὴ ἦν καὶ ἄλλα πολλὰ, καὶ Ἀθηναίοις ποτὲ θυσαμένοις πρὸ τοῦ λοιμοῦ δέκα ἔτη ἀναβολὴν ἐποίησε τῆς νόσου.* 1) Venit autem aliunde: nam *ξενὴ* dicitur et *γυνὴ Μαντινικὴ*, Mantineâ oriunda. Quocirea Athenas videtur delata, antiqui illius instar Epimenidis, atque istiusmodi instituisse sacra expiatoria, quibus Deorum ira averruncaretur, et pestilentia, si non anteverteretur, certe differretur. 2) Sed quae tandem fuit haec ars expiatoria, et quales maxime homines eam tenere dicebantur? Magna illa fuit et divina, ut ipse nos Plato docet iisdem, quae jam attulimus, locis. «Furoris, ait, divinitus immissi, quatuor sunt genera, singula singulos Deos auctores habentia, *μαντικὴ* apollinam *τελεστικὴ* Bacchum, *ποιητικὴ* Musas, *ἐρωτικὴ* Venerem et Amorem. 3) *Τελεστικὴ* autem *ἐπίπνοια*, qualis sit, his verbis describitur. *Ἀλλὰ μὴν νόσων γε καὶ πόνων τῶν μεγίστων — ἡ μανία ἐγγενομένη καὶ προφητεύσασα οἷς ἔδει, ἀπαλλαγὴν εὕρετο· et vero ingravescentibus morbis et calamitatibus, furor non neminem occupat, et, quo illis modo liberari oporteat, vaticinatus, remedium eorum invenit.* Confugiunt illi ad Deorum preces et cultum: unde expiationes initiationesque consecuti, integri purique fiunt ad praesens tempus et futurum, per rectum hunc furorem praesentium malorum sibi liberationem invenientes.» 4) Quod iis plane quadrat, quae de Diotimae in Athenienses meritis celebravit Socrates.

Fuit haec igitur, teste Platone, una earum, quae, ut Pythia, ut Dodonae sacerdotes, ut Sibyllae divino furore magna contulerunt in Graeciam beneficia. Unde intelligitur, quare tantum ei Socrates et Plato tribuerint, Socrates adeo se ejus discipulum professus sit. Sed ut *τελεστικὴ*, ita mulieres, illam exercentes, Baccho erant sacrae, versabantur in mysteriis, quae reconditam continebant doctrinam, *principia* continebant, ut Cicero ait, *vitae, neque solum cum laetitia vivendi rationem, sed etiam cum spe meliore moriendi.* 5) Quibus animadversis, haud mirabimur, tam praeclare in hoc sermone Diotimam de animorum immortalitate disserere. Sed pergat divina mulier: tota ejus oratio mysteriorum nobis rationem referet. 6)

---

1) *Symp.* 201. D. Cf. Fr. Schlegel, *Sämmtl. Werke.* IV. 90 sqq.

2) Epimenidem vocat Plutarch. *Solone* c. 12. *θεοφιλῆ καὶ σοφὸν τὴν ἐνθουσιαστικὴν καὶ τελεστικὴν σοφίαν.*

3) *Phaedr.* 265. B.

4) *Eod.* 244. D.

5) *De Legg.* II. 14. Cf. Isocr. *Paneg.* § 6. Wytt. *Ep. Crit.* p. 33.

6) Equidem haec ita exposui, ut exstant apud Platonem. Quodsi quis quaerat, num reapse ita cum Socrate collocuta sit Diotime, ipse sermo dubitare nos jubet, quippe magnam partem plane Platonicus. Nec tamen totum existimamus fictum.

De via et ratione, qua accedere hominem ad pulcri scientiam oportet:

« In his quidem amatoriis sacris, mi Socrates, tu fortasse initiari possis: ad magna vero mysteria, *τὰ τέλεα καὶ ἐποπτικὰ*, quorum etiam caussa haec sunt, pateatne tibi aditus, nescio: dicam igitur ego, nec quidquam ad te adjuvandum praetermittam: tu vero, si potes, me sequi nitere. Oportet eum, qui recte eo sit progressurus, statim a puero pulcra adire corpora: et primum quidem, si bene is ducat quem sequitur, unum amare corpus, et pulcros ibi sermones gignere: reputare autem deinde, pulcritudinem, quae cuilibet corpori inest, alterius pulcritudini corporis cognatam esse, et, siquidem persequi deceat, quod specie est pulcrum, unam eandemque esse, quae omnibus inest corporibus, pulcritudinem: hoc vero reputantem, omnium esse pulcrorum corporum amatorem. Porro, quod animis inest pulcrum, hoc corporum praeferre formae, ut si quis animo sit ingenuo, etiamsi corporis flore et venustate minus commendetur, id ipsi sufficiat et amet illum et curet et sermones pariat tali indoli consentaneos et nullos non alios quaerat, quibus adolescentes possint meliores fieri: ut hinc explorare et contemplari cogatur, quod in studiis, in officiis legibusque pulcrum est, et hoc videat, omne illud, quamvis varium, simillimum esse et cognatum: quo adductus, corporis pulcritudinem parvi ducet. Officiis autem legibusque perceptis, procedere eum oportet ad doctrinas, ut quod his inest pulcrum assecutus, et amplam jam variamque pulcri speciem contemplatus, haud amplius unius, ut mancipium, pulcritudine contentus, sive pueruli, sive hominis, sive studii, serviens illi, vilis sit et abjectus, 1) sed ad immensum conversus pulcri pelagus, intuens illud, multos pariat ac praeclaros sermones, sublimesque in uberrima philosophia sententias, donec illic confirmatus ac corroboratus, tandem aliquando unam deprehendat doctrinam, quae ipsius sit pulcri scientia.» 2)

Talis est celebratissima illa Socratis *ἐρωτικὴ*, *amoris disciplina*, cujus

---

Nam, si quid video, sensus amoris, sensus item religionis, ut hic sunt expressi, ab una proficisci sacra ejusmodi muliere potuerunt. Vid. Groen, *Prosop. Plat.* p. 25. et Wolf, *praef. ad Symp.*

1) Graeca sunt perturbata: *μηκέτι τὸ παρ' ἑνὶ, ὥσπερ οἰκέτης ἀγαπῶν παιδαρίου, κάλλος, ἢ ἀνθρώπου τινὸς, ἢ ἐπιτηδεύματος ἑνὸς, δουλεύων φαῦλος ᾖ καὶ σμικρολόγος·* Haud displicet Astii conjectura: — *οἰκέτης, ἀγαπῶν κάλλος, ἢ ἀνθ.* Sed nolim expungi *παιδαρίου*, quod servo apprime convenit. Relinquam hoc igitur, sed transpositum: *μηκέτι τὸ παρ' ἑνὶ, ὥσπερ οἰκέτης, ἀγαπῶν κάλλος, παιδαρίου ἢ ἀνθρ.* Sensum vertendo expressi.

2) *Symp.* 209. E. 210. D.

elegantiam et sublimitatem agnoscunt omnes, nos in primis admirari solemus simplicitatem: animadvertere autem hîc licet philosophiae et poëseos discrimen. Non laudatur amor, sed, qualis sit, quo tendat, quid efficiat, exquiritur: non alae memorantur animi, quae ad pulcri adspectum germinent, hominemque evehant in beatam Deorum sedem et campum veritatis; sed natura attenditur humana, et investigantur, quae ei insunt, studia et facultates sublimes. Enthusiasmus non describitur amoris, sed pari efficaciâ vis declaratur pulcri ad insitas quasque virtutes eliciendas et explicandas. Quo nos evexerat sublimis ille in Phaedro hymnus, qui poëticis his splendet imaginibus, eodem nos adducit simplex Diotimae sermo; sed efficit hic simul, ut quae illic poëtice sunt dicta, magisque ad movendum quam ad persuadendum valent, horum jam assequamur significationem, proprietatem atque, ut ita dicam, veritatem. Imo vero nos longius etiam educit Diotime. Jam enim pervenimus eo, quod in philosophia pulcri summum est et extremum, ad ipsam pulcri scientiam. «Jam vero, ait, omnem intende mentis aciem. Quicunque enim hucusque ad amatoria ductus est sacra, recte et ordine contemplatus pulcra, ad finem jam accedens amatoriae disciplinae, extemplo admirabile quoddam conspiciet pulcrum: idem illud, o Socrates, cujus gratia omnes antea labores suscepti sunt, primum quidem, quod semper est, nec fit unquam aut perit, neque augetur aut minuitur: porro, quod non partim est pulcrum, partim turpe, neque alio tempore est pulcrum, alio non item, neque alius rei ratione est pulcrum, alius turpe: neque ipsum illud pulcrum animo fingetur, ut vultus aliquis aut manus aut aliud hujusmodi, cujus corpus est particeps; neque ut sermo quidam aut doctrina: neque ut in re positum, ab ipso diversa, in animali, in terra, in coelo, alibi; *ἀλλὰ αὐτὸ καθ᾽ αὐτὸ μεθ᾽ αὐτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὄν· sed pulcrum est ipsum per se, secum ipso semper uniforme;* caetera vero omnia, quae pulcra sunt, sic illius sunt participia, ut cum oriantur haec et pereant, illi nihil neque accedat, nec detrahatur, neque aliunde eveniat. — Haec via est, qua quis ad amatoria vel ipse perveniat vel ab alio ducatur, ut a pulcris hisce exorsus, semper escendat, quasi gradibus utens, ab uno ad duo, a duobus ad omnia corpora pulcra, ab his ad pulcra studia, a studiis ad doctrinas pulcras, donec a doctrinis ad illam tandem doctrinam perveniat, quae non alterius est, quam *ipsius pulcri* scientia, ac percipiat postremo, quid sit pulcrum. In hac vitae conditione, mi Socrates, si usquam, homini vivendum est, ipsum contuenti pulcrum: quod si quando videris, haud exiges illud ad auri vestiumque splendorem vel juvenum formam. Quid? si eveniret cuipiam, ut ipsum pulcrum intueretur, simplex, purum, integrum, non humanis carnibus, coloribus, non aliis humanis nugis contaminatum, sed ipsum divinum pulcrum posset simplici specie adspicere? *ἆρ᾽ οἴει, φαῦλον βίον*

*γιγνεσθαι ἐκεῖσε βλέποντος ἀνθρώπου κἀκεῖνο ᾧ δεῖ θεωμένου καὶ ξυνόντος αὐτῷ, ἢ οὐκ ἐνθυμεῖ, ὅτι ἐνταῦθα αὐτῷ μοναχοῦ γενήσεται, ὁρῶντι ᾧ ὁρατὸν τὸ καλὸν, τίκτειν οὐκ εἴδωλα ἀρετῆς, ἅτε οὐκ εἰδώλου ἐφαπτομένῳ, ἀλλ' ἀληθῆ, ἅτε τοῦ ἀληθοῦς ἐφαπτομένῳ, τεκόντι δὲ ἀρετὴν ἀληθῆ καὶ θρεψαμένῳ ὑπάρχει θεοφιλεῖ γενέσθαι, καὶ, εἴπερ τῳ ἄλλῳ ἀνθρώπων, ἀθανάτῳ κἀκείνῳ; **Putasne, abjectam esse hominis vitam, qui illuc suspicit, et, quo oportet oculo, illud contemplatur ac miscetur cum eo? Nonne reputas, hic unice ei eventurum esse, ut pulcrum spectans, quo potest perspici, pariat non simulacra virtutis, quippe non simulacrum, sed vera, quippe verum amplexus? Qui autem virtutem peperit veram, partamque aluit, huic sane continget, ut Deo sit carus, et, si quis alius hominum, immortalis.»** 1)

His ita traditis et expositis, perspicere jam nobis licet, quae sit apud Platonem philosophia pulcri, quae ejus amplitudo et ubertas. Haud enim artes spectat potissimum, ut aesthetica, quae vulgo appellatur: non minus *boni* complectitur, quam *pulcri* disciplinam: ipsam complectitur *virtutem*, quae Socrate auctore aptissime vocari *καλοκαγαθία* solebat. Juncta est item cum studio veri et doctrinarum subtilissimarum, cum studio item *justitiae*. Nam una est philosophia, singulatim quidem exquirens pulcrum, verum, justum, diligenterque haec distinguens, nec tamen separans ea a se invicem et dissocians; diffusus est autem per eam totam et dominatur *amor*. Nam sive de pulcro quaeritur, amor ad pulcri adspectum incenditur, ejusque in animo vehemens quoddam excitat alitque desiderium. Sive veritatis respicimus studium, doctrinas amat philosophus ut delicias suas et amores, imo vero sic amat amasium suum, ut ejus amore ad veritatis perveniat spectaculum. Nec minus efficax est amor ad boni justique studium. Nam per pulcri appetitum ad virtutem ducit, quod Phaedri fuit sublime effatum, ad virtutem adeo, ut idem dixit, *ἐνθέους* efficit homines, ut mori pro se invicem sustineant. Quid? quod hanc vim amori tribuit Plato, nt optimos quosque sensus, optima studia, divinus omnes in homine facultates suscitet et corroboret. Sic viget amor in tota Platonis philosophia, et exhilarat in ea et quasi laetificat omnia, imo vero et universam et singulas ejus partes, ut *spiritus* aliquis, *intus alit*.

Ad finem perduximus, quod ab initio instituimus ut Platonis de pulcro et amore sententiam, locis adductis, lectorum judicio subjiceremus. Restat nobis quaerendum, quid in his omnibus ipsi Platoni, quid singulis, quas induxit, personis tribuendum videatur. Quod in Symposio non-

1) *Symp.* 210. D. — 212. A.

nihil habet difficultatis. Nam in Phaedro et ubicunque Socrates fere solus dicendi habet partes, non dubium, quin sub ejus persona loquatur Plato. Sed in Symposio qui dicunt de amore, e sua quique vel indole vel arte vel doctrina dicunt. Quamobrem cavendum quis censeat, ne quae illi proferunt, haec esse Platonis existimemus: non minus enim id absurdum fore, quam si quis tragico tribueret poëtae, quascunque in eius fabulis reperisset sententias. Age, ut supra de Phaedri, ita hîc de Symposii forma nonnihil adjiciamus animadversionis.

De Symposii Platonici forma et ratione.

Sermones illi e consuetudine repetendi explicandique videntur *carminum convivalium.* Apud Athenaeum tria eorum genera censentur, quorum primum est, quod omnes canebant simul, secundum, quod suâ quique vice singuli, tertium, quod soli canebant solertiores. Postremum genus ea continebat carmina, quae proprie σκόλια dicuntur. Habebant illa vel sententiam quandam praeclaram, vel vitae praecepta, vel patriae spirabant amorem et tyrannidis odium, uti celebratissimum illud in Harmodium et Aristogitonem. Plerisque autem talibus carminibus amor celebrabatur: quo excelluerunt maxime Alcaeus et Anacreon, unde Aristophanes in deperdita comoedia *Δαιταλεῦσιν*:

ᾆσον δή μοι σκολιόν τι λαβὼν Ἀλκαίου καὶ Ἀνακρέοντος. 1)

Eustathius, *μυρία δὲ*, ait, *τοιαῦτα* (σκόλια) *περιφέρονται· τὰ μὲν, σκωπτικὰ· τὰ δὲ, πρὸς ἔρωτα· πολλὰ δὲ, καὶ σπουδαῖα.* 2) In seriis illis numerandum prae caeteris Aristotelis scolion in Virtutem: 3) unde Horatianum ductum:

Hac arte Pollux et vagus Hercules
innixus arces attigit igneas.

Haec cum recepta esset in conviviis consuetudo, Xenophon in Symposio convivas dicentes fecit cum de aliis argumentis, tum etiam de amore. Exstat in scoliis Atticis venustum hocce:

Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῷ·
δεύτερον δὲ, καλὸν φυὰν γενέσθαι·
τὸ τρίτον δὲ, πλουτεῖν ἀδόλως·
καὶ τὸ τέταρτον, ἡβᾷν
μετὰ τῶν φίλων. 4)

---

1) *Deipnos.* XV. 694. A. B.
2) *Ad Odyss.* η΄. p. 277. Vid. Schweigh. ad *Athen.* l. l. p. 265.
3) Athen. 696. B. C.
4) *Eod.* 694. E. Cf. Plato *Gorg.* 451. E.

Similiter apud Xenophontem id praedicant convivae, quod quisque sibi optimum censet: quorum Critobulus *formâ*, Antisthenes *divitiis*, Niceratus *amicorum* virtute et auctoritate se maxime effert. 1) Sub finem Xenophontei Convivii de amore agitur: quod unum est argumentum sermonum omnium, qui apud Platonem exstant. Habent autem sermones, ut ipsa *σκόλια*, poëticum colorem, ductum illum a poëtis, maxime tragicis. Agnoscimus facile Euripideam sententiam in Phaedri et Agathonis oratione:

Ὅστις Ἔρωτα μὴ μόνον κρίνει θεὸν,
ἢ σκαιός ἐστιν, ἢ καλῶν ἄπειρος ὢν,
οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν. 2)

In ipso etiam Eryximachi sermone nonnihil occurrit, quod apte cum Euripide comparetur, v. c.

ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ', ὅταν ξηρὸν πέδον,
ἄκαρπον αὐχμῷ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ·
ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς, πληρούμενος
ὄμβρου, πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο. 3)

Quodsi superessent nobis Agathonis tragoediae, tum etiam deperdita, quam memoravimus, Aristophanis fabula: hinc certe magnopere utriusque poëtae apud Platonem dicta illustrare liceret. Superstites comici fabulae lucem affundunt Platonis scriptis, ut diligenter animadverterunt interpretes: in illis autem occurrunt, quae ipse in Symposio narrando usurpat, v. c.

ἐξ οὗπερ ὑμεῖς ᾠκίσατε τὸν ἀέρα·
θύει γὰρ οὐδεὶς οὐδὲν ἀνθρώπων ἔτι
θεοῖσιν· οὐδὲ κνίσσα μηρίων ἀπό
ἀνῆλθεν ὡς ἡμᾶς ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου. 4)

Sed haec alias.

Itaque non mirandum magnopere est, symposia scripsisse veteres philosophos. Haud tractarunt in iis abstrusas quaestiones, quas dialectica subtilitate et *ἀκριβείᾳ* explicarent. De amore disquisiverunt, ut idem fecisse videtur Aristoteles, cujus et *Συμπόσιον* memorant antiqui et *Ἐρωτικά*. 5) E scoliis prodierunt sermones illi; sed Plato iis indidit vim quandam philosopham, ut multis cum jocis et facetiis, in summa dicentis audientiumque hilaritate, placita continerent interioris et reconditae doctrinae. Itaque respiciunt apud eum et Phaedrus et Pausanias nobilis-

---

1) Xenoph. *Symp.* c. 3.
2) Apud Athen. XIII. 601. D.
3) Apud eund. p. 600. A. ubi cf. proxima ex Aeschylo.
4) Aristoph. *Avibus* vs. 1515. Cf. *Symp.* 190. C.
5) Vid. supra p. 77.

simum scolion in Atticae libertatis instauratores, hic utriusque celebrans et fortitudinem et amorem, 1) ille Achillis praedicans cum praeclara facinora, tum munus, quo eum Dii bearunt; 2) sed utriusque amoris distinctio, accurata illa et vere philosopha, qualis est Pausaniae, Platonica est sive Socratica. Imo vero sic dicunt omnes, ut, in sermonum ordine et successione, succedere sibimet invicem videantur sententiae Platonicae, aptissimeque ita tota exponatur philosophi de amore doctrina. Quo magis constat, quod aliunde item probabile est, diu post Phaedrum, hunc a Platone dialogum scriptum esse. Ordo sane ille disputationis et constans illa atque aequabilis progressio, quae hîc occurrit et in Phaedro requiritur, ingenium prodit scribendo exercitatum; et vero, quod utriusque dramatis vim et rationem attinet, in Phaedro *poëta* occurrit, qui philosophatur, in Symposio *philosophus*, qui philosophiam poësi exornat et exhilarat.

Sed quod dicitur de tragicis poëtis, dicta illis omnia tribuere, quae ipsi tribuerint aliis, summae esse perversitatis, nobis hoc item et perversum videtur et vero stultum; sed, ut taceam recentiores tragicos, qui philosophiam suam in scenam traduxerunt, id sane apud Graecos fecerunt Epicharmus et Euripides. Quorum hic quidem sic exposuit in scena Anaxagorae suamque doctrinam, ut apte eam ex ejus fabulis effecerit Valckenarius. Opportune autem mihi videor Euripidis attulisse exemplum, quippe qui prae caeteris vim amoris puri et coelestis carminibus suis expressit, cuique Plato, ut saepius identidem observavimus, quam plurimum debuit. Nam sic de amore existimare, ut Socrates existimavit, non Socrati unice proprium erat, sed ipsi adeo, qua vixit, aetati: quo factum, ut mediae novaeque comoediae scriptores pariter de amore philosopharentur, Menander τῶν κωμικῶν ἐρωτικώτατος dictus sit. 3) Quod igitur in fabulis fecerunt poëtae, dubitabimus num idem in dialogis fecerit Plato? In dialogis, inquam, qui, quamvis dramatibus similes, imo ipsi dramata vocandi, proxime tamen ad philosophicas referendi sunt disquisitiones.

---

1) *Symp.* 182. C. ἔργῳ δὲ τοῦτο ἔμαθον καὶ οἱ ἐνθάδε τύραννοι· ὁ γὰρ Ἀριστογείτονος ἔρως καὶ ἡ Ἁρμοδίου φιλία βέβαιος γενομένη κατέλυσεν αὐτῶν τὴν ἀρχήν.

2) *Symp.* 179. E. 180. B. ὥσπερ Ἀχιλλέα τὸν τῆς Θέτιδος υἱὸν ἐτίμησαν, καὶ εἰς μακάρων νήσους ἀπέπεμψαν. — τὸν Ἀχιλλέα εἰς μακάρων νήσους ἀποπέμψαντες. Scolion autem haec habet:

φίλταθ' Ἁρμόδι', οὔ τί που τέθνηκας,
νήσοις δ' ἐν μακάρων σέ φασιν εἶναι,
ἵνα περ ποδώκης Ἀχιλεύς —

3) Vid. supra p. 63 Cf. Fabr. *Bibl. Gr.* II. 22

Dicat igitur quisque apud Platonem e sua et indole et doctrina et disserendi ratione, exagitet adeo et perstringat Socrates, quae a Phaedro et Agathone dicta fuerunt: spirat tamen in omnibus eorum sermonibus genius Platonis, in illis vero potissimum, quos Socrates habuisse cum Diotima dicitur. Hi autem ita prorsus sunt Platonici, tamque accurate tradunt philosophi de ideis et summo philosophiae proposito sententiam, ut doctrinae Platonicae universae tantum non descriptionem contineant.

Quae cum ita sint, fuse nos hunc locum tractavimus, imo fusius fortasse, quam multis aptum aut necessarium videatur. Est enim haec vulgaris hominum consuetudo, ut quae in placitis veterum suae sententiae suaeque aetati conveniunt, studiose exquirant: quae vero abhorrent, vel mittant plane vel negligentius tractent, etiamsi haec eorum, quae laudant, initia et quasi semina contineant. Itaque metaphysicam Platonis, dialecticam, morum doctrinam, politicam, quin theologiam ac cosmologiam accurate fere tradunt interpretes; sed placita de amore tantum abest ut semina esse ducant universae philosophi doctrinae, ut ea luxuriantis ingenii παραβλαστήματα habeant. Quo nos in hisce disquisitionibus ulterius progrediemur, eo nobis magis, qualia sint illa placita, patebit. Hîc vero jam animadvertamus, fluxisse ex amatoriis hisce sermonibus praestantissimas veterum, in primis Peripateticorum, de amicitia disputationes: quarum ad exemplum scriptus videtur Ciceronis Laelius. Nam amor apud Platonem, si vis ejus quaeritur in morum doctrinâ, proprie amicitia est, quamquam ejusmodi illa, ut omnem amoris et sensum habeat et effectum et necessitudinem. Amicitia autem quam late pateat per totam veterum non tantum moralem, sed politicam etiam disciplinam, quis nescit, qui politica veterum, Pythagoreorum maxime, placita perspexit? Quae vero ab antiquis de amicitia tradita sunt ac de gravissimis hisce disciplinis, quomodo tantâ tradi et vi et sublimitate potuissent, nisi puri coelestisque amoris sublimes praeivissent descriptiones? Neque vero aliter existimandum est de tota philosophia antiqua. Nisi traductum in eam fuisset, quidquid de amore rebusque divinis et humanis cecinerant poëtae, plena quidem illa esset subtilissimarum quaestionum, sed frigeret, ut frigent nunc scripta scholasticorum philosophorum. Platoni autem maxime hoc debuit philosophia, ut antiquae poëseos et lumen et sublimitatem susciperet, jungeretque sensibus excelsis de pulcro et justo disquirendi disserendique subtilitatem. Primus ille fuit mortalium, judice Plutarcho, qui philosophiae ope amoris mysteria declararet. « Bene quidam dicunt et divina quadam fortuna veritatem attingunt, dicentes, amori deditis reditum ab inferis concedi, ὅπη δὲ καὶ ὅπως, ἀγνοοῦσι, ὥσπερ ἀτραποῦ διαμαρτόντες, ἣν πρῶτος ἀνθρώπων

διὰ φιλοσοφίας Πλάτων κατεῖδε.» 1) Ecquis igitur locus est in Platonis philosophia, qui interpreti diligentius sit tractandus?

Caeterum rationem, qua haec exposui, totam relinquo lectorum judicio. Simplicitate peccare malui, quam alienâ doctrinâ temere admiscendâ. Quae vero maxime essent Socratica et Platonica, haec studui interius cognoscere et perspicue tradere. Inserui subinde nonnulla, quae scripta Platonis magis, quam philosophiam, spectarent: sunt autem haec pauca. Nam ne filum abrumperetur philosophicae disquisitionis, animadversionibus criticis, maxime de auctoritate scriptorum Platonicorum, de quibus hodie in primis disputatur, *quaestiones Platonicas* destinavi. Illud vero egi potissimum curaeque habui, ut, quod Cicero ait, *ex ipso Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manaret oratio*, 2) ac, Platone in sua luce posito, caverent deinde philosophi, ne suam sententiam Platoni obtruderent, neque, ut verbis utar Wyttenbachii, *Platonis sententiam ad ineptissimum quodque commentum detorquerent et a germano veri pulcrique sensu ad scholasticas nugas converterent.* 3) — Sed pergamus ad philosophiam veri.

1) *Amat.* 762 A. Sic factum, ut Plutarchus, ut Neoplatonici, ut Scholastici etiam postea, auctore maxime Abeilardo, certatim de amore philosopharentur. Et hi quidem theologiae id suae accommodarunt; sed hoc ipsum valuit, ut servarentur illa placita, quamvis corrupta, et quoquoversus dimanarent. Inde *spiritualis*, qui vocatur, *amor*, longe profecto a Platonico alienus, sed hoc tamen nomine in Dantis et Petrarchae carminibus obvius. Exorto deinde sub Mediceis ipsius Platonis studio, ut quisque maxime Platonem in philosophando secutus est, ita amorem indagavit studiosissime. Cujus rei illustre exemplum praebuit praecedente saeculo Fr. Hemsterhusius, haud immerito ille a Gallis et Germanis *Batavorum Plato* vocatus.

2) Cic. *Tusc. Q.* V. 12.

3) *Vita Ruhnk.* p. 48.

PHILOSOPHIA VERI

SIVE

DE MUNDO *νοητῷ.*

> *Ἀλλὰ δεῖ, ὦ Γλαύκων, ἐκεῖσε βλέπειν. — Ποῖ; ἦ δ᾽ ὅς. — Εἰς τὴν φιλοσοφίαν τῆς ψυχῆς, καὶ ἐννοεῖν ὧν ἅπτεται καὶ οἵων ἐφίεται ὁμιλιῶν. —*

Fuit sane magna et optimarum artium studiis salutaris, quae patrum memoriâ exstitit, philosophiae commutatio. Nam quamvis haec antea, a renatis inde literis, e scholastica barbarie caput extulerat, repudiatisque dialecticorum vanis et absurdis contentionibus, verum exquirere nullâ non viâ et ratione coeperat, tamen, quae temporum illorum fuerat ratio doctis unice acutiorisque ingenii viris consuluerat, caeteris tantum non ignota manserat. A medio vero inde superiore saeculo communis haec invaluit per universam fere Europam philosophorum sententia, istis non finibus cohibendam esse philosophiam, sed procedere eam latius, et ad omnis generis conditionisque homines pervenire oportere, ut universi ex ejus studio fructus caperent uberrimos. Quocirca, remotis impedimentis, quibus ejus aditus adhuc fuerat plerisque interclusus, philosophi et suâ quique linguâ scribere, et suavius elegantiusque, quam fieri consueverat, in primis populariter philosophari instituerunt: argumentum autem, quod philosophando explorarent, illud sibi proposuerunt maxime, quo nullum tenere magis quosvis homines deberet, ipsum *hominem.* Hinc disquisitiones multae variaeque de historia humanitatis, quibus et hominis et generis humani natura ac varia variis locis temporibusque conditio exponebatur. Hinc eruditorum consuetudo, ut, quodcunque tractarent doctrinae genus, principia ejus ducerent ex hominis natura. Hinc stu-

8*

dium praesertim philosophorum acerrimum, quo mentem humanam indagabant, ejusque discernere facultates diversas tentabant: unde criticae philosophiae et nomen exstitit deinde et auctoritas summa. Sed hinc etiam infinitus librorum numerus, qui ubivis prodierunt de recte excolendo homine, i. e. de puerorum educatione, de optima docendi via et ratione, de doctrinis ad communem omnium usum et utilitatem adhibendis: omnino, ut rem paucis complectar, *scholam reliquit philosophia et versari in hominum luce et celebritate coepit.*

Sed quamvis praeclara fuerint parentum nostrorum in philosophiam merita, quamvis adeo sponte antiquorum ingressi sint vestigiis eosque superaverint subinde, sunt tamen multa, quae in eorum studiis cum reprehendenda sint nobis, tum caute vitanda. Nam — ne dicam de popularitate illa, cui cessit haud raro interior rerum inquisitio — quod Baco et Lockius antea instituerant, ut hominem explorarent, hoc ita persecuti sunt tum Angli plerique, tum Gallofranci philosophi, ut sensus attenderent diligentissime corporis humani, vim hominis internam, internum sensum vix attenderent. Quo effecerunt, ut, partim homine eximie explorato, hac vero parte praecipuâ neglecto prorsus, ipsum hominem, i. e. naturam moralem, aeternitati destinatam, non tantum non explicarent, sed obscurarent prorsus. Exstiterunt adeo, qui plantae hominem, alii, qui machinae facerent similem, nonnulli, qui et hominem et rerum universitatem solis moveri mechanicis viribus legibusque contenderent. Quorum libri ipsâ illâ, qua perscripti erant, perspicuitate et popularitate, multis persuadebant opiniones hasce, coque persuadebant facilius certiusque, quo majorem vulgo homines oculis habent fidem, quam internis, sed obscurioribus animi sensibus. Alieni ab hisce opinionum commentis manserunt melioris graviorisque indolis viri, neque exstitit apud Germanos Batavosve paulo quidem humanior celebriorque philosophus, qui indigna haec homine placita sive proferret in lucem sive commendaret: sed eorundem Germanorum haud pauci fuerunt, posterioribus maxime temporibus hisce, qui inquirendi diligentiae severitatique omnem, vix ullam perspicuitati operam navantes, et suis ipsorum placitis et toti philosophiae sic tenebras offunderent, ut ab ejus studio et cognitione, exceptis philosophis, caeteros homines excluderent omnes. Quam philosophandi rationem, ubivis hodie in dies invalescentem magis, tam artibus doctrinisque, quam ipsi philosophiae vehementer nocere, nemo est, quin sponte videat, et ipsi fatentur dolentque cultioris ingenii Germani.

Longum hoc, dicat aliquis, prooemium est: *μακρὸν τὸ προοίμιον τῷ ἐπιθυμοῦντι ἀκοῦσαι.* Verum nostrum non hoc unice propositum est, ut philosophiam Platonis interpretemur; illud spectamus item, quod jure aliquis ab interprete postulet, ut interpretandâ eâ praesentibus temporibus consulamus. Nemo est, quin optet ardenter, ut, quam viam iniimus

verae philosophiae, quae tam disceptandi diligentia, quam popularitate, omnibus esset mortalibus salutaris, hanc viam, in neutram discedentes partem, constanter persequamur. Prodesse autem huic studio, sane quam generosissimo, nihil poterit magis, quam si Socratem et Platonem, ipsius philosophiae in hominum genere parentes, sequi conemur. Quod non eo valet, ut, puerorum iustar, haud quidquam probemus, nisi quod illi dixerunt, aut, quae dixerunt, unice vera putemus. Misera esset profecto gentium Germanicarum conditio, si post tot tantosque exantlatos ad verum inveniendum labores, constaret tandem, frustra ipsas per tot saecula laborasse, vanaque esse et falsa summorum celeberrimorumque philosophorum placita. Sed id nobis agendum est, ut discamus ab illis philosophiae auctoribus, quid sit philosophia, quo pertineat maxime, qua sit tractanda ratione: tum vero, eorum secuti exemplum, et eleganter philosophemur et vero subtiliter, tantamque evidentiae et popularitatis, quantam interioris disquisitionis, rationem habeamus: caveamus autem praesertim, quod illi caverunt prudentissime, ne hominis externam sive physicam conditionem exploremus unice; quo fit, ut excellens natura, tantis instructa dotibus et facultatibus, bestiae nobis instar videatur; sed hominem consideremus totum, quoque sit suâ ipse naturâ et pulcri et veri et justi, imo vero immortalitatis rerumque divinarum studio et ardore. His primum perceptis germanae philosophiae principiis, porro licebit nobis ex praeclaris proficere recentioris aevi inventis, ut e suae aetatis priscique saeculi inventis ipsi profecerunt Socrates et Plato. Hac autem, et hac quidem una ratione, ad communem generis humani salutem philosophiam adhibebimus. Nam ita profecto se res habet: decet *philosophiam non in scholae umbra, sed in media versari hominum societate;* verum, huic suo muneri atque officio ut philosophia satisfaciat, *philosophos oportet rite esse in schola eruditos, Socratis maxime et Platonis institutione.*

Et huic quidem communis omnium salutis provehendae proposito cum illa jam quodammodo apta esse potuerunt, quae supra ex Platone de insito mortalibus pulcri bonique studio attulimus, tum haec proderunt, ut speramus, potissimum, quae, eodem duce et auctore, de veri studio et inquisitione nunc sumus disputaturi. Abest sane multum, ut novam nos, quam vocant, inducere philosophiam instituamus: non sumus nos philosophi, sed esse cupimus philosophiae, certe antiquae, interpretes: antiquam autem hancce instaurare interpretando, revocare in naturae viam philosophos, si qui ab ea discesserunt, omnesque incendere veri studio et amore, id nos in animum induxisse maximeque habere in votis, non diffitemur.

Non *pars* quaedam nova philosophiae est, quam nunc sumus tractaturi. Haud magis Plato, quam Socrates, de dividenda in partes philosophia

cogitasse videtur. Sed erit haec nobis veri disquisitio in studio sapientiae *progressio* quaedam. Nam fert ratio ingenii humani, ut a pulcro ad verum, ab artibus ad doctrinas, ab iis, quae sensibus, ad ea, quae sola mente et cogitatione percipiuntur, progrediatur. Quod iter ut et hominis est cujusvis praestabilioris, qui ad cultum procedat suum, et gentium fuit cultiorum omnium, ita in primis philosophiae sit necesse est: quippe quae ante caetera omnia hominis, sive animi humani, naturam, studia, perfectionem exploret, tum etiam dux esse homini debeat, ut naturae viâ ad sapientiam accedat. Est autem ejusmodi progressio haecce, ut nunc demum in ipsum philosophiae regnum, quod idem est veritatis, simus perventuri. Nam, pulcri tradendâ scientiâ, praeparavit nos quodammodo Diotimae sermo, ut verum a specie distingueremus; nunc vero, quid ipsa scientia sit, diligenter datâque operâ exquiremus. De uno pulcro egimus hactenus, neque est sane ad haec studia inchoanda blandius efficaciusque invitamentum; nunc vero de rebus omnibus qua sit ratione judicandum, dispiciemus. Relinquendus omnino nobis ὅρατος hic mundus erit, errorum falsarumque opinionum plenus: escendendum autem in mundum νοητὸν, ubi lucent ideae omnes, quas qui non animo perspexerit, veritatem in judicando assequi nulla ratione poterit.

Est magnum sane illud et sublime, quo tendimus. Veruntamen quid homini utilius, quid magis in vita necessarium est, quam recte judicare et cernere verum? Id autem in rebus maximis gravissimisque assequi nemini mortalium licet, nisi cui mens animusque ab his rerum umbris et simulacris, quibus per sensus decipimur, totus sit ad res ipsas, ad veri ideas perfectas conversus. Nec vero ita ardua est nobis in philosophia Platonis via, ut in caeterorum plerorumque philosophorum doctrinis. Naturae ille viam tenuit. Namque ut fecerat in superioribus de *pulcro* disceptationibus, ita in hac *veri* inquisitione, οἴκοθεν ἀρξάμενος, quod ajebat Socrates, *nosmetipsos* primum, quaeque insunt nobis studia, exquirere nos jubebit: in quibus amorem, principiorum omnium summum et efficacissimum, insitum nobis *veri amorem*, attendet nobiscum potissimum: unde profectus, quomodo optime his studiis, huic amori, his veri appetitibus satisfacere possimus, quaeret, *disciplinasque* explorabit, quibus ad verum homo, ut *artibus* ad pulcrum, adducitur, *dialecticam* in primis, disciplinarum principem. Tum vero demum, perquisitis his omnibus, in ipsum nos evehere mundum νοητὸν, ex hac inscitiae errorumque sede ad scientiam et veritatem ducere aequabili ratione conabitur. *Naturae* haec, inquam, via est, quamquam eam pauci tenuerunt. Nam ad finem quis recte tendet, apud quem de principiis non constet? Quis *pervenire* ad finem, perficere, quod cupit, potest, nisi viam edoctus, qua debeat procedere, ususque instrumentis, quibus opus perficiat? Unde in omni disciplina haec tria memorantur

vulgo, *principia*, unde inchoandum, *officia*, quibus fungendum, *finis* quo tendendum est. 1) Sed in veri philosophia philosophi ad finem festinant citius vulgo, quam par est, statimque disserere de vero, de mundo νοητῷ, de metaphysicae, quam vocant, principiis solent: certe principium, quod diximus, Socraticum et Platonicum, *amorem*, negligentius atteudunt.

Quo magis nos continuo, ut Plato fecit, innatum hunc nobis veri amorem explorabimus: et primum quidem puerorum observandis sive adolescentum studiis, in quibus, ut ait Cicero, ipsa natura elucet in primis: tum maxime quaestionibus explicandis gravissimis, quid sit *discere*, quid *docere*, quae *vera* sit *eloquentia*, quae *optima scribendi ratio*: quae recte explicari, nisi ex veri amore humanae naturae proprio, non possunt, hinc autem explicitae, ad idem hoc omnis cognitionis philosophiaeque principium interius percipiendum vim habiturae maximam videntur. Nec deerunt nobis haec exquirentibus opportunitates, quibus in omnem exspatiemur antiquitatem: quod neque injucundum erit et perutile, imo vero ad rem, quam indagabimus, reperiendam necessarium. Nam Plato philosophiam suam, non, ut systematis auctor aliquis, libro cuidam inclusit, sed hunc scilicet in modum scripsit, ut veritatis virtutisque studio ad dicendum scribendumque excitaret quam plurimos. Unde in omni literarum, praesertim oratorio, genere, auctoritas ejus antiquo aevo summa fuit: nec plene percipi hodie multorum, ne ipsius quidem Demosthenis et Ciceronis, scripta possunt, nisi lectis accurate penitusque perspectis Platonis dialogis. Sed hinc factum item est, ut, quo magis nosmetipsos in omnem antiquitatis et cogitandi et disserendi scribendique rationem insinuaverimus, quoque scripta, quae ex fonte Platonis manarunt, *palmaria* cognoverimus interius, eo nobis Platonicae philosophiae principia appareant dilucidius. Inde autem capiamus disquisitionis nostrae de veri amore initium, unde totam duximus superiorem disputationem, a Socratis apud Platonem in amorem encomio.

---

1) Cic. *de Invent.* I. 1. fine et 5.

DE

VERI AMORE.

Pulcerrimus est sane et dignus Platone Socratis ille in amorem hymnus, quem disceptationibus suis interioribus praemisit auctor: nos autem appellare philosophiae Platonicae sublime *prooemium* non dubitavimus. 1) Argumentum hymni (nam juvat reminisci) pristinus erat et praesens animorum status. Beata celebrabatur Deorum immortalium vita, talis illa, qualis una et Deos decet et dici *divina* potest, quae non voluptatibus, sed idearum, sed ipsius veritatis contemplatione cernitur. Divinae hujusce felicitatis participes fuisse aliquando animi humani dicebantur: Deos hi secuti in coelesti itinere, spectaculo delectati sunt omnium pulcerrimo, quippe pulcri, boni, justi, sancti perfecta intuiti exempla. Lapsi deinde in terram, sic pergebat Socrates, indutis corporibus hisce, beatam illam divinamque vitam cum abjecto hoc et misero statu commutarunt, ut, quae nunc nostra conditio est, pro veritate falsas imagines amplecterentur coecorumque instar oberrarent. Verum, quamvis exclusis Deorum choro, superest tamen nobis eorum, quae tum adspeximus, reminiscentia quaedam, levis illa quidem et perobscura, sed reminiscentia tamen: qua fit, ut facultas homini sit cum veri inveniendi, tum percipiendae denuo, quam tum percepit, felicitatis: modo instituatur rite, quod philosophiae munus est. Sed hymno recitando Socrates *amorem* celebraverat in primis·

1) *Initia*. p. 49.

In hac pristinae vitae recordatione, pulcrum maxime, dicebat, mentem subit, quippe quod fulgebat illic splendidissime: hinc amor: hinc furor amoris, cui optima debemus eorum, quae praesens continet vita nostra. Caetera quid persequar? Nam sponte meminit, qui haec semel percepit, et nos eadem in superioribus cum illustrare singulatim, tum ad ipsam illustrandam philosophiam pulcri adhibere studuimus. 1) Illud hoc loco memorandum unice est, *veri* non minus Platonem, quam pulcri philosophiam sublimi hoc μύθῳ expressisse. Nam per amorem philosophiam dixit non tantum ad pulcrum nos continuo, verum etiam ad caeterarum idearum ipsiusque veritatis spectaculum reducere. 2) — Sunt haec pulcerrima sane, et hebes sit necesse est, qui eorum vim ad germanam philosophandi rationem non ultro perspexerit; vaticinatus his fere Socrates est, qui lateant in puerorum animis igniculi, quid discere sit, quid effici docendo debeat, quod veri sit oratoris scriptorisque, quod omnis philosophiae munus gravissimum; sed, quo id fiat omnibus evidentius, quo id perspicere interius cultiores doctioresque possint, ex caeteris Platonis scriptis diligentiorem petemus plenioremque harum rerum disquisitionem. Diligentiam scilicet in omni argumento tractando postulat philosophia; sed tum in primis, ubi ad ipsam nos ducere veritatem conatur.

Oratorum et Sophistarum de opinione et scientia placita.

Sed ingressuris hanc disquisitionem, ecce! simile quid nunc nobis accidit atque in superioris disputationis ingressu. Tum Lysiam Plato objecit nobis, qui ab amore praecipere caute esse abstinendum; quippe insaniae pleno et noxio mortalibus. Simillimae indolis homines sunt, pariter ἄμουσοι, omni pariter destituti sublimitatis sensu, quibuscum hic nobis agendum erit: *oratores* vocantur item, accedunt autem *sophistae:* similiterque hi nobis, *verum* nunc petentibus, aditum student occludere. Nam ut frigent, ubi nos ardemus veri amore, ita ludibrio habent et amorem, quem loquimur, et ipsam veritatem. Esse veritatem negant, quam colimus nos uniceque propugnamus: suum, ajunt, cuique, quod *opinatur*, verum esse, aliud aliis longe diversum: coli igitur a nobis speciem, haud quidem spernendam, pulcerrimam adeo omnibusque perutilem, sed speciem tamen. 3) Quae ipsis sententia sic placet, sic probari hominum vitâ et consuetudine videtur, ut eam crepent ubivis, imo vero in res humanas gravissimas, in civitatem moderandam, in juventutis adeo institutionem,

1) *Initia* p. 50 sqq.
2) *Phaedr.* 247 D.
3) *Theaet.* 152 D. *Cratyl.* 386 C.

qua nihil est in re publica gravius, conferendam adhibendamque existiment. 1) Ducendam esse affirmant multitudinem veri *specie*, quam qui ostendat maxime probabilem, hunc oratorem optimum, qui informare ad summum civitatis emolumentum possit, optimum appellant rei publicae rectorem. Juvenes autem generosos tantum abest, ut rite excolant aptosque reddant, qui praeesse aliquando, certe prodesse possint civitati, ut eos corrumpant plane. Nam cum liberare eorum animos oporteret vanis praejudicatisque opinionibus, quo verum assequerentur facilius; non liberant, sed suis insuper opinionibus opplent. Cum excitare in iis deberent, qui intus naturâ adest, quamvis lateat istos, amorem veri, eoque excitando incendendoque efficere, ut ipsi per se sponte sua ad veri scientiam contenderent; restinguunt hunc amorem in animis, impediunt saltem, ne inflammetur. Nam cur non impediant, quoties longis infinitisque habendis orationibus speciem illis rerum ostendunt, res occultant, speciem autem sic commendant, sic veritati fingunt similem, ut illi per totam deinde vitam umbris falsisque simulacris, *opinionibus* omnino delectentur; veritatem vero non tantum non ament, sed esse adeo, excepta specie, negent. Quid faciamus hominibus istis? Nam haud sane negligendi videntur esse, aut contemnendi. Confirmare haec placita summorum cum poëtarum tum philosophorum auctoritate nituntur: quippe perquam sunt et docti et acuti et praesertim diserti. Ab Homerico igitur exorsi, quod reconditae ipsis videtur sapientiae plenum:

Ὠκεανόν τε, θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν·

sic placuisse sapientissimis viris, ajunt, ut fluere mutarique semper omnia, nil esse stabile vel firmum contenderent: contendisse igitur videri eosdem, in hac rerum fluctuatione veri esse nihil, sed id dici verum, quod videatur: hoc autem aliis hominibus, aliis temporibus aliud esse. In quibus Heracliteum afferunt in primis: ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης· *in idem flumen bis non descendas:* 2) nam, praeterfluente aqua, aliud semper flumen nascitur. Sic, ajunt, in hoc quasi flumine rerum omnium, quo agitamur, nomine dicuntur singula *eadem* esse, re autem non sunt. Quid? quod homo ipse, mens adeo hominis, quae exquirit verum, mutatur semper. Influunt in eam extrinsecus res, quod *discere*, effluunt inde pariter, quod *oblivisci* vocamus. Quid igitur relinquitur, quod esse statuamus *verum?* — Sic illi: nec profecto, nam quid diffiteamur? plane absurda proferunt, et sententias emittunt subinde, sapientiae, ut videtur, plenas. In his Protagoras, sophisticae

---

1) *Gorg.* 483 A. sqq. Vid. de his sententiis *de Geer* Diatr. in polit. Plat. princ. p. 13 sqq.

2) *Cratyl.* 402 A. et *Theaet.* 152 E. Explicuit sententiam maxime Seneca, *Ep.* 58. Vid. *Wytt.* ad Plut. de S. N. V. p. 76.

pater, qui non pueris, non vulgo, non credulis hominibus, ut caeteri plerique, inventa sua probare, sed doctis et philosophis studuit. 1) Pronunciavit is et libris consignavit effatum: *πάντων χρημάτων μέτρον εἶναι ἄνθρωπον omnium rerum mensuram hominem esse.* Quod non sane carere verisimilitudine videtur. Quae enim aliis dulcia videntur, amara videntur aliis: aegrotis eadem aliter, aliter sanis apparent: eidem adeo homini idem alio tempore placet, alio displicet. 2) «Fit hoc, ait, ita, quia in rebus judicandis homo ipse sibimet quasi mensuram praebet, ad quam eas exigat, et alio quidem tempore aliam: ut autem homo sic omnium sibi rerum, ipsius veritatis, mensura sit, efficitur mentis hacce omniumque rerum mutatione perpetua;. a fortuito rerum cum mente concursu judicia pendent.» — Ingeniose omnia et partim recte. Ast, veritate sublata, quid rebus humanis fiet? quid moribus? quid ipsi Deorum cultui? Quod autem Deos attinet, hos scilicet illi esse negant simpliciter, vel num sint, ut Protagoras, in medio relinquunt. 3) Et hercle! quid Deos, quid sanctitatem, pietatem, verecundiam, quid justitiam loquerentur? Tollunt haec ipsi decretis suis. Tria esse pronunciant in hac rerum universitate, *φύσιν, τύχην, τέχνην, naturam, casum, artem;* his autem fieri omnia. 4) Quo effato *naturae* et *casui* pleraque, nihil divinae providentiae tribuunt; leges autem ipsamque justitiam ab *arte*, a solertia hominis repetunt: a solertia? imo vero a tyrannorum haec repetunt dolis, astutia, insolentia, ut contendere ausus Thrasymachus est; ipsam legem adeo tyrannum appellant civitatis, quippe a tyrannis ad commodum suum civiumque detrimentum excogitatam et inductam. Unde ejusdem Thrasymachi dictum, quo sibi iste placebat mirifice, acutum sane, sed nefandum, esse justitiam *ἀλλότριον ἀγαθόν, οἰκεῖαν ζημίαν*· 5) quo quid dici turpius, quid moribus, quid vitae perniciosius, quid rebus divinis humanisque indignius potest?

His igitur hominibus, haec nobis placita, haec dicta impia in ipso itineris nostri ingressu objectantibus, quid faciemus? Scilicet, nostrâ nos viâ, ut coepimus, progrediemur placide, neque illorum impugnantes sententiam, nec vero propugnantes nostram, sed quaerentes, explorantes, si forte, ut pulcrum conspicati sumus, ita veritas nobis alicubi appareat. Num illud, quod quaerimus, tale reperturi simus, quale jam suspicati quodammodo sumus, incertum est; nec vero id spectamus: nam si in alia quavis, in hac certe ipsius veritatis disquisitione, non quod opinio-

1) *Protag.* 316 D.
2) *Theaet.* 152 B.
3) *Eod.* 162 E.
4) *De Legg.* X. 888 E. — 890 E.
5) *De Rep.* III. 392. B. I. 343. C. Vid. *de Geer.* l. l. p. 17 sqq.

nibus nostris consentaneum, sed quod verum est, quaerimus, sive conveniat illis, sive repugnet. Quidquid igitur clamitant isti, nihil nunc quidem moramur. Quodsi quaerendo reperisse nobis aliquando nonnihil visi fuerimus, tum scilicet non aspernabimur, sed redibimus ad illos hilares, sed eorum inventa diligentius considerabimus, illisque haec nostra comparabimus; si praestabunt illa, laudabimus, accipiemus: nam neminem odimus, omniumque minime illos scilicet, qui sapientiae sunt et virtutis doctores. Sin vero non videbuntur praestare, illi, quid faciant, ipsi viderint: nos speciei veritatem, opinioni praeferemus scientiam. Caeterum scientiam nos, si minus consecuturos, certe, cujusmodi sit, assecuturos esse, confidimus, speramus saltem: quam nobis spem alit consideratio, justam nos instituere quaerendi rationem, quippe a nobismetipsis, ab homine, a veri amore homini innato proficiscentes; firmat autem spem illam maxime hic ipse noster veri amor, cujus nobis, ut ipsius vitae nostrae, conscii sumus. Sed sequamur ducem nostrum.

De insito naturâ homini veri amore.

Plato in *Politia* ejusmodi nobis disputationem reliquit, quae ex ipsa petita hominis indole, una valere maxime ad veritatis vindicandam auctoritatem possit; et sane adolescentes, quos illic colloquentes cum Socrate fecit, tales proposuit nobis, quales suo ipsi ingenio insitum mortalibus proderent amorem veri. 1) Sed hoc idem aliis conscribendis dialogis, in primis *Theaeteto*, datâ operâ egit: utque apparent fere hominis studia facultatesque eo illustrius, quo sit praestantius ingenium, in quo ea exploramus, ita in hoc nobis dialogo perfectae naturae adolescentem conspiciendum explorandumque dedit. Fecit scilicet philosophus in his de vero disquisitionibus, quod in sermonibus de pulcro et amore perfecerat. Illic nos in mediam continuo transtulit pulcri philosophiam, imagine nobis Phaedri proponendâ, pulcerrimi adolescentis et perquam amabilis, cujus cum Socrate de pulcro et amore sermones id effecerunt, ut esse fateremur amorem non noxium mortalibus, ut Lysiae placebat, sed maximorum bonorum auctorem. Pariter nunc nobis adolescentem proponit indole divinâ, non formosum, Socrati adeo simillimum, qui a forma profecto non commendabatur magnopere; sed talem, qualem hoc postulat argumentum, flagrantem sapientiae amore, naturâ philosophum, cujusque in animo Socrates insitam discendi cognoscendique facultatem sic excitat sermocinando, ut, quae hominis sit ad veritatem inveniendam indoles nativa, quaeque indolis sit hujus promovendae corroborandaeque ratio optima, sponte simus assecuturi. Nam Plato, quod diximus, quae mente excogi-

1) *De Rep.* VI.

taverat, oculis haec fere lectorum subjicere studuit, utque tum nobis *Phaedrus* apparuit *ὁ φιλόκαλος, ὁ φιλόμουσος, ὁ ἐρωτικός·* ita nunc *Theaetetum* explorabimus, *τὸν εὐμαθῆ, τὸν φιλομαθῆ, τὸν φύσει φιλόσοφον·* pariterque nunc nobis Theaetetus hicce philosophiam *veri* recludet, ut ante nos duxit in *pulcri* philosophiam Phaedrus.

Dialogus, quem significamus, Theaeteti nomine inscriptus, ejusmodi habet exordium, ut, quam eximiam Theaetetus a teneris indolem prodiderit, ex Euclidis cum Terpsione sermonibus intelligamus continuo. Nam Megaris ille in hunc incidens, in portu se narrat Theaetetum vidisse, moribundum fere, quum vulneribus, quae in acie acceperat, et magis etiam dysenteriâ laborans; Corintho Athenas transveheretur. Hic Terpsion: «Quem vero, inquit, virum in mortis periculo versari dicis! *Καλόν τε καὶ ἀγαθόν,* o Terpsion, reponit Euclides; et sane comitatus eum prosecutusque ad Erinum 1) usque, cum huc redirem, in mentem mihi Socratis venit, admiratusque sum, quam vere ille et de aliis alias et de hoc in primis vaticinatus sit. Videtur enim mihi paucis ante mortem diebus illi, adolescentulo etiamtunc, obviam factus, quumque fuisset cum eo collocutus, perquam ejus indolem admiratus esse: mihi autem Athenas venienti cum sermones enarravit, quos cum eo habuerat, dignos auditu sane, tum addidit, praestantem virum, si adolevisset, cum sine dubio futurum.» 2) — Haec in exordio; sed nobis, qualis illa aetate Theaetetus fuerit, ex his ipsis maxime, quos Euclides memorat, sermonibus intelligere licet. Nam horum facta mentione, rogat eum Terpsion, ut secum eos communicet: ille vero id facile amico recipiens, postquam ambo opportuno loco consederant, servo librum tradit, quo eos ipse conscripserat olim, et praelegere jubet. Habiti autem a Socrate fuerant cum Theodoro Cyrenaico, et primum quidem de Theaeteto, tum absente; mox vero ipse accesserat adolescens. Et sic quidem exorsus Socrates fuerat. «Si Cyrenaei prae caeteris mihi curae essent, o Theodore, de rebus eorum te deque iis ipsis rogarem, num qui illic adolescentes in geometriam aliave studia incumberent; nunc vero minus illos, quam hos nostros amo, magisque novisse aveo, quinam apud nos adolescentes virtute videantur insignes futuri. Hoc ego et ipse exploro pro viribus et alios rogo, quibuscum juvenes video lubenter esse una; te autem haud pauci sectantur: nec immerito: nam dignus eorum studiis et omnino es et geometriae gratiâ; si quem igitur nactus es memoratu dignum, lubenter audiam. Cui Theodorus, atqui, o Socrates, respondet, et me referre et te audire maximopere decet, qualem e vestris civibus adolescentem invenerim: qui si formosus esset, laudare eum vererer, ne cui forsan illius

1) Loci in Attica nomen, ut e Pausania effecit Heindorf. ad h. l.
2) *Theaet.* 142 C.

amore captus videre; nunc autem, ne mihi succenseas, nec pulcer est et tibi similis, simo naso ct prominentibus oculis; quamquam minus ille, quam tu, modum in his excedit. Libere dico equidem: id scito, omnium, quos ego repererim, adolescentum — usus autem permultis sum — nullum me vidisse tam admirabili naturae felicitate insignem: docilem enim aliquem, ut aliis esse difficilis molestusque solet, perquam contra facilem esse simulque generosum fortemque apud quemlibet, talem quem esse nec arbitratus fueram, nec qui essent, vidi. 1) Acuti enim, ut hicce, et sagaces ac memores in iracundiam fere praecípites sunt, subsultantes proruunt, uti navcs non saburratae, ac furiosiores sunt quam fortiores. Graviores contra segnes quodammodo ad discendum procedunt, atque obliviosi sunt. Ὁ δὲ οὕτω λείως τε καὶ ἀπταίστως καὶ ἀνυσίμως ἔρχεται ἐπὶ τὰς μαθήσεις τε καὶ ζητήσεις μετὰ πολλῆς πρᾳότητος, οἷον ἐλαίου ῥεῦμα ἀψοφητὶ ῥέοντος, ὥστε θαυμάσαι τὸ τηλικοῦτον ὄντα οὕτω ταῦτα διαπράττεσθαι. *Ille vero ita aequabiliter, ita sine offensione, ita efficaciter ad disciplinas ac disquisitiones multa cum facilitate accedit, prouti olei fluentum sine strepitu profluentis, ut mirari subeat, tantilla eum aetate ista peragere.»* 2)

Hac ita describenda philosophi ingenii indole, apte nos Plato ducit in Socratis cum Theaeteto de scientia sermones. Nec vero quidquam in his praetermisisse videtur, quod ad declarandam plane in lucemque proferendam tâlem indolem posset conferre. Nam inducitur Theaetetus non indole eximius, caeterum vero rudis, sed puerili disciplinâ, imo geometriae excultus studio, quo uno maxime eruditur acniturque ingenium: inducitur autem una cum Theodoro praeceptore, qui unus potuit optime de ejus ingenio judicare. Et vero argumentum, de quo agitur, *scientia* est, quo ut nullum in philosophia gravius est vel majus, ita nullum philosopham indolem cum advertit magis, tum excitat vehementius. Sed ipsum jam attendamus Theaetetum, quum is cum Socrate colloquens ad hoc argumentum accedit. Iu ipso horum colloquio tota nobis apparebit adolescentuli indoles.

Vixdum haec de Theaeteto Socrati nunciaverât Theodorus, quum, ecce! ipse forte adolescens cum aliis accedit. Nam stadio exierant, ut ungerentur; nunc uncti adsunt paratique ad certamen; ille autem medium inter

1) Sic locum interpretando mihi visus sum expedire: quem varia ratione tentarunt interpretes. Graeca sic se habent: τὸ γὰρ εὐμαθῆ ὄντα, ὡς ἄλλῳ χαλεπὸν, πρᾷον αὖ εἶναι διαφερόντως, καὶ ἐπὶ τούτοις ἀνδρεῖον παρ᾽ ὁντινοῦν, ἐγὼ μὲν οὔτ᾽ ἂν ᾤόμην γενέσθαι οὔτε ὁρῶ γιγνομένους. Est breviloquentia, quae, ut in familiari sermone, ita apud Platonem frequens est nec displicet.

2) *Theaet.* 144 A. B.

illos locum tenet. Quo conspecto « atqui, inquit Socrates, cognovi juvenem, quamvis nomen excidit: Euphorionis est filius, viri, o amice, plane talis, qualem tu hunc descripsisti. Sed age, hunc jube nobis hic assidere.» Quod ut fecerat Theodorus nomine pronunciato pueri: « huc omnino, Theaetete, adjicit Socrates, huc ad nos accede, ut ego memetipsum conspiciam. Nam dixit Theodorus, vultu me tibi simillimum esse. Veruntamen ut constet, vere hoc dixisse Theodorum, nonne quaerendum nobis est, num pingendi is artem teneat, necne? Nam pictoris est, de formis formarumque similitudine judicare, ut musici de similitudine sonorum. Pictorne igitur est Theodorus? — Non est, respondet Theaetetus, quod sciam. — Nonne geometricus etiam? — Et maxime quidem, o Socrates. — Nonne item astronomiae, arithmeticae, musicae, omnino artium peritus, quotquot institutionis sunt propriae? — Videtur mihi quidem. — Quando igitur corporis parte aliqua nos similes dicit sive laudans sive reprehendens, non magnopere ei fides habenda est; quodsi ingenium alterutrius a virtute et sapientia laudaverit, nonne eum, qui hoc audivit, laudatum illum explorare oportet, alterum autem decet semetipsum ostendere explorandumque praebere? — Omnino, o Socrates. — Tuum igitur est, mi Theaetete, mihi temet ostendere; meum autem te considerare. Nam scito, cum multos me coram Theodorus et hospites et cives laudaverit, neminem eum tantum laudasse, quantum nunc quidem te. — Pulcre se res haberet, o Socrates, ita si esset; sed vide, numquid per jocum id dixerit. — Non hic sane mos est Theodori; sed quae concessisti, tu ne subterfugias, praetexens per jocum illum hoc dixisse, ne testari cogatur: nam qui falsi eum testimonii accuset, erit omnino nemo; sed age, in concessis persiste. — Id vero agendum, si ita tibi videtur.» 1) Quibus dictis, quo magis se palam ostendat adolescens, rogat eum Socrates, numquid de geometria, de astronomia, de harmonia, de arte supputatoria a Theodoro didicerit. Ille vero tam simul ingenue verecundeque et placide respondet, ut, quae de eo ante fuerant dicta, plane ipse loquendo referat exprimatque. Tum a disciplinis sermone ad sapientiam et scientiam traducto, quaerit de scientia Socrates, quid tandem sit. Hic Theaetetus geometriam memorare aliasque doctrinas, quae scientiae vocantur; Socrates vero reponere: « generose tu quidem et liberaliter, Theaetete, unam rogatus scientiam, multas nobis et varias largiris; ego vero non, quot sint et quales scientiae, rogavi, quasi enumerandae essent nobis, sed ipsa scientia quid sit.»

Quibus excitatus Theaetetus, statim se totum et explicat et ostendit. « Quaerere mihi, inquit, videris, Socrates, tale quid, quale cum hoc commilitone meo, tecum cognomine, de potestatibus in arithmetica quaerenti,

1) *Theaet.* 145 A. B. C.

in mentem mihi venit: eum sint illae numero infinitae, conandum esse, ut una comprehenderentur specie, qua appellarentur cunctae.» 1) Quod postquam apte docteque exposuit, Socrates admirans, «optime vos omnium, inquit, o pueri: quocirca Theodorus mihi videtur non falsi esse testimonii reus. — Hìc solers adolescens, atqui, inquit, non possum ego ad ea, quae de scientia quaesivisti, sic respondere, ut de potestatibus mihi licuit in geometricis; quamobrem falsus apparet denuo Theodorus. — Tum ille, quid? ait, si is te a currendi velocitate laudans, nullum se diceret adolescentem vidisse, qui tam cito curreret; tu vero currens velociter, ab adulto tamen et omnium velocissimo victus esses, minus tu hunc diceres vere te laudasse? — Haud equidem. — Scientiam vero, quam modo memoravi, invenire, leve quoddam negotium esse putas, non maximum? — Per Jovem equidem, et vero omnium maximum. — Confide igitur viribus tuis, et Theodorum existima vere dicere; annitere autem omni studio cum de caeteris, tum etiam de ipsa scientia, rationem, quid sit, consequi. — Si studium agitur, o Socrates, patebit profecto. — Age igitur: pulcre enim coepisti; da operam, ut, quemadmodum potestates, quae multae sunt, una specie comprehendisti, nunc, temetipsum imitans, scientias pariter una definitione complectare.» Quibus verbis a Socrate monitus, nunc maxime Theaetetus non doctrinam suam, sed proprium sibi doctrinae studium amoremque prodit.» Scito vero, inquit, o Socrates: «saepenumero illud equidem perspicere conatus sum, quum has a te institui quaestiones audirem; veruntamen neque ipse mihi potui persuadere, me recte ad eas respondere, neque ab alio mihi accipere licuit, qui sic, ut tu jubes, responderet; nec tamen spe potui excidere, fore, ut illud assequerer aliquando. 2) Tum vero Socrates, animum adolescentis perspiciens, optimarum rerum studiis plenum et quasi gravidum: *Ὠδίνεις γὰρ*, inquit, *ὦ φίλε Θεαίτητε, διὰ τὸ μὴ κενὸς ἀλλ' ἐγκύμων εἶναι. Parturis scilicet, o amice Theaetete, propterea quod non vacuus es, sed praegnans.*» 3)

Sic sermo procedit ille, totus ad excitandum pueri ingenium accommodatus; ac profert dein Theaetetus et quasi parit ingenio varias identidem scientiae definitiones. Sed nobis hìc paullisper subsistendum. Sententia enim haec Socratis, paucissimis verbis quam plurima et gravissima continens, ejusmodi est, ut, quid efficiat in pectore hominis *veri amor*,

---

1) *Theaet.* 147 D.

2) *Οὐ μὲν δὴ αὖ οὐδ' ἀπαλλαγῆναι τοῦ μέλλειν.* Fuit cum tentarem *τοῦ μελετᾶν.* Ficinus: *desistere ab hac meditatione.* Sed exquisitioris est apud Graecos usus *μέλλειν*, quam ut mutare quidquam ausim. Vid. Heind. ad h. l.

3) *Eod.* 148 E.

percipiendum nobis praebeat, tum inducat nos sponte in Socraticae disciplinae rationem, nobilissimam philosophi μαιευτικήν, quam ipse mox Socrates et expositurus Theaeteto est et praegnanti juvenis ingenio adhibiturus. Verum sponte hîc quaerimus: unde hic in puero veri amor? unde hausit, quae edit, responsa? omnino quid *discere* est? sive, qua homo ratione per semet ipse, veri ductus amore, ad cognoscendum procedit? Haec prius videntur exploranda, quam, quid sit docere, sive, quae μαιευτικῆς ratio sit, investigemus. Relicto igitur cum Theodoro et Socrate Theaeteto, gravissimas has quaestiones, in quibus ipsum agitur omnis cognitionis humanae principium, datâ operâ exploremus.

Quid est discere?

Proferendum hîc nobis placitum Platonis est, quod nostrae sane philosophandi rationi minime conveniat. *Discere* statuit ille *nihil aliud esse nisi reminisci.* Cujus sententiae vis ex sublimi, quem modo iterum memoravimus, amatorio hymno percipitur. Reminiscentiae illic mentio fiebat, quae superesse hominis animo etiamnunc dicebatur, postquam coelo lapsus et in hanc demersus terram est, locum scientiae et veritati contrarium. Nec vero hoc temere ita posuit, quo scilicet fabulam suavissimam commendaret magis: serio id idem in haud uno sermone cum memoravit, tum probavit adeo; et vero sic rem persecutus est, ut, si minus persuadeat nobis, ea tamen dixisse videatur, quae cum veritate conjuncta censeantur. Quocirca sermones illos Cicero lubenter memorabat. «In illo, ait, Platonis libro, qui inscribitur Meno, pusionem quendam Socrates interrogat quaedam geometrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet, ut puer; et tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eodem perveniat, quo si geometrica didicisset. Ex quo effici vult Socrates, ut discere nihil aliud sit, nisi recordari.» 1) Dialogi illius quae sit forma et ratio, dein identidem explorabimus: hîc animadvertisse sufficit, probasse eo scribendo auctorem, inesse hominis animo notiones naturales, easque interrogando elici: quod aptissime effecit cum *servo* inducendo, quem Socrates interrogaret, rudi omnium rerum et ignaro homine, tum quaestionibus instituendis de *geometriae initiis*, quae propriis mentis facultatibus cougruunt unice. Sed id ipsum interius etiam in Phaedone Socrates inquisivit elegantiusque exposuit, ut eidem visum Ciceroni est. »Quem locum, ait, multo etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit e vita. Docet enim, quemvis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem, declarare, se non tum illa discere, sed reminis-

1) Cic. *Tusc. Q.* I. 24.

cendo recognoscere; nec vero fieri ullo modo posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas et quasi consignatas in animis notiones, quas *ἐννοίας* vocant, haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, in rerum cognitione viguisset.» 1) Sermones illic Socrates cum Simmia in primis et Cebete de pristina quadam animi vita habet, quam postquam ex geometriae disciplina effecit «quodsi, inquit, o Simmia, non hoc modo tibi rem persuades, alio consideranda est; et primum quidem quaerendum, quid sit recordari, tum maxime, num alia ratione ulla, quam recordando, ad rerum possimus scientiam pervenire.» Hic Socrates rem continuo exemplo illustrat, ex amantium, ut solet, amicorumve consuetudine petito. «Constat, inquit, si quis alicujus negotii recordaturus sit, necesse esse, ut illud cognoverit antea. Fit autem hoc, siquando quis, sensibus percepta re aliqua, aliam simul percipit, cujus non eadem notio est; tum eum 2) dicimus ejus rei reminisci, cujus perceperat notionem. Alia, ut hoc utar, hominis, alia lyrae notio est; scimus vero amatoribus, ubi lyram, vel vestem, vel aliud, quo utuntur ipsorum amasii, vident, tale quid evenire: agnoscunt lyram et mente sibi simul amasii formam repraesentant, cujus est lyra; id recordatio est, prouti item, quando quis, Simmia conspecto saepe, Cebetis recordatur. Sed ut dissimilia instaurant apud nos rerum vel hominum reminiscentiam, ita etiam similia. Fit, ut quis equo conspecto picto vel lyra conspecta picta, hominis, ac, Simmia conspecto picto, Cebetis recordetur: fit item, ut quis, Simmia conspecto picto, ipsius recordetur Simmiae. Quodsi similia movent apud nos rei vel hominis recordationem, accidit nobis necessario, ut, utrum desit aliquid ad similitudinem, nec ne, reputemus.» 3) Quod ut animadvertit Socrates sagaciter, sponte sic ad ideas procedit, quas nobis in mentem revocare, nisi per res sensibus subjectas et similes, non possumus. «Veluti aequale esse, inquit, dicimus, esse etiam res aequales, ut lapides, ligna, alia: haec videri nobis alio tempore aequalia, alio inaequalia possunt: non item aequale: ipsum aequale non esse inaequale potest. Perfectum hoc est, illis, quo minus perfecta sint, aliquid deest. Hoc autem idem, ipsum aequale, *αὐτὸ τὸ ἴσον*, unde percepimus? Ex rerum profecto aequalium consideratione, sive oculis illas sive alio quocunque sensu perceperimus; deesse iis aliquid sentientes, ad ipsum illud perfectum exegimus. Veruntamen facere hoc non potuissemus, nisi antea cognovissemus illud, nunc autem essemus ejusdem recordati. Quid igitur? Scilicet superiore quadam vita animo id perceperimus necesse

---

1) Cic. *Tusc. Q.* I. 24.

2) *Phaed.* 73 C. *ἆρ' οὐχὶ τοῦτο δικαίως λέγομεν, ὅτι ἀνεμνήσθη οὗ τὴν ἔννοιαν ἔλαβεν*; Legendum putamus et expressimus vertendo, **τοῦτον.**

3) *Eod.*

est, nec aequale tantum, quod nunc unice diximus, sed ipsum pariter et pulcrum et bonum et justum et sanctum, omnino quidquid perfectum verumque est, cuique signum ejus, quod *est*, quasi imprimimus. Horum nos scientiam amisimus, quum in hanc procederemus vitam: nam si retinuissemus, sciremus nunc, non opinaremur, non falleremur, quae nunc conditio nostra est. Quamobrem danda nobis opera est, ut, quo cogitemus, judicemus, ratiocinemur melius, perfecta illa et vera, quae dicere *τὰ ὄντα* licet, quippe quae sunt, non videntur, haec igitur, quoad ejus fieri possit, repraesentemus animo: id enim discere est: nam sic unice licet ad rerum scientiam pervenire. Verbo, *recordari* oportet hominem: nam sic demum et discere et verum videre et pristinam, qua destituti sumus, felicitatem recuperare possumus.

Abhorret, fateor, hoc placitum Platonis, ut modo dixi, a nostra philosophandi ratione, atque, ut ducta ex *μύθῳ* illo de animi conditione pristina est, ita poeseos habere magis, quam philosophiae, colorem videatur. Sed habent poetae multa, ut ipse animadvertit Plato, quae, qualiacunque tandem, veritatem tamen contineant. *Θεῖον δὴ*, ait, *τὸ ποιητικὸν ὂν γένος ὑμνῳδοῦν πολλῶν τῶν κατ' ἀλήθειαν γιγνομένων ξύν τισι Χάρισι καὶ Μούσαις ἐφάπτεται ἑκάστοτε.* 1) Quod in hoc sane ipsius placitum quadrare videtur maxime. Nam sive poëtice sive philosophice, naturam certe hominis declaravit eo philosophus: non esse ipsius animum per se vacuum, quasi scilicet, quidquid haberet, id corporis deberet sensibus: sic enim si res se haberet, non ita apte vereque ad propositas interrogationes cum servum in Menone, tum in Theaeteto puerum respondere potuisse; sed animum nostrum, acsi nutritus fuisset antea ac veluti pastus in veritatis campo, eo nunc esse vigore, ea discendi cognoscendique facultate, ut, admonitus aliunde et excitatus, ipse per se veritati studeat. Ipsum adeo placitum ita naturae congruit mentis humanae, ut in recentioribus fuerint Platonicis, qui Homero illud tribuerent, apud quem Phemius in Odyssea haec dicens inducitur:

αὐτοδίδακτος δ' εἰμί· θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας
παντοίας ἐνέφυσεν. 2)

Caeterum de pristina illa vita num sibi persuaserit Plato, nolim dirimere: quodsi haec finxit omnia ingenio ut fabulam sublimem, asseverare equidem non dubito, fingere eum haud facile quidquam potuisse, quod et ptius conveniret praesenti mentis conditioni, et nativam, insitam nobis veri cupiditatem cognoscendique facultatem declararet evidentius. Quod, quo diligentius ejus scripta perlustramus, eo admirabimur magis.

1) *De Legg.* III. 682. A.

2) *Odyss.* χ. 347. Vid. Max. Tyr. *Diss.* XVI. (I. p. 295. Reisk.) ibique Intpp.

Nam in Phaedone hoc placitum eo consilio expositum probatumque invenimus, ut, ante fuisse animos nostros, quam nasceremur, pateret; in Phaedro autem et in universa Platonis philosophia arcte idem cum placitis de pulcro et amore conjunctum est, ut non solum, quid sit *discere*, sed item, unde repetendus sit *ardor* ille *discendi*, quo flagrat homo, efficiatur: quod perspicit sponte qui hymnum Platonis in amorem, quaeque nos de eo diximus, memoria tenet; sed quo ea facilius jam in veri philosophiam adhibeamus, age, hymnum illum attendamus denuo, missisque poëticis imaginibus, sive, quod malim, explicitis illis, ut, quid contineant, intelligatur, rem ipsam ex ipsa Platonis mente et philosophia declarare nitamur.

Pulcra in animo excitant amorem veri.

Sensus, prouti modo vidimus, licet non verum, sive id quod *est*, conspiciendum nobis praebeant, tamen efficiunt, ut percipiendis rebus pulcris, bonis, iis omnino quae esse *videntur*, instauretur in animis nostris ipsius pulcri, boni, eorum quae *sunt*, quaeque illic fuimus contemplati, memoria. Id autem nullus efficit sensus efficacius pleniusque, quam visus noster. Est enim hic ad *pulcra* conversus: pulcris autem nihil est quod tangat mentem acrius vehementiusque moveat. Nam habent caeterae ideae in rebus hisce nostris simulacra quaedam, ut bonum in bonis, justum in justis, sanctum in sanctis tam negotiis, quam hominibus ac facinoribus; sed simulacra tam clara, tam illustria, quam pulcrum, non habent. Et vero ideae illae, quales sint, cogitando assequimur aegre: nam sensibus non patent bona, justa, sancta: nec videmus illa, neque audimus ullove sensu percipimus. *Pulcrum* quale sit, ipso visu assequi licet: oculis enim patent pulcra, estque hic sensus omnium sensuum longe acutissimus. 1) Pulcra icciroo in hac conditione nostra vim habent praecipue, ut superioris reminiscamur vitae, quaeque illic vidimus, mente nobis repraesentare denuo possimus, exardescatque ita in animis nostris scientiae ipsiusque veritatis cupido. 2)

Scilicet non ita nobis de vero existimandum, quasi diversum sit plane

1) In proximis nonnihil mutandum videtur. *Ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος· ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται.* Legendum est: *αἰσθήσεων· ἡ δὲ φρόνησις* —

2) *Phaedr* 250. Cf. supra p. 72. Platonis de *ἀναμνήσει* doctrinam arcte esse cum doctrina de pulcro conjunctam, docte accurateque, ut solet, posteriorum item scriptorum auctoritate demonstravit *Creuzer.* ad Plot. de pulcr. p. 166 sqq. Vid. item *Ast* ad Phaedr. 249. C.

a pulcro, a bono, a justo, vel quasi sic distinguatur ab hisce, ut haec a se invicem distinguuntur. Apud Platonem, quod fortasse mirum acciderit animadvertenti, in ideis non censetur *verum*, ut pulcrum, bonum, similia. Sexcenties memorantur *αὐτὸ τὸ καλὸν*, *αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν*; nusquam occurrit *αὐτὸ τὸ ἀληθὲς*, sed dicuntur illa universe *τὰ ὄντα*, *quae sunt*, et uno nomine *τὸ ὄν*, *id quod est*, i. e. *verum* appellantur. Etenim communis omnium idearum quasi *τύπος* est veritas: veritatem si cogitando sustuleris, nullae relinquuntur ideae. Quamobrem qui pulcrum animo vidit aliquando, id vidit, quod verum est: idemque quo plenius omnes percepit ideas, eo propius ad omnis veritatis cognitionem accessisse putandus est. Iccirco, quem *pulcri* dicimus *amorem*, haud fingere eum oportet a *veri amore* alienum; sed efficit ille, ut et bonum et justum et sanctum, omnino ea, quae sunt, ipsam veritatem, pari studio cum cernere mentis oculo, tum animo percipere nitamur: utque pulcri amor, semel in animo accensus, nos rapit furore quodam et enthusiasmo ad ipsum *pulcrum* plene penitusque cognoscendum, ita haud alius existimandus enthusiasmus est, quo *verum* appetimus.

Sunt illa sublimia sane multorumque videantur captum superare; sed, ut Platonica ferme omnia, in sublimitate summa, parem habent simplicitatem: quippe naturae consentanea humanae, cujus hoc proprium est, ut pulcra appetat primum, tum veri ducatur amore. Parvulos videmus continuo appetere pulcra i. e. quaecunque lucent, splendent, oculos afficiunt maxime. Nec tamen his spectandis sunt contenti, manum extendunt identidem, ut ea tangant, contrectent, corripiant: cognoscere cupiunt, quae admirantur: veri studium cum pulcri admiratione conjungunt; quod iis pulcrum est visum, id, quid sit et quale, scire avent. Infantiae haec et pueritiae ratio est: maturiore aetate homo altius spectat: verum nunc potiore loco, quam pulcrum, habet: quod *specie* se commendat pulcri, pueris relinquit, ipse *verum* in rebus omnibus, in pulcris adeo, admiratur unice. Veruntamen, nisi idem a puero admiratus pulcra fuisset, nisi haec in ipsius animo suscitassent aluissentque veri amorem, verum sic amare, sic unice diligere et admirari non coepisset. Natus homo est ad inquirendum, cognoscendum, veritatem assequendam: quo qui destitutus studio est, vix homo appellandus videtur; sed fert eadem hominis natura, ut, quantosvis in rerum scientia progressus fecerit, pulcri admiratione eo primum adductus accesserit. Quo fit, ut vera disciplina ab artibus ducatur continuo. Eo haec spectat, ut doctrinarum ope ad veritatem et sapientiam perveniamus; sed quo illuc aptius faciliusque progrediamur, artibus primum colendis ad pulcri ducimur amorem. Amasse oportet pulcrum, siquis pari amore verum sit prosecuturus: tum vero demum et veritatem et virtutem, ut amasios suos amatores, colet et propugnabit, proferetque ingenio et quasi pariet, quae veritati et

virtuti sint congrua. Sic, ipsâ naturae lege, ad rerum scientiam et sapientiam, per pulcri philosophiam, aditus homini patet. 1)

Illustrari hac fortasse populari ratione Platonicum illud, *pulcra nos ad verum ducere verique incendere amore*, quodammodo possit; sed ipsius reminiscendum Platonis est, ubi sublimia haec sublimi oratione et ex ipsa amoris vi, qua ardet adolescentia, explicuit. Itineris recordemur denuo, quo ad pulcri scientiam simulque in mediam veri philosophiam nos duxit Diotime. Ordiendum nobis praecepit a formis pulcris spectandis, quae vi pulcritudinis capiant teneantque mentem nostram totam: hinc, missâ formae commendatione, ad pulcros animos, inde ad studia et officia pulcra et praeclara procedendum: esse enim nobis per hos quasi gradus ad illud accedendum pulcrum, quod nec oculis nec auribus nec ullo sensu percipitur, una mentis vi, uno *veri* ὀργάνῳ cognosci potest. 2) Sed Socratis recordemur item, quum amantium nobis furorem describeret: nam elucet in medio illo furore, vix ullis frenis regendo, veritatis amor. « Quodsi, dicebat, fit aliquando, ut quis, divino conspecto vultu, qui ipsam ei pulcri imaginem perfectam instauret, incredibili incendatur divinae formae amore, tum vero naturalis ipsius et pulcri et boni et justi omnisque veritatis amor in ejus mente subito accenditur, quoque amasium prosequitur ardore, quo eum colit honore, divino plane, eodem pulcrum ipsum et bonum et justum, veritatem omnino, prosequitur et colit: quod patet e sermonibus continuo amantium, quos crebros et sensu affectuque plenos de pulcro, justo et vero miscent, tum vero ex tota eorum vita: nam veri assequendi in rebus omnibus amorem omnia eorum studia, omnia proposita, facinora omnia produnt ac spirant. » 3)

Explicare haec omnia diligentius studuimus, quum in pulcri versabamur philosophia: hîc autem eorum reminisci, ut veri persequamur philosophiam, necessario oportet. Nam quo haec saepius accuratiusque legerimus ac perpenderimus, eo magis ipsi assequemur cogitando, et sentiendo in primis percipiemus, quam sublime sit in homine principium idem ille *veritatis amor*. Vim autem divini principii ad parienda et in lucem proferenda optima quaeque et hominum generi saluberrima, haud facile aliquis philosophorum sic, ut Plato, in luce posuit. Nam pulcra apud Platonem quasi invitamenta sunt ad veri eliciendum amorem, et quamvis animum sic inflamment, ut furor inde et insania oriatur, hoc ipso fit furore, ut, quae homini inest ad omnia praeclara, ad vere pulcra, et bona ac justa indoles naturalis, quaeque hac indole homo studiisque

1) Accommodare haec temporibus nostris studui in oratione *de pulcri amore*, quae exstat in *Annal. Acad. Rhenotraj.* A. 1817 — 1818.

2) *Symp.* 210. D. — 212. A. Cf. supra 107, sqq.

3) *Phaedr.* 251, sqq.

his sublimibus concepit animo a tenera inde aetate, haec igitur non lateant diutius in imo pectore, sed prodeant in lucem et quasi partu emittantur. Non perspiciebat continuo Socrates, quid sibi vellet Diotime, quum amoris aperiens naturam, obscure satis pronunciaret: ἔστι γὰρ τοῦτο τόκος ἐν καλῷ, καὶ κατὰ τὸ σῶμα καὶ κατὰ τὴν ψυχήν 1) *partus hic est in pulcro, cum corpore tum animo;* nunc nos, ni fallimur, obscurae sententiae et quasi vaticinationis vim et sensum assequimur. Nam sunt naturâ homines tam animo, quam corpore praegnantes, conceperunt naturalibus his optimarum rerum, sincerae scientiae veritatisque appetitibus, virtutum omnium et sapientiae semina: quibus pleni refertique et quasi exuberantes gestiunt parere aliquando et procreare. His autem quidni pulcrum esse dicamus quasi Lucinam quandam? quidni amorem iis esse fateamur ipsum *in pulcro partum?* Sed nunc nos neque sensus jam latet eorum, quae de foetibus divinorum virorum eadem pronunciavit mulier philosopha. In quibus leges memoravit Lycurgi, quae Spartae fuerunt et universae fere Graeciae servatrices, leges item Solonis et celeberrima quaeque clarissimorum virorum inventa, propter quos natos, ingenio partos, adjicit, templa iis et sacra dicata sunt plurima; propter humanos vero, nulla. In his enim omnium maxime, quae iis intus inerat divina indoles, pulcris spectandis diligendisque, tota est excitata ad ipsum persequendum pulcrum, imo vero inflammata est ad ipsum, quod per se et bonum est et justum et civitati utile, ad civitatum salutem adhibendum. 2)

In quibus placitis si quis poëticum aspernatur colorem, qui a philosophia alienus putatur, cogitet velim, haud abhorrere ista a naturalibus mentis humanae notionibus, quae linguis dicendique usu expressae et quasi consignatae sunt. Quis enim populus, paullo quidem cultior, suâ non linguâ has ipsas, quibus nos usi sumus, voces dictionesque usurpat? Dicentes audimus homines, qui dudum consilia quaedam mente agitarunt, his se consiliis *plenos gravidosque* fuisse: 3) quod dicunt non docti, non philosophi tantum, Socratem et Platonem imitati, sed minus culti item, quibus nunquam sane innotuit horum philosophorum nomen Cultiores in familiari vitae consuetudine de ingeniis judicantes, ingenia memorant *foecunda*, item *sterilia.* 4) Omnes tam docti, quam indocti, libros vocant *ingeniorum foetus*, 5) *scriptorum prolem*, quod vetustissimi Graeci, needum exculti doctrinâ, de sapientia usurpabant, Minervam fingentes Jovis capite cerebrove partam. Quid dicam de *amoris*

1) *Symp.* 206 B.
2) *Eod.* 209. Cf. supra p. 283.
3) *Zwanger gaan van ontwerpen.*
4) *Uberem et foecundum* Periclem vocat Cicero *Orat.* c. 4.
5) *Hersenvruchten.*

notione, quae non minus in linguis, quam in Platonis philosophia, cum *discendi* notione conjuncta et quasi cognata est. Exprimunt utramque formulae: *amare literas*, *literarum capi ardore*, *discendi amore flagrare*, tum hoc ipsum *discendi amor* et ipsa illa vox Graecorum illustris, *φιλοσοφία*, cujus si originem spectamus, quod Cicero jam vidit, quid aliud est, quam *veri amor?* 1) Appellet quis igitur *poëtica* Platonis ista, sed idem nolim ea putet a natura aliena: hanc enim exprimunt linguae. Sed, ajunt, hoc ipsum, quod tu usurpasti aliquoties, omnesque frequenter usurpant *veritatis studium*, quidni id Plato usurpavit? sic loqui praestabat simpliciter, quam poetice *amorem* omni opportunitate celebrare. Atqui vos, o boni, id ipsi agitis in vitae consuetudine, quod in Platone reprehenditis: vocem usurpatis identidem sermone, linguis Germanicis propriam, *waarheidsliefde*, *Wahrheitsliebe*: quod pariter exprimere caeterae linguae student, quamvis hujusmodi vocabulo carentes. Sic inest ingeniis nostris, quorum linguae dicuntur specula esse, *amoris* notio, quum de veritate ejusque studio cogitamus ac disserimus. Quocirca, si rem rite perpenderimus, ultro fatebimur, id egisse in hac tota quaestione Platonem, quod unum maxime philosopho agendum est, ut naturalem hanc mentis nostrae notionem philosophando explicaret. Potuisset sane aliis vocibus uti, ut fecerunt in scriptis posteri, in quibus occurrunt ὄρεξις, ὁρμή, ἐπιθυμία, et opportune, suis locis, his etiam usus est Plato; sed disserens idem de hoc philosophiae longe gravissimo et principe loco, nisi, quid esset amor, quidque ad explicandum hominis ingenium animumque valeret, explicuisset, mentem ipse suam sententiamque exprimere frustra tentasset. Et vero nos ipsi, quoties de eodem hoc argumento sive loquimur sive scribimus, quo tandem vocabulo et crebrius et lubentius utimur, quam eodem illo nostro *waarheidsliefde?* 2)

Fontem indagavimus, duce Platone, et ni fallor reperimus, cognitionis nostrae. Quaerentes enim, *quid sit discere*, insitum naturae humanae attendimus cognoscendi studium verique amorem, quo homo, sensibus admonitus, in primis visu, ipse per se primum ad pulcri, tum universe ad veri cognitionem procedit, patuitque nobis, quae sit et quanta ad hunc inflammandum amorem pulcri vis et efficacitas. Non atten-

1) Cic. *de Legg.* I. 22.

2) Ex linguis qui haec eruere diligentius velint, Graecam attendant praesertim. Nam *μάω*, unde *μαθεῖν*, *μάθημα*, *μάθησις*, *μαθητής*, proprie notat *cupio*, *desidero*, *amo*, imo vero ipsum est hocce Latinorum *amo*, quod transpositis literis inde formatum est. Non latuerunt haec quidem etymologos, sed in primis adhibenda philosophiae videntur.

derunt haec veteris et recentioris, superioris in primis saeculi philosophi, qui sensus corporis diligentissime explorantes, ut, quae et qua ratione singula extrinsecus animo afferrent, constaret aliquando, de ipso animo, certe de insitis ei studiis et facultatibus vix cogitarunt. Apprime in hos convenit, quod ait Plato: *δεινὸν γάρ που, εἰ πολλαί τινες ἐν ἡμῖν, ὥσπερ ἐν δουρείοις ἵπποις, αἰσθήσεις ἐγκάθηνται, ἀλλὰ μὴ εἰς μίαν τινὰ ἰδέαν, εἴτε ψυχὴν εἴτε ὅ δεῖ καλεῖν, πάντα ταῦτα ξυντείνει· ᾗ διὰ τούτων οἷον ὀργάνων αἰσθανόμεθα ὅσα αἰσθητά· miserum sane esset, si multi nobis sensus, quemadmodum ligneis equis, insiderent, nec tamen haec omnia in unum quoddam negotium, sive id animus sive quocunque tandem nomine dicendum sit, una contenderent, quo, tanquam per organa, per sensus hosce sentiremus quaecunque sensu percipiuntur.* 1) Nam sic omnino se res habet: admirabilis est quaedam singulorum sensuum vis, ut, quae extra sunt, intro annuncient menti; sed nisi mens suâ ipsa naturâ cognoscendi esset cupida, omnis esset supervacanea nunciorum illorum diligentia. Nunc vero, cum haec sit mentis indoles et natura, ut veri cupiditate, imo vero *amore* ducatur, ipsa per se exquirit omnia, sensibusque, ut verissime dicit Plato, tanquam ὀργάνοις i. e. *instrumentis* ad cognoscendum utitur. Quod vidisse jam vetus philosophus videtur, sive is Anaxagoras sive Epicharmus fuerit, quum sic pronunciaret: *νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει, τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά·* 2) *animus cernit, animus audit, reliqua surda et coeca sunt.* 3) Et quod modo de linguis monebamus, exprimi iis notiones interioris cujusdam philosophiae, idem probat hoc *ὄργανον* Platonicum, evidentiusque etiam patefacit nostrum illud de sensibus externis vocabulum, *zintuigen*, quo plane *mentis* ad cognoscendum *instrumenta* indicantur. Quo sane argumento et multo magis etiam conscientiâ nos ipsi nostrâ nobis persuadebimus, multum sensibus, sed plurimum ipsi menti innatoque nobis discendi studio, ad cognoscendi facultatem tribuendum esse. Sed missis novitiis istis philosophis, qui, divinâ non perspectâ hominis indole, totam hanc de sensibus disquisitionem ad materialismum, quem vocant, et atheismum contulerunt, *antiquos* hîc potius attendamus, qui a Socrate et Platone profecerunt, Academicos maxime et Peripateticos germanos, quorum sententias de cognitionis nostrae fonte

---

1) *Theaet.* 184 D. Eleganter Max. Tyr. *Diss.* XVI. 8. p. 303. *Ἄτε οὖν ἐν προθύροις τῆς ψυχῆς αἱ αἰσθήσεις ἱδρυμέναι, ἐπειδάν τινος ἐφάψωνται ἀρχῆς καὶ παραδῶσι τῷ νῷ, ἐπιλαβόμενος* (ins. *ὁ νοῦς*) *ταύτης, διορᾷ τὰ λοιπὰ* —

2) Vid. Plut. *de Alex. virt.* Cf. *Wytt.* ad Phaedonem p. 151.

3) De Tertulliani versione de *anima* p. 271.

cum aliis locis Cicero, tum maxime in opere *de Finibus* diserte exposuit. Vim illi hominis internam explorabant maxime, quam infantes produnt continuo. « Est enim naturâ sic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur: ob eamque caussam parvi virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina moventur; sunt enim prima elementa naturae: quibus auctis, virtutis quasi carmen 1) efficitur. Nam cum ita nati factique simus, ut et agendi aliquid et diligendi aliquos, et liberalitatis, et referendae gratiae principia in nobis contineremus, atque ad scientiam, prudentiam fortitudinemque aptos animos haberemus, a contrariisque rebus alienos: non sine caussa eas, quas dixi, in pueris virtutum quasi scintillulas videmus, e quibus accendi philosophi 2) ratio debet, ut eam, quasi deum, ducem subsequens, ad naturae perveniat extremum. Nam, ut saepe jam dixi, in infirma aetate imbecillaque mente vis naturae quasi per caliginem cernitur. » Quod diligentius etiam his exponitur: « Parvi primo ortu sic jacent, tanquam omnino sine animo sint; cum autem paullum firmitatis accesserit, et animo utuntur et sensibus: connituntur que, ut sese erigant, et manibus utuntur: et eos agnoscunt, a quibus educantur. Deinde aequalibus delectantur, libenterque se cum his congregant, dantque se ad ludendum: fabellarumque auditione ducuntur, deque eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt: animadvertuntque ea, quae domi fiunt, curiosius, incipiuntque commentari aliquid et discere: et eorum, quos vident, volunt non ignorare nomina: quibusque rebus cum aequalibus decertant, si vicerint, efferunt se laetitiâ: victi debilitantur animosque demittunt. » 3) Tum vero ipse commemoratur *veritatis amor*. « Tantus est innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmusne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur? ut pulsi recurrant? ut aliquid scire se gaudeant? ut aliis narrare gestiant? ut pompâ, ludis atque ejusmodi spectaculis teneantur, ob eamque rem vel famem et sitim perferant? Quid vero? qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos

---

1) Eleganter Ernestus de *concentu virtutis* accipit. Vid. Clav. Cic. Intelligere autem *formulam* sive *legem* malim *naturae*, qua virtus utitur. Vid. *Goerens.* ad h. l. (Hujus loci Ciceroniani optimum interpretem Platonem esse suspicor, quem vide de παιδείᾳ disputantem *de Legg.* II. 653. Legitur ibi: αὕτη δ' ἡ ξυμφωνία ξύμπασα μὲν ἀρετή. Ξυμφωνίαν dicit, quam Cicero *carmen* virtutis vocat. Sed magis etiam haec illustrantur collato Plat. *de Rep.* III. 402. C. D. Cff. *Initia.* p. 84, 88. — Ed.)

2) Fortasse leg. *philosopho.* ut visum Ernesto. — Proxima a Platone sunt *Phaedr.* 266. B. διώκω κατόπισθε μετ' ἴχνιον ὥστε Θεοῖο.

3) *De Fin.* V. 15.

nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem, omniaque perpeti, ipsâ cognitione et scientia captos; et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem?» 1) Quamquam Academici illi veteres et Peripatetici non, ut Plato, haec omnia ex natura amoris repetierunt. Id, si quid aliud, Platonicum est, expressumque in *Phaedone*. Philosophos illic dicit eo duci cognoscendi ardore, ut mortuos se esse, quam vivere malint. Nam ferre illos moleste, verum se, cujus ardente flagrant studio, in hac quidem vita assequi non posse, quippe impeditos corporis vinculis, in quo, tanquam in carcere, degunt: contemnere igitur mortem, imo vero mortem expetere, quo doctrinas, quas unice amant, tanquam delicias suas et voluptates, liberè totasque amplectantur. Haec vero unius est amoris vis, quod eleganter supra memoravit Phaedrus. Orpheum reprehendit, quod vivus uxorem ex orco reducere studuit, mortem pro ea subire non sustinuit: hoc enim unice *amantis esse*. 2) Negat adeo in Phaedone Socrates, naturâ aliquem esse philosophum, qui mori discendi caussâ non cupiat vehementer. Nonne absurdum sit, ait, si non libenter philosophi illuc proficiscantur, quo cum pervenerint, spes est fore, ut, quod amarunt per vitam totam, obtineant, amarunt autem sapientiam: — *ἢ ἀνθρωπίνων μὲν παιδικῶν καὶ γυναικῶν καὶ υἱέων ἀποθανόντων, πολλοὶ δὴ ἑκόντες ἠθέλησαν εἰς ᾅδου ἐλθεῖν, ὑπὸ ταύτης ἀγόμενοι τῆς ἐλπίδος, τῆς τοῦ ὄψεσθαί τε ἐκεῖ ὧν ἐπεθύμουν καὶ ξυνέσεσθαι· φρονήσεως δὲ ἄρα τις τῷ ὄντι ἐρῶν, καὶ λαβὼν σφόδρα τὴν αὐτὴν ταύτην ἐλπίδα, μηδαμοῦ ἄλλοθι ἐντεύξεσθαι αὐτῇ ἀξίως λόγου, ἢ ἐν ᾅδου, ἀγανακτήσει τε ἀποθνήσκων καὶ οὐκ ἅσμενος εἶσιν αὐτόσε; an vero amasiis, uxoribus, liberis defunctis, multi sponte sua in orcum voluerunt descendere, hac spe ducti, fore, ut illic aliquid essent eorum quae amaverant adspecturi; sapientiae autem verus amator, eadem spe ductus vehementer, se eam nusquam assecuturum alibi esse, nisi in orco, hic igitur aegre mortem feret, neque eo migrabit lubenter?* 3)

De mentis oculo, quo uno cerni veritas potest.

Sed quo magis illuc pergo, quo contendimus continenter, ad nobilem Socratis *μαιευτικὴν*, eo mihi plura gravioraque occurrunt, quae prius videantur ex Platone explicanda, quam illuc perveniamus. Tantum abest, ut statueret Plato, quod, a Lockio inde, recentioribus philosophis quam plurimum placuit, nihil esse in animo, quin per corporis sensus intra-

1) *De Fin.* V. 18.
2) *Symp.* 179. D.
3) *Phaed.* 68. A.

verit, ut sensum quendam interiorem, ipsius animi sensum, in scriptis suis memoraverit identidem. 1) Quod placitum alii aliâ maximeque diversâ ratione explicatum iverunt. Nam patres ecclesiae de animi facultate acceperunt, qua divina natura percipiatur, placitumque ad religionem accommodarunt: 2) recentiores fere *organum*, quod dicunt, *morale* intellexerunt, quo mundum moralem perspicimus: neutri quidem id dicentes, quod abhorreret plane a philosophia Platonica. Veruntamen Plato nec religionem spectavit proprie, nec interiores nostros animi seusus: *mentem* respexit, *τὸν νοῦν*, et mundum *νοητὸν*, *verique* in hoc cernendi facultatem hac voce expressit. Sed rem nos accuratius et ex ipsis philosophi principiis explicemus.

Sensibus ille, ut vidimus, hoc tribuebat, ut de rebus externis monerent certioremque facerent animum; 3) vim autem quandam praecipuam, hujusque negotii facultatem singularem visui inesse censebat, quippe qui acumine sensus caeteros superaret. Declaravit ita apte, quemadmodum animus insitum sibi veri amorem per sensus, tanquam nuncios, tanquam cognitionis suae instrumenta, explere conaretur; veruntamen hoc nondum patefecerat inquirenti, quo tandem modo *illa* percipiamus mente, quae uni menti, non sensibus patent, pulcrum, bonum, justum, omnino, *τὰ ὄντα*, quae non esse *videntur*, sed *sunt*. Nam quamvis sit acer videndi sensus ille, quantumvis accedat ad ea sentienda, quae mente percipiuntur, tamen cernit tantum ea quae videntur, quae cogitantur non potest cernere. Quo igitur magis hanc propriam mentis facultatem declararet, quoque nobis evidentius patefaceret, quid agendum philosopho sit, qui veritatem adspicere, non imagine expressam, sed ipsam, sed integram, sed pura in luce splendentem cuperet, oculum memoravit animi subinde, *ὄμμα τῆς ψυχῆς*, sexcentis oculis potiorem, quippe quo uno cerneretur veritas. Hunc autem oculum, mentis *ὄργανον*, ut negligitur a plerisque et coecum fit ac perit fere, disciplinis monuit a tenera inde aetate, maximeque mathematicis et dialecticis disquisitionibus cum suscitandum esse in mente, tum purgandum. Nam sic demum fieri posse, ut quod ardentissime amemus uniceque amplecti totum cupiamus, ipsum dico *verum*, id quod *est*, nec falsis nos ludit imaginibus, hoc igitur intueamur plane, cum eoque congressi non falsa et inania, sed vera pariamus, quae veram provehant humani generis felicitatem. Sublime hoc sane est placitum Platonis, significatum jam in Phaedro, sed in Politia ad optimam institutionem diligenter adhibitum: nobis vero prudenter est accipiendum, ne importunâ diligentiâ inanique inquisitione de sensus hujus sede

1) *De Rep.* VII. 527. E. 533. D.

2) Vid. *Wytt.* ad Plut. de S. N. V. p. 95.

3) Cf. *de Rep.* VII. 523. D. 524. D.

et ratione vim ejus sublimem tollamus plane. Accipiendum, ut interpretatus Aristoteles est: ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν ψυχῇ. 1) Plato lectoribus verbo saepe significavit, quae ipsi sentirent, adverterent, quoque melioris essent ingenii, eo plenius perciperent: nec quidquam magis interpreti cavendum est, quam ne explicare studeat, quod ipse philosophus explicare vel non potuit vel etiam datâ operâ noluit. Relinquenda est lectoribus in multis caussis, quam iis Plato reliquit prudenter, sentiendi, suspicandi, divinandique libertas, quae res sane philosopho plena est voluptatis. Sed haud scio equidem, an idem illud, in toto hoc negotio nostro, omnium sit difficillimum.

Quid est docere? sive de μαιευτικῇ Socratica.

Post longam hanc de discendo cognoscendoque disputationem, redimus tandem ad Socratis et Theodori cum Theaeteto sermones; sic autem redimus, ut rite nunc instructi paratique μαιευτικὴν Socraticam, quam tum erat Socrates traditurus, nunc possimus interius perspicere. Nam, ne haec tota nos lateret, constare debebat de natura animi nostri. Qui sane si, ut multis placuit, vacuus esset ipse, extrinsecus autem per sensus, tanquam infundibula, omnes omnium rerum notiones acciperet, Sophistarum probaremus studia, qui ipsi doctrinam in juvenum animos infundere pollicebantur, Socratis vero disciplinam, non dico probare aut admirari, sed ne intelligere quidem possemus. Nunc nos Socratem et Platonem secuti, aliter de animo nostro existimare didicimus, non *tabulam* illum *rasam* esse, sed, agri instar, naturâ uberem et foecundum: plenum enim esse pulcri, boni, justi, ipsius veritatis sive reminiscentiis, sive notionibus, sive sensibus studiisque. Et profecto talis est prorsus, quem Plato nobis spectandum dedit, Theaetetus, foecundo ingenio adolescens, ut perspiceret Socrates, veritatis illum amore ardentem multa dudum animo concepisse jamque parere gestire. Nos vero, qui spectavimus puerum, quidni fateamur, nisi eidem, cum veri amore, ὄργανον illud sive facultas inesset veri intuendi quodammodo, progressus ejus in rebus geometricis nec Theodorum praedicare nec ipsum probare potuisse? Sed ad ipsos sermones accedamus denuo.

Theaetetus, quid istud esset, quod Socrates dixerat: *parturis scilicet, Theaetete, propterea quod non vacuus es, sed praegnans* 2) non tenebat. « Ego, inquit, quid mihi acciderit, dico: me autem parturire, hoc quid sit ignoro. Tum Socrates: tune vero, o bone, ignoras, Phaenaretae me esse filium, obstetricis generosae perquam et severae? — Audivi sane. —

1) *Topic.* p. 288. Sylb. Vid. *Wytt.* ad Plut. de S. N. V. p. 94.
2) Sup. p. 128.

Numquid item, eandem me artem tractare, audivisti? — Hoc nequaquam. — At scito ita esse: ne tamen apud caeteros me prodas: nam latet omnes, o amice, hanc me artem callere; illi vero, quippe ignorantes, hoc quidem de me non dicunt, sed ineptissimum me esse hominem et alios in angustias adigere colloquendo. Hoccine audivisti item? — Id omnino. — Visne tibi caussam hujus rei dicam? — Quidni velim? — Reputa igitur tecum totum obstetricum negotium, quomodo se habeat, et facile id, quod volo, assequeris. Scis enim, nullam earum, quamdiu concipit ipsa et parit, aliis opitulari parturientibus, sed hoc factitare eas, quae jam parere non possunt? — Omnino. — Caussam hujus rei Dianam esse ferunt, quae ipsa non pariens partuum curam suscepit. Sterilibus quidem obstetricandi munus non dedit, quia non fert hominis natura, ut res arte tractet, quarum ipse sit expers: dedit vero illis, quae per aetatem non possent concipere, earum secum similitudinem honorans. — Verisimile hoc quidem. — Nonne vero hoc item et verisimile et necessarium, quae praegnantes sint, quaeque non sint, ab obstetricibus dignosci magis, quam a caeteris? — Omnino. — Quin etiam possunt obstetrices et medelis praebendis, et adhibendis incantationibus, cum excitare parturientium dolores, tum, quarum volunt, sedare, efficere item, ut pariant quae aegre parturiunt: eaedemque, si quando abortu opus est, abortum efficiunt. 1) — Est sane ita. — Numquid et hoc de illis animadvertisti, esse easdem sagacissimas matrimoniorum conciliatrices, quippe perquam prudentes in cernendo, qualis mulier quali viro juncta optimos pariat liberos? — Id non satis novi. — Scito vero, hoc eas magis gloriari, quam umbilici incisione. Nam reputa: ejusdemne, an alius artis esse existimas, colere ac colligere, qui e terra nascuntur, fructus; et rursus dignoscere, cui solo quam plantam, quodve semen committere deceat? — Non sane, sed ejusdem est. — In foeminis autem, o amice, alterius facultatis hoc, alterius illud existimas? — Non videtur. — Haud sane; sed propter injustam ineptamque maris et foeminae conjunctionem, cui *lenocinium* nomen est, conciliandi matrimonii officium fugiunt obstetrices, quippe castae severaeque, verentes scilicet, ne per hanc artem in lenocinii vituperium incidant: quamquam obstetricibus, quae vere dicuntur, solis item convenit mares foeminasque recte jugare. — Patet. — Obstetricum igitur negotium tantum est; minus vero, quam meum. Nam mu-

1) Graeca manifesto corrupta sunt: *καὶ ἐὰν νέον ὂν δόξῃ ἀμβλίσκειν, ἀμβλίσκουσιν.* Fuit, cum mihi mirifice placerem conjiciendo: *καὶ ἐὰν ἀνεμιαῖον δόξῃ, ἀμβλίσκειν,* eo sensu, ut *οὐ γόνιμον* notaret, prouti 157 D. Vid. *Spec. crit.* p. 28. Sed rejecit juvenilem temeritatem aetas provectior. Nunc quidem haec verti de Heindorfii conjectura: *ἐὰν δέον δόξῃ.* (Fortasse simpliciter legendum: *ἐὰν ἄμεινον δόξῃ ἀμβλίσκειν, ἀμβλύνουσιν.* — Ed)

lieribus non accidit, ut subinde simulacra pariant, nonnunquam vera, sitque difficile haec dignoscere: quod si accideret, maximum pulcerrimumque obstetricum munus esset, verum a falso discernendi. Tu vero quid sentis? — Idem profecto. — Meae autem arti caetera propria sunt, quae illarum; differt vero, quod maribus, non foeminis parturientibus succurrat, tum etiam animos spectet parientium, non corpora; maximum autem hoc inest arti meae, posse videlicet diligenter explorare omni modo, simulacrumne et falsum, an nativi et veri quiddam juvenis animus pariat. Caeterum id mihi etiam cum obstetricibus commune est: non pario sapientiam: quodque objecerunt mihi multi, alios me interrogare, ipsum vero de nulla re respondere, quia nihil habeam quod sapienter respondeam, vere objiciunt illi. Caussa autem rei haec est: parturientibus succurrere Deus me cogit, generare prohibuit: sum ipse quidem non magnopere sapiens: neque est mihi ullum sapiens inventum, ex animo meo natum; qui vero colloquuntur mecum, primum quidem videntur, nonnulli non solertes, 1) alii perquam adeo rudes, omnes autem, procedente usu et consuetudine, quibus quidem Deus favet, mirum in modum proficientes, uti et sibimetipsis et caeteris videntur. Id autem liquet, a me illos nihil unquam didicisse, sed ipsos per semetipsos multa et praeclara invenisse atque in se habere recondita: obstetricationis autem Deum et me auctorem esse: quod hinc maxime patet. Multi jam hoc ignorantes et semetipsos increpantes, me autem contemnentes, vel ipsi per sese, vel ab aliis adducti, citius, quam par erat, abierunt: remoti autem a me, cum caeterorum propter pravam consuetudinem abortum fecerunt, tum ea, quae ego obstetricià ope ex iis protuleram, male alentes perdiderunt, falsa et simulacra pluris habentes, quam vera: tandemque hi et sibimetipsis et caeteris rudes visi sunt. Quorum unus fuit Aristides Lysimachi filius, tum permulti alii: quorum, siquando redeunt ad me, expetentes congressus meos atque, ut obtineant, nihil non molientes, nonnullis meum me daemonium adesse prohibet, aliis sinit: hi autem tum continuo proficiunt denuo. Hoc vero etiam cum parturientibus foeminis commune habent, qui me utuntur: partûs doloribus laborant et noctes diesque, magis etiam quam illae, anxietatibus replentur: hos autem dolores ars mea et excitare potest et sedare. Atque ita quidem isti se habent; aliquando vero, o Theaetete, si qui mihi non esse praegnantes videntur, sciens ego nihil me iis prodesse posse, aliis eos benevole despondeo, et, quod non sine Dei numine dico, satis

1) *Theaet.* 150. D. *οἱ δ' ἐμοὶ ξυγγιγνόμενοι τὸ μὲν πρῶτον φαίνονται, ἔνιοι μὲν καὶ πάνυ ἀμαθεῖς, πάντες δὲ* — Excidisse nonnihil videtur. Fortasse scripsit auctor *ἔνιοι μὲν οὐκ εὐμαθεῖς, ἄλλοι δὲ καὶ πάνυ ἀμαθεῖς, πάντες δὲ* — Sic verti.

praesagio acnte, quibusnam illi usi proficiant. Quorum multos Prodico tradidi, mnltos aliis sapientibus et divinis viris. — Haec tibi, optime, hac de caussa fusins enarravi: suspicatus scilicet, te, quemadmodum ipse putas, praegnantem parturire. Committe te igitur mihi, ut filio obstetricis et ipsi obstetriciae artis perito, quaeque rogo, ad haec pro viribus responde. Quodsi fortasse eorum, quae dices, explorans aliquid, simulacrum esse, non verum, existimavero, deinde sustulero atque abjecero, ne, quaeso, irascaris, prouti primo partu puerperae prole rejecta solent. Multi jam enim, mirifice adolescens, sic erga me affecti sunt, ut plane ad mordendum sint parati, quoties ipsis nugas qnasdam detraham, nec putant id a me benevolentià fieri. Multum abest, nt sciant, nullum esse Deum hominibus malevolum, nec vero me quidquam tale malevolentià facere: mihi vero falsum admittere atque abscondere verum, nullo modo licitum est.» 1)

Nolui interpellare Socratem, haec ita Theaeteto et Theodoro enarrantem, ut rem ex ipso totam perciperemus: quamquam sunt nobis singula fere, quae dixit, ex ipsius Platonisque philosophia uberius declaranda. Veluti qnod lenoni se comparavit, qui alia ingenia cum aliis conciliaret, ut ex eorum consuetudine et congressibus optimarum rerum studia, tanquam foetus, ederentur. Similiter id praedicat de sese in Xenophonteo Symposio. Nam cum caeteri illic rem memorassent, qua gloriarentur maxime, Callias Socratem intuens, *σὺ δὲ δὴ, ἔφη, ἐπὶ τίνι μέγα φρονεῖς; καὶ ὃς, μάλα σεμνῶς ἀνασπάσας τὸ πρόσωπον, ἐπὶ μαστροπείᾳ, εἶπεν· tu vero qua te maxime re effers? Tum ille, contracte ad gravitatem vultu, lenocinio, respondit.* 2) Est autem hoc totum, quamvis jocose dictum, ex placitis Platonis de animi natura explicandum. Scilicet non machinae esse simile censebat ingenium hominis, non e lapide aut ligno informatum, ut moveretur mechanicis legibus, semetipsum non moveret; sed *αὐτοκίνητον* 3) appellabat, moveri autem maxime statuebat spiritu illo, quem diximus, qui intus alit omnia, *amore*. Hinc pulcri appetitus, qui apparet in infantibus cum cognoscendi studio conjunctus: hinc amor veri cum pulcri conjunctus amore, quo ardet juventus. Itaque amasium anquirit adolescens optimarum rerum studio flagrantem, quocum semper sit una misceatque sermones de virtute deque eo, quod vere sit pulcrum, vere sit bonum justumque, et qualem esse oporteat virum bonum et sapientem. Quaerit quidem ille formosum continuo: nam quid pulcro est amabilius? et vero pulcri adspectu veritatis virtutisque amor in primis accenditur; sed qualicunque sit ille formâ,

1) *Theaet.* 148 E - 151 D.
2) Xen. *Symp.* 3. 4 — 10. 4, 56.
3) *Phaedr.* 245. C.

etiamsi vel Socrati sit similis, suffecerit, dummodo, ut Socrates, intus sit pulcer. Nam turpis animus non corpore fit formosus, sed animus si sit pulcer, taetrum etiam corpus formosum reddit. Quidni igitur hoc agat datâ operâ philosophus, cui hominum cultus curae cordique est, ut conciliet adolescentibus amasios, siquidem ipsi reperire dignos suo studio non potuerint? Conciliandi autem illis tales sunt, quales ipsorum naturae conveniant, ut ex studiis sermonibusque mutuis, ex communi ingeniorum commercio et consuetudine inventa, tanquam foetus, optima nascantur. Sic, indole perspecta adolescentiae, lenonem se ferebat Socrates ingeniorum. Nam hoc tenebat, quod nobis Eryximachus exposuit, 1) optimum esse medicum, qui corporis appetitibus bonis indulgeret alimentumque praeberet, malos tolleret: pariter autem animo illum prospicere optime philosophum, qui, pravis libidinibus alimento sublato, insito veri pulcrique amori unice gratificaretur: fierique hoc aptissime certissimeque bonis cum bonis conjungendis et suo cuique amasio conciliando. Sed idem Socrates, ut hac ingeniorum conciliatione vim iis insitam promovebat maxime, ita hoc efficiebat simul et suâ fere sponte, ut ipsum discipuli miro amore prosequerentur. Erant quidem, ut modo nos monuit, qui ipsum citius, quam par esset, desererent, aliosque secuti corrumperentur; sed legentibus nobis germanos ejus constantesque discipulos, Xenophontem et Platonem, attendentibus in primis, quos in scriptis hi suis dicentes fecerunt Socraticos, quavis fere pagina patet, quo eum quantoque dilexerint colucrintque amore. In Phaedonis cum Echecrate colloquio sic Phaedo: *καὶ γὰρ τὸ μεμνῆσθαι Σωκράτους καὶ αὐτὸν λέγοντα καὶ ἄλλου ἀκούοντα ἔμοιγε ἀεὶ πάντων ἥδιστον· et vere, Seeratis meminisse, sive ipse dieam, sive alium dicentem audiam, mihi semper emnium suavissimum est.* 2) Sed audiamus Apollodorum, qui furore plane amabat Socratem: *ἀφ' οὗ δ' ἐγὼ*, familiari narrat cuidam, *Σωκράτει συνδιατρίβω καὶ ἐπιμελὲς πεποίημαι ἑκάστης ἡμέρας εἰδέναι ὅ τι ἂν λέγῃ ἢ πράττῃ, οὐδέπω τρία ἔτη ἐστίν· πρὸ τοῦ δὲ περιτρέχων ὅπῃ τύχοιμι καὶ οἰόμενός τι ποιεῖν, ἀθλιώτερος ἦν ὁτουοῦν· ex que vere tempore Soeratem ego sector, idque mihi agendum summe studie ratus sum, ut, quid dieat singulis diebus, quid agat, eognescerem, nondum tres sunt anni: antea vero, quecunque fors ferebat, oberrans, putansque me aliquid agere, omnium eram miserrimus.* 3) Cui familiaris: *ἀεὶ ὅμοιος εἶ, ὦ Ἀπολλόδωρε, — σαυτῷ τε καὶ τοῖς ἄλλοις ἀγριαίνεις, πλὴν Σωκράτους· semper tui similis es, o Apollodore, — in te caete-*

1) *Symp.* 187 D. *Initia* p. 65.
2) *Phaed.* 58 D.
3) *Symp.* 172 E.

rosque acerbe inveheris, uno excepto Socrate. 1) Talem autem in se amorem ut in discipulis excitaret Socrates, cum mores effecerunt viri, tum effecisse videtur maxime haec ipsa, quam explicamus, μαιευτική. Nam erat illa cum incredibili quadam benivolentia et caritatis significatione conjuncta: ἔρως autem ἀντέρωτα τίκτει· *amor vicissim amorem parit.* Sed ipsi disciplinae hoc proprium erat, ut pareret amorem. Nam primum, sublatis opinionibus falsis et praeoccupatis, amorem veri, diu istis oppressum et fere suffocatum, tanquam e cinere suscitabat, ut exardesceret in animo: hoc autem quis est qui incenditur, quin eodem praeceptorem studio et amore, quo ipsam veritatem, prosequatur? Est enim hic ipsi non summi tantum beneficii auctor, sed exemplum etiam, quod assequi studeat, ipsa est illi veritatis virtutisque imago, qua contemplanda colendaque, amatoris plane instar, satiari non potest. Vero, sic plane divinum praeceptorem amabant Socratici, sic eum post mortem venerati sunt et coluerunt. Deinde, qui hac disciplina a Socrate perpurgabantur, primum quidem aegre ferebant, auferri sibi ea, quibus unice gloriabantur, quaeque ut parta ingenio suo paternâ caritate diligebant et osculabantur, erantque, ut ait Socrates, qui ipsum has illis nugas auferentem rejicientemque, tantum non morderent. Sed iidem, postquam plane erant perpurgati, tanto semetipsos odio habebant, quanto illum colebant amore. Indignabantur enim, tamdiu se torpuisse, vitamque se adhuc degisse indignam ingenio suo. Quo vero abjectius de semetipsis sentiebant, eo de Socrate magnificentius existimabant: quoque magis sibi deesse videbant, quod ipsis sufficeret, eo ardentius amplectebantur eum, quo hoc explerent desiderium, eoque illum amabant vehementius: amorem enim, de Diotimae sententia, indigentia parit. Hujusmodi est et hinc proficiscitur discipulorum erga praeceptorem amor, qualis Socrates fuit: sic certe ipsum Socratem amavit, ut modo confessus est, Apollodorus, qui ab hoc amoris furore plane et enthusiasmo μανικὸς appellari solebat. 2)

Quodsi jam de eo quaerimus, quod item Socrates in illa μαιευτικῆς descriptione memoravit, qui accederent ad ipsum, horum primum nonnullos quidem non valde dociles visos esse, alios rudes, omnes vero, procedente usu et consuetudine, siquidem deus faveret, mirabiles fecisse progressus, θαυμαστὸν ὅσον ἐπιδιδόντας· 3) hoc item ex Socratica naturae humanae observatione efficitur facile. Nam purgando animo liberandoque perversis opinionibus, cum viam recludebat adolescentibus omnis scientiae et virtutis, tum ipsi hac via non poterant non celerrime progredi. Hoc item et ipsi tribuendum Socrati, qui mira valebat incitandi, τοῦ

1) *Symp.* 173 D.
2) *Eod.*
3) *Theaet.* 150 D.

προτρέπεσθαι facultate naturali, tum ex diseentium natura et ingenio intelligitur. Et primum quidem rudes videri plerique et indocti debebant, quibus quippe Socrates omnem doctrinae speciem sic interrogando adimeret, ut ipsi cogerentur fateri, quique aderant faterentur sponte sua, esse illam reapse speciem inanem, doctrinam inesse, i. e. rerum scientiam, nullam. Sed iidem, bis vanis falsisque opinionibus liberati, quibus verae excludebantur, suscipiebant jam sponte sua doctrinas omnes, quae ad rerum scientiam ducerent. Nam inest naturâ homini amor veri. Quod vidit acute Plato, et, nos ut videremus, summâ evidentiâ explicuit. *Νομίζοντες γὰρ*, ait, *οἱ καθαίροντες αὐτοὺς, ὥσπερ οἱ περὶ τὰ σώματα ἰατροὶ νενομίκασι, μὴ πρότερον ἂν τῆς προσφερομένης τροφῆς ἀπολαύειν δύνασθαι σῶμα, πρὶν ἂν τὰ ἐμποδίζοντα ἐν ἑαυτῷ τὶς ἐκβάλῃ, ταυτὸν καὶ περὶ ψυχῆς διενοήθησαν ἐκεῖνοι· μὴ πρότερον αὐτὴν ἕξειν τῶν προσφερομένων μαθημάτων ὄνησιν, πρὶν ἂν ἐλέγχων τὶς τὸν ἐλεγχόμενον εἰς αἰσχύνην καταστήσας, τὰς τοῖς μαθήμασιν ἐμποδίους δόξας ἐξελὼν, καθαρὸν ἀποφήνῃ, καὶ ταῦτα ἡγούμενον, ἅπερ οἶδεν, εἰδέναι μόνα, πλείω δὲ μή· existimantes enim, qui hos purgare nituntur, ut de corporibus existimant medici, non posse corpus allato cibo nutriri, anteaquam impedimenta quis ejecerit, eâdem ratione illi de animo judicarunt, non prius hunc ex allatis disciplinis fructum esse capturum, quam redarguens quis eum, qui redarguitur, postquam fecit ut erubesceret, sublatis opinionibus vanis, disciplinarum impedimentis, purum effecerit, haec se scire putantem sola, quae novit, plura vero se non scire.* 1) Medetur igitur animo *μαιευτική*, ut totus penitusque sanatus, possit deinde doctrinarum suscipere alimenta, possitque idem, bene his nutritus et corroboratus, gravissimos suscipere ac perdurare ad inveniendum verum et in vitae usum conferendum labores. Verum haec *μαιευτικῆς* cum salutari arte comparatio, ut frequens est apud Platonem, quippe prorsus naturae congrua, ita diligentissime est ab eo in *Sophista* instituta: quam disputationem eo, quo procedit, ordine apponemus, quo magis ex illo dialecticam Platonicam, quam deinceps tractabimus, hîc jam quodammodo degustemus.

«*Κάθαρσις* animi *ἔλεγχος* est, sive *ἡ μαιευτική*: quod animo cum corpore collato sponte apparet. Nam duplex est perversa corporis conditio: cum *νόσος*, si intus corruptum est, tum *αἶσχος*, si externo habitu male se habet. Utrique vitio corrigendo ars accommodata est, illi *ἰατρική*, huic *γυμναστική*. — Duplex item animi malum est: est vel *ἀδικία*, vel *ἀμαθία*. His si quaerimus quaenam medeantur potissimum, injustitiae adhibenda *κολαστικὴ* sive *δίκη* est, inscitiae *διδασκαλική*. Verum

1) *Soph.* 230 C. D.

διδασκαλικὴ vel ad *δημιουργικὰς* refertur *διδασκαλίας*, vel *παιδεία* est, i. e. *διδασκαλικὴ ἐν τοῖς λόγοις·* haec autem duplex est, severior vel lenior: vel *νουθετητικὴ* est, *ἀρχαιοπρεπές τι πάτριον, ᾧ πρὸς τοὺς υἱεῖς μάλιστ᾽ ἐχρῶντό τε καὶ ἔτι πολλοὶ χρῶνται τὰ νῦν, ὅταν αὐτοῖς ἐξαμαρτάνωσί τι, τὰ μὲν χαλεπαίνοντες, τὰ δὲ μαλθακωτέρως παραμυθούμενοι· antiquum quiddam et patrium, quo in liberos suos maxime utebantur et utuntur etiamnunc multi, quando delinquunt, partim graviter objurgantes, partim lenius admonentes:* vel, qnem nunc quaerimus maxime, *ἔλεγχος, ὁ περὶ τὴν μάταιον δοξοσοφίαν γιγνόμενος ἔλεγχος, vanae doctrinae, quae opinione cernitur, redargutio*, 1) i. e. *μαιευτικὴ*, qnam qui animo adhibet, *καθαρτὴς* dicendus est, *δοξῶν ἐμποδίων μαθήμασι περὶ ψυχήν.* 2) Ergo, ut vis *μαιευτικῆς* ad verum hominis cultum percipiatur, pronti medicus corpori, sic animo judex prospicit; sed corpori non sufficit, ut intus se bene habeat, accedat necesse est habitus motusque concinnus: quod efficit gymnastica. Similiter non satis est animo, si nec pravus sit nec poenis videatur coërcendus, esse eum nec turpem nec taetrum: *pulcrum* esse decet. Eo antem *διδασκαλικὴ* valet, nec illa tantum, quae patris auctoritate exercetur, sed praesertim, quae intus totum penitusque perpurgat animum, ut, sublatis opinionibus vanis, integer sit et vigeat. *Τὸν ἔλεγχον λεκτέον ὡς ἄρα μεγίστη καὶ κυριωτάτη τῶν καθάρσεών ἐστι· καὶ τὸν ἀνέλεγκτον αὖ νομιστέον, ἂν καὶ τυγχάνῃ βασιλεὺς ὁ μέγας ὤν, τὰ μέγιστα ἀκάθαρτον ὄντα, ἀπαίδευτόν τε καὶ αἰσχρὸν γεγονέναι ταῦτα, ἃ καθαρώτατον καὶ κάλλιστον ἔπρεπε τὸν ὄντως ἐσόμενον εὐδαίμονα εἶναι· redargutio dicenda est maxima et princeps purgationum omnium; ille vero qui non redargutus est, etiamsi ipse esset rex Persarum, indoctus habendus est et turpis iis in negotiis, in quibus qui reapse futurus est felix, purissimus esse et pulcerrimus debet.»* 3)

Sed nondum explicuimus satis, quod dixit de hac disciplina in Theaeteto Socrates, admirabiles esse eorum, qui sic excoluntur, progressus: id vero praesertim est ex hominis indole et Socratis philosophia declarandum. Nam id studebat unice philosophus, ut animus liberaretur tumore, vanitate, falsis opinionibus, quae maxima sunt cogitandi libereque inquirendi impedimenta: his autem tanquam vinculis solutus, ipse jam porro per se cogitaret et exquireret. Simplicior fingi disciplina nulla potest, sed nulla est etiam ad accelerandos juvenum progressus aptior efficaciorque. Nam hac ratione expediti difficultatibus, quae coërcent

---

1) *Soph.* 231. B.
2) *Eod.* 231 E.
3) *Eod.*, 230 et 231

progressum omnem, suoque ipsi indulgentes instinctui i. e. veritatis amori, non possunt non, quae vis est naturae, tendere ad veritatem celerrimo cursu, eamque attingere. Erant Athenis Socratis aetate, qui in eo excitandorum ingeniorum facultatem agnoscerent atque admirarentur, perducendorum desiderarent: quod Xenophon testatur in Memorabilibus, 1) qui ipse Socrati suo parem utriusque negotii facultatem tribuit. Non est, quod nos hoc loco rem dijudicemus: nam et negotium difficillimum est, et minus nunc Socratem, quam ejus disciplinam disciplinaeque in philosophia Platonis auctoritatem spectamus. Sed hanc nobis judicantibus, eo sane praestabilior uberiorque videtur, quo minus ingeniis suam monstrabat progrediendi viam. Aperiebat ille juvenum animos, eliciebat inde facultates, quae inessent, singulas, easque alebat et corroborabat: ut vero hae in aliis erant aliae, maximeque diversae, ita suam quisque, pro hac naturarum diversitate, et ingrediebantur viam et tenebant; quam disciplinae praestantiam et quasi fertilitatem certissimo documento probat historia philosophiae. Nam ex nulla prodierunt tanta varietate, non dico philosophi, sed philosophorum sectae et familiae, quam ex Socratica hacce. Secuti sunt Zenonem Stoici, Epicurum Epicurei, ut, quae magister praeceperat, maximam partem diligenter discipuli servarent: unde communi omnes nomine Stoici et Epicurei dicti sunt. Sed Socratem qui audiverunt, sic ab eo singuli singulari ratione exculti sunt, sic semetipsos suo quique modo explicuerunt, ut pro suo quique ingenio philosopharentur, suum quique iter instituerent, plerique novarum essent sectarum auctores. Fons fuit Socratica disciplina uberrimus, unde sectae in omnes partes magnoque numero et majore etiam placitorum varietate, tanquam rivuli, dimanarent: eademque disciplinae hujus foecunditas in Platonis disciplinam quasi propagata est, quae et Academicos protulit et Peripateticos et Neoplatonicos, imo vero ipsis Stoicis et Epicureis, quamvis aliunde ortis, alimentum praebuit sane quam saluberrimum. Nam quod Socrates monendo cohortandoque et sermonibus instituerat, id perfecit Plato cum simili, quamvis diligentiore, disciplina, tum scriptis maxime, quibus Socratem posteris nobisque etiam hoc tempore disserentem philosophantemque, veluti vivum etiamnunc, repraesentavit: idemque institutioni doctrinas adjunxit, praesertim mathematicas, non quo viam definiret, quae cuique esset anxie servanda, sed ut magis etiam insitum homini veri amorem et excitaret aleretque et prudenter regeret.

Sed agimus de progressuum celeritate, qua insignem esse μαιευτικὴν ipse nobis praestantissimae disciplinae auctor modo affirmavit. Nolim hîc cogitent lectores celeritatem illam discendi, quae hodie praesertim, ubivis fere in cultioribus Europae populis, commendatur, cujus praestantia bre-

1) *Mem.* I. 4

vitate temporis censetur, non ubertate, non diligentia, non rerum addiscendarum gravitate, non fructu etiam, quem inde res publica capiat. Laudanda est celeritas illa, quatenus ad legendi, scribendi, supputandi facultatem refertur. Quodsi vero excolenda adolescentia videatur non his artibus puerilibus, quae animum non movent, vix adeo ad judicium pertingunt; sed, ut censuerunt majores nostri, ingeniis animisque erudiendis, non tantum non laudanda, sed quam maxime cavenda est. Quam Socrates cogitabat discendi proficiendique celeritatem, non brevi temporis spatio definiebat: nam beatum praedicabat illum, qui vel senex in virtute nonnullos fecisset progressus; 1) sed exigebat illam ad difficultatum copiam et magnitudinem, quae discenti essent superandae. Id scilicet spectabat, non ut in homine singularis quaedam mentis facultas acueretur, memoria, inveniendi solertia, ratiocinandi subtilitas, enunciandi communicandique facilitas, similes: id si spectasset, intra triduum, ut ita dicam, admirabiles fecisset discipulos: nam si quis, caeteris missis consopitisque mentis facultatibus, unam excitat, unam acuit et uni illi acuendae, firmandae, corroborandae omnem adhibet mentis animique vim et vigorem, nae ille et ipse admirabitur stupendos discipulorum tamque subitos progressus, et vulgus miraculum suspicabitur, acclamabit certe: θαῦμα ἰδέσθαι! Sed alia omnia spectabat Socrates: totum excolere hominem studebat, ut non arte aliqua aut doctrina excelleret, caeterum esset rudis et agrestis, sed ut sensus omnes et facultates, quae tanquam igniculi in ipsius mente naturâ laterent, sublatis impedimentis, moverentur, suscitarentur, reviviscerent, atque ipse ita homo quasi novam suamque vitam ingressus, talis fieret, qualis esse naturâ ipse suâ et indole posset ac deberet. Huic institutioni, sanequam naturae convenientissimae, unam esse μαιευτικὴν accommodatam, quivis ex dictis perspicit; sed nemo quoque est, quin idem perspiciat, absolvi eam paucis vel diebus, vel mensibus, vel annis etiam non posse, praeclaramque esse ejus fortunam, qui a puero sic orsus, sub vitae finem, quod spectaverat, sit assecutus. Sed quamvis non miracula produceret, hoc habebat Socratis disciplina proprium, ut per eam aliquis uuice sic procederet, celeresque faceret pro studiorum gravitate progressus. Nam ut homo sic totus penitusque excoleretur, addiscenda ars erat una omnium longe difficillima, ut semetipsum cognosceret. Socrates autem interrogando proponendisque quaestionibus gravioribus intus sollicitabat in adolescentibus animum, ut amor excitaretur veri, convertebatque eos ad semetipsos intuendos et judicandos: unde pudor, quem oboriens subito in genis rubor prodebat identidem. Semel autem ita et studio discendi inflammati et ipsi semet corrigentes, perque semetipsos optimis quibusque et artibus et doctrinis

1) *De Legg.* II. 653. A. *Initia* p. 84.

studentes, cum progrediebantur facile, tum illos faciebant progressus, qui, qualescunque tandem, ipsorum indoli naturaeque essent congrui. Cavisse autem videtur Socrates magis, ne corrumperet ingenia intempestivo emendandi studio, quam, ut eximiis quibusdam facultatibus elucerent, efficere studuisse. *Καὶ τοῦτο ἐναργὲς*, ait in praeclara illa *μαιευτικῆς* descriptione, *ὅτι παρ' ἐμοῦ οὐδὲν πώποτε μαθόντες, ἀλλ' αὐτοὶ παρ' αὑτῶν πολλὰ καὶ καλὰ εὑρόντες τε καὶ κατέχοντες. Illud manifestum, discipulos a me accepisse nihil, sed ipsos a se et multa et praeclara didicisse.* 1) Videtur hanc cautionem, hanc abstinentiam, qua profecto nihil est docenti difficilius, divinitus sibi datam esse, existimasse: certe suo ipse genio retinendi avertendique, non concitandi vim tribuebat. 2)

In tota hac Platonis de vera institutione doctrina, quae sint Socrati, quae ipsi Platoni propria, quae item e Pythagorae et Pythagoreorum placitis ducta, tum nobis quaerendi erit locus, quando criticam sumus philosophiae Platonicae disquisitionem instituturi. Nunc id agimus unice, ut lectores in hujus philosophiae interiorem rationem inducamus; quo illa pertinebunt maxime, quae de eloquentia, quam probavit Plato, monebimus. Animadvertendum autem hoc loco videtur, eorum, qui in philosophando Platonem secuti sunt, vix quemquam fuisse, quin hanc philosophi doctrinam cum probaret vehementer, tum exponere et illustrare conaretur. De reminiscentia animi suscitandisque rationibus olim perceptis, festive Maximus Tyrius sic disputat, ut praesentem conditionem nostram nocti, mentem autem imperatori conferat, milites dormientes e somno excitanti. «Homerum sequamur, ait; fingamus noctem esse; quietemque in castris profundam, aliosque omnes ordine somno sepultos altissimo jacere:

Ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα, ποιμένα λαῶν,
ὕπνος ἔχεν

Hic autem ordine omnes excitat, aciemque instruit. *Τοιοῦτον ἡγοῦ καὶ περὶ τὴν ψυχὴν γίνεσθαι, νύκτα πολλὴν, καὶ ὕπνον βαθὺν τῶν της ψυχῆς νοημάτων· τὸν δὲ λόγον αὐτὸν, τὸν στρατηγὸν ὄντα ἢ βασιλέα ἢ ὅ, τι περ ὀνομάζων χαίρεις, ἐπιόντα τούτων ἕκαστον καὶ ἐπεγείροντα καὶ συντάττοντα. Κάλει δὲ τὸν μὲν ὕπνον λήθην, τὴν δὲ ἀνάστασιν αὐτῶν ἀνάμνησιν, μνήμην δὲ τὴν φυλακὴν καὶ τὴν σωτηρίαν τῶν συνταχθέντων. Tale quid existima et in animo fieri nostro, noctem videlicet somnumque in eo, qui cogitationes ejus opprimat, oboriri profundum: rationem autem imperatorem esse, aut regem aut quodcunque eam appellare velis, qui singulos adeat, sopitos excitet, excitatos ordine disponat.* Somnum

---

1) *Theaet.* 150. D.

2) *Eod.* 151. A. *Theag.* 128. D. Max. Tyr. *diss.* XIV et XV

ipsum ***oblivionem***, *excitationem e somno* ***reminiscentiam*** *voca; curam vero conservationemque eorum, quos jam ordinavit ratio,* ***memoriam***.» 1) Obstetricandi autem artem ut ingeniose idem cum justa disciplina comparat, 2) ita Plutarchus hanc comparationem ex ipsa Platonis mente in Platonicis quaestionibus explicat. «Vide vero, ne nullà operà studioque digna fuerint reliqua et carmina et doctrinae, et orationes oratorum, et decreta sophistarum, quae gignere Socratem Deus prohibuit: quam vero solam existimabat Socrates sapientiam, quae in rebus divinis et intelligibilibus versatur, quamque amatoriam appellabat, hujus in hominibus nulla sit generatio nec inventio, sed reminiscentia. *Ὅθεν οὐδὲν ἐδίδασκε Σωκράτης, ἀλλὰ ἐνδιδοὺς ἀρχὰς ἀποριῶν, ὥσπερ ὠδίνων, τοῖς νέοις, ἐπήγειρε καὶ ἀνεκίνει καὶ συνεξῆγε τὰς ἐμφύτους νοήσεις· καὶ τοῦτο μαιευτικὴν τέχνην ὠνόμαζεν, οὐκ ἐντιθεῖσαν ἔξωθεν, ὥσπερ ἕτεροι προσεποιοῦντο, νοῦν τοῖς ἐντυγχάνουσιν, ἀλλ᾽ ἔχοντας οἰκεῖον ἐν ἑαυτοῖς, ἀτελῆ δὲ καὶ συγκεχυμένον καὶ δεόμενον τοῦ τρέφοντος καὶ βεβαιοῦντος ἐπιδεικνύουσαν. Quapropter nil docuit Socrates, sed caussas dubitationum, tanquam dolorum partus, juvenibus adhibens, excitabat, commovebat, provocabat insitas notiones: eamque obstetriciam vocavit artem, quippe quae non extrinsecus, quod alii prae se ferebant, intelligentiam discentibus inferret, sed ostenderet eam ipsis insitam esse, sed imperfectam, confusam, indigam nutritore et confirmatore.*» 3) Caeterum tres enumerare Platonis disciplinas solebant Platonici, *τὴν ἐρωτικὴν, τὴν μουσικὴν, τὴν διαλεκτικήν·* has quidem Plotinus. 4) Proclus autem *τῇ μουσικῇ* substituit *τὴν μαιευτικήν*. Nec sane inepte iis singulis in philosophiae progressione suas partes tribuit hoc modo: *διὰ μὲν γὰρ τῆς ἐρωτικῆς πρὸς τὸ καλὸν ἀναγόμεθα· διὰ δὲ τῆς μαιευτικῆς σοφὸς ἕκαστος ἡμῶν ἀναφαίνεται περὶ ὧν ἐστὶν ἀμαθὴς, τοὺς ἐν αὑτῷ προβάλλων περὶ τῶν ὄντων λόγους· διὰ δὲ τῆς διαλεκτικῆς καὶ μέχρι τοῦ ἀγαθοῦ τὴν ἄνοδον εἶναί φησιν ὁ ἐν τῇ Πολιτείᾳ Σωκράτης τοῖς φιλοθεάμοσι τῆς ἀληθείας· per amatoriam enim artem ad pulcrum educimur: per obstetriciam sapiens unusquisque nostrum in iis evadit, quorum est ignarus, quaestiones sibi proponens de iis, quae sunt: per dialecticam vero escensionem ad summum bonum esse, Socrates dicit in Politia iis, qui verum spectare amant.* 5) — Quod quale sit, patebit nobis deinceps.

1) Max. Tyr. *diss.* XVI. 6. 299.

2) *Eod.* 292.

3) Plut. *Quaest. Plat.* I. 1000. E.

4) Plot. *de pulcr.* p. 19. Creuz. Cf. Editor praepar. ad Plot. p. CIV. sqq.

5) Procl. *in Alcib.* I. 29. De *ἀναμνήσει* vid. *Creuz.* ad Cic. *de N. D.* III. 22. et ad Plot. *de pulcr.* p. 166. 405. 539.

Duas explicare studuimus in philosophia veri quaestiones sane quam gravissimas, alteram, *quid sit discere: quid sit docere*, alteram: quarum illa nos duxit ad veri amorem, animis nostris insitum, omnis cognitionis fontem: haec nobis percipiendam praebuit Socraticae disciplinae ubertatem, quae tota item ex eodem hoc fonte ducta est. Nam utriusque explicationem quaestionis non aliunde, sed, duce Platone, e nobismet ipsis, ex animi nostri natura hauriendam putavimus. Quibus explicitis, tandem suspicari jam nobis licet, quae sit secundum Platonem eloquentia vera, quae justa scribendi ratio, hominum generi fructuosa: ducendam enim utramque ex iisdem esse Socraticae disciplinae principiis, intelligimus facile. Sed eo priusquam progrediar, respicere juvat durum istud et ἄμουσον hominum genus, qui ingredientibus nobis hoc iter ad veritatem, ipsum aditum occludere conabantur. Clamitabant isti, nec veritatem esse nec veritatis amorem: opinionibus nos duci et studio opinionum, quas qui eloquentissime et multitudini et juventuti proponeret, hunc de utraque optime mereri. Nos vero haud morati illorum cavillationes, iter nostrum placide constanterque persecuti sumus, et huc jam progressi, quid de scientia et opinione, quid de Protagorae effato, mensuram omnium rerum hominem esse, existimandum sit, nondum perspicimus; sed hoc et perspicimus et intimo animo persentiscimus, esse nobis naturâ inditum veritatis amorem: et quamvis sit magna et praeclara cum eloquentia istorum, tum disserendi subtilitas, nisi hunc excitent in animis amorem, aptosque juvenes efficiant, qui sua sponte progrediantur, vanam illam esse et supervacaneam. Indignamur autem, imo vero ridemus hominum illorum absurditatem. Nam similes sunt iis, qui contendere audent, coecis se oculis visum imposituros esse: quo sane nihil fingi ineptius absurdiusque possit. Nos vero, homine interius explorato, ut veri amorem in ejus animo, ita ὄργανον, sensum quendam veri agnovimus, oculum mentis, quo uno veritas, id quod est, conspici potest. Illis igitur cedimus, ut infinitis habendis orationibus et sibi et auditoribus placeant, frustraque laborent, ut hac ratione discipulis sapientiam, ut coecis visum, imponant: nos mentis curabimus oculum, ut, hoc purgato restitutoque, mens per illum scientiam et veritatem assequatur: quo disciplinae valebunt maxime, cum aliae, tum geometria et dialectica.

Sed in itineris confecti recordatione lubentissime sane cum Platonis attendimus in exploranda hominis natura sagacitatem, tum singularem in primis Socratis rationem. Unus ille in tota Atheniensium civitate ei se objiciebat studio, quo omnes ducebantur vehementissime: erat hoc autem studium eloquentiae. Nam quicunque vel literis doctrinisque operam navabant, vel in republica ad honores contendebant, per unam maxime eloquentiam ad principatum in his studebant pervenire. Ipse adeo populus cum in foro, tum in castris nihil habebat suavius potiusque, quam

oratores audire copiose ornateque dicentes. Quo fiebat, ut duceretur plane ab his, aptissimoque hi nomine *δημαγωγοὶ* appellarentur. Socrates autem tantum aberat, ut abriperetur hoc studiorum cursu cum caeteris omnibus, excellentissimis etiam hominibus, ut unus subsisteret, unus huic flumini et quasi torrenti resisteret, unus auderet contendere, perniciosum esse rei publicae hoc eloquentiae studium, eoque perniciosius, quo majus, quo excellentius haberetur, unus ipsos adoriretur et demagogos et sophistas, quamque intus essent pravi corruptique, publice aperiret. Sed, quod nobis quidem magis etiam admirabile videtur, unus fuit idem ille Socrates, qui ipsi, quam contemnere videbatur, eloquentiae suam maxime et vim inderet et auctoritatem conciliaret: imo vero id efficeret, eo certe valeret plurimum, ut in Demosthenis eloquentia vis illa aliquando et *δεινότης* exsisteret, qua is totam Graeciam commovit virtutisque ardore incendit. Id autem ut explicetur plene, ut disciplina Socratica, qua fuerit ubertate, qua in ipsa republica, in gravissimis reipublicae negotiis auctoritate, pateat, simulque, quam Socrates, quam Plato praesertim ***veram*** esse ***eloquentiam*** duxerit, intelligatur, ex altioribus quibusdam principiis res repetenda nobis et declaranda est. Patebit vero hoc, in primis tractando argumento, quippe ampliore et illustriore, qualem quantamque habeat in rebus humanis vim et efficacitatem ***veri amor.***

De dicendi ratione, quam, per Platonem, Socratis peperit disciplina.

Eloquentia, nisi a philosophia quasi succum et sanguinem duxerit, ipso Platone judice, 1) inane est et ludicrum negotium, verbis constans, destitutum rebus. Itaque tum demum effloruit viguitque Athenis, postquam Periclis aliorumque ingenium sapientiae studio imbuerat Anaxagoras, sublimis philosophus, cui et Socrates debuit multum et hoc debuit Euripides, ut una cum eloquentia philosophiam in scenam produceret. Quod item et Plato vidit et comprobarunt posteri. «Videtur, ait in Phaedro Socrates, haud sine caussa Pericles in eloquentia perfectissimus exstitisse. *Πᾶσαι, ὅσαι μεγάλαι τῶν τέχνων, προσδέονται ἀδολεσχίας καὶ μετεωρολογίας φύσεως πέρι· τὸ γὰρ ὑψηλόνουν τοῦτο καὶ τὸ πάντῃ τελεσιουργὸν ἔοικεν ἐντεῦθέν ποθεν εἰςιέναι· ὃ καὶ Περικλῆς πρὸς τῷ εὐφυὴς εἶναι ἐκτήσατο· προςπεσὼν γὰρ, οἶμαι, τοιούτῳ ὄντι Ἀναξαγόρᾳ, μετεωρολογίας ἐμπλησθεὶς καὶ ἐπὶ φύσιν νοῦ τε καὶ ἀνοίας ἀφικόμενος, ὧν δὴ πέρι τὸν πολὺν λόγον ἐποιεῖτο Ἀναξαγόρας, ἐντεῦθεν εἵλκυσεν ἐπὶ τὴν*

1) *Phaedr.* 269 et 270. Cf. Cic. *Orat.* c. 4.

τῶν λόγων τέχνην τὸ πρόςφορον αὐτῇ· magnae quaelibet artes uberioribus indigent ac sublimioribus de natura disceptationibus: hinc enim mentis sublimitas et vis efficax in quavis re perficiendâ obtingere homini videtur: quod Pericles ad ingenii acumen adjunxit. Nam incidens, credo, in hujusmodi rerum indagatorem, Anaxagoram, sublimium rerum studio imbutus atque ad naturam mentis amentiaeque procedens, in quibus multus erat in sermonibus Anaxagoras, hinc ad dicendi artem traxit, quaecunque ei essent consentanea.» 1) Sed Pericles sic est a philosopho institutus, ut singulare et inusitatum inveniret dicendi genus, cujus quae *forma* fuerit, ex orationibus intelligitur, quae apud Thucydidem exstant; 2) quae vero fuerit in civitate, belli Peloponnesii temporibus, *auctoritas*, ipsa hujus belli historia docet. 3) Haud dissimilis fuisse ratio videtur, qua deinde Demosthenes ad novum, sed illustrius etiam, dicendi genus pervenit. Socratem non vidit: audiveritne Platonem, incertum est; sed hoc constat, Platonis eum scripta legisse, quibus sane legendis non minus, quam ipso audiendo Socrate, μαιευτικῆς Socraticae rationem percipere potuit. Legit autem eum summo studio, admiratione summa, ut Cicero testatur. «Lectitavisse, ait, Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur: idque apparet ex genere et granditate verborum: dicit etiam in quadam epistola hoc ipse de sese.» 4) Nec vero id, nostro quidem judicio, ex *granditate verborum* tantum, sed multo etiam evidentius ex toto Demosthenis apparet dicendi genere, quod mirum in modum Socraticum est et Platonicum. Nam quum principis hujus oratoris scripta cum caeterorum, qui praecesserunt, orationibus comparamus, in illis quidem naturae vim et persuasionem agnoscimus, admiramur etiam rerum humanarum perspicientiam, interiorem naturae humanae pervestigationem: admiramur cum his conjunctam orationis vim singularem et sublimitatem; sed quascunque tandem legamus sive in Thucydidis historia, sive apud ipsos oratores orationes, ne Aeschine quidem excepto, Demosthenis aemulo, desideramus in illis omnibus, quam ipsa desideravit antiquitas, δεινότητα illam, quam vocabant Graeci, quaeque uni fuisse propria Demostheni videtur. 5) Erat haec autem in Demosthene ejusmodi, ut Socratis referret παῤῥησίαν, libere sententiam diceret de gravissimis reipublicae caussis, nec principibus in civitate viris nec ipsi populo parceret, si quidem sive dolo illi, sive hic ignorantia et levitate

---

1) *Phaedr.* 270: A. Cf. Plut. *vita Pericl.* init. et Cicero *Orat.* c. 4.

2) Wytt. *praef. Select.* p. XII.

3) Thuc. II. 55-65. Cf. Cic. *Orat.* c. 9. » Ab Aristophane poëta *fulgere*, *tonare*, *permiscere Graeciam* dictus est.»

4) Cic. *Bruto* c. 31. Cf. *Orat.* c. 4. Plut. *vita Dem.* c. 2.

5) Dion. Hal. περὶ τῆς Δημ. δεινότ.

peccasset, salutem omnino publicam spectare unice, suam aliorumque vix cogitare videretur. Sed accedebant alia, in primis Socratica. Non libere tantum et patriae ductus amore dicebat publice, sed pari cum prudentia et vero *benivolentia.* Noverat ille penitus Atheniensium animos, perspexerat, quibus maxime vitiis laborarent, quibus item virtutibus excellerent: ista reprehendebat omni opportunitate, has identidem celebrabat. Falsis eos praejudicatisque opinionibus liberabat, ut ipsi viderent, quid civitati, quid ipsis maxime esset utile: quoque magis hoc sequerentur, veri amorem, qui inest hominibus, inest in primis hominum concionibus, suscitabat et alebat. Est in virtutibus Demosthenis talis omnino simplicitas, qualis in omnibus est Socratis sermonibus. Nullus orationis ornatns, studium nullum commendandae probandaeque sententiae suae: ut mirentur multi, qui recens ab aliorum lectione oratorum, recentiorum maxime, ad eum accedunt, mirentur igitur, nec flosculos se apud illum, nec imagines, nec illa omnino reperire, quibus lucet splendetque unice multorum oratio. Haec autem simplicitas ipsius veri habet significationem: *ἅπλους γὰρ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ·* et valet magnopere ad veri in animis studium excitandum: valet vero maxime, quo pertinet in primis eloquentia, ad persuadendum. Sed uti sic mentem hominum veritatis luce illustrabat, ita *benivolentiâ* eorum animos movebat sibique conciliabat. Invehitur subinde in totum populum Atheniensem et tanto impetu et ardore, ut indignationi ira videatur accedere; nec tamen odisse eum poterant cives sui. Oratores quidem et demagogi vindictam spirabant. Ignorabant enim vel videre nolebant, benivolentiâ eum erga cives ductum, sic iis succensere. Quod dixit Socrates in *μαιευτικῆς* descriptione, sophistas illos respiciens, quibus frustra mederi studuerat: *πολλοὶ γὰρ ἤδη πρός με οὕτω διετέθησαν, ὥστε ἀτεχνῶς δάκνειν ἕτοιμοι εἶναι, ἐπειδάν τινα λῆρον αὐτῶν ἀφαιρῶμαι, καὶ οὐκ οἴονται εὐνοίᾳ τοῦτο ποιεῖν, πόῤῥω ὄντες τοῦ εἰδέναι, ὅτι οὐδεὶς θεὸς δύσνους ἀνθρώποις, οὐδ' ἐγὼ δυσνοίᾳ τοιοῦτον οὐδὲν δρῶ· ἀλλά μοι ψεῦδός τε συγχωρῆσαι καὶ ἀληθὲς ἀφανίσαι οὐδαμῶς θέμις·* 1) hoc plane fuit Demostheneum et hinc illa viri cum *παῤῥησία*, tum in primis *δεινότης*. Num *δεινὸς* videbatur eratque audientibus non vultu, non voce, non verbis, non sententiis, non impetu, non studio permovendi et couteutione: haec aures oculosque tangunt; sed effectu orationis in audientium animis, sed aculeis, qnos in iis relinquebat, sed sensibus, quos intus in unoquoque commovebat, qui-

---

1) *Theaet.* 151. C. Hanc *εὐνοίαν* lubens nbivis in orationibus profitetur Demosthenes, in primis *de Corona* init. Propriam hanc Demosthenis in dicendo virtutem nuper in populari scriptione, qnum in Helvetia scriberem ad disciplinae meae alumnos (*Naschrift op de Brieven over hooger onderwijs*, Utr. 1829. p. 281) explicare studui.

busque incalescere se incendique sentiebant, qui adstabant, audientes. Itaque commovebat hac eloquentiâ civitatem Atheniensium totam, et, una cum hac, totam fere Graeciam. Nam quiescere nemo poterat, qui sic intus afficiebatur, sic oculis fere videbat pessime se egisse socordiâ, sic imo pectore et patriae amore et praeclarorum facinorum studio inflammabatur. Quo factum, ut solus Demosthenes sola eloquentiae facultate plus per complures annos efficere ad tuendam et servandam Graeciam, quam ad domandam Philippus astutia, dolis, praemiis, pecuniis, exercitibus, classibus diceretur. Quodsi jam sit, qui quaerat, unde haec divina sit in Demosthene dicendi vis et facultas repetenda, sibi eam debuit profecto oratorum princeps, ut sibi omnes debent excellentes viri excellentiam suam: et, nisi sic *ille* natus ad eloquentiam fuisset, ut fuit ad philosophiam Socrates, tantam habere in rempublicam vim, quantam *hic* habuit in philosophiae studia, non potuisset. Sed Socrati debuit orationis disciplinaeque exemplum, qua una efficacissime, quidquid intus in homine est, suscitatur, idemque ad hoc exemplum videtur naturalem eloquendi facultatem acuisse, excoluisse et vero uni adhibuisse reipublicae saluti.

Non imitatus dicendo est sive Socratem sive Platonem oratorum summus: id in tantum ingenium non cadebat; sed quod colloquendo cum juvenibus in ipsorum animis effecerat Socrates, ut apud Platonem reperiebat, id ille, his ipsis imbutus Socraticae disciplinae principiis, quum ad dicendum se dedisset, in universi populi animis efficiebat sponte. Erat hoc autem ejusmodi, ut puderet audientes ignorantiae atque socordiae suae, quaeque generosi pudoris vis est, excitarentur virtutis studio, ipsoque hoc studio ad praeclara suscipienda facinora adducerentur. Spectaverat disciplina Socratica honestatem, verecundiam, liberalitatem, omnino, quod appellare solebat, τὸ καλόν· quodsi legimus Demosthenem, vix ullam absolverimus orationem, quin nosmetipsos sentiamus pulcri honestique amore inflammatos: quod et sensisse veteres videntur, cum eas legerent, et caussam habuerunt vis illius et efficacitatis stupendae, quam ejus eloquentia in Athenienses, in ipsos adeo Thebanos habuit. Panaetius sic scriptas esse plerasque ejus orationes animadvertit, *ὡς μόνου τοῦ καλοῦ δι' αὑτὸ αἱρετοῦ ὄντος, ut qui decernat, honestum propter se ipsum esse expetendum:* 1) duxisse eum cives *οὐ πρὸς τὸ ἥδιστον ἢ ῥᾷστον ἢ λυσιτελέστατον, non ad id, quod aut jucundissimum, aut facillimum, aut utilissimum esset, ἀλλὰ πολλαχοῦ τὴν ἀσφάλειαν καὶ τὴν σωτηρίαν οἴεται δεῖν ἐν δευτέρᾳ τάξει τοῦ καλοῦ ποιεῖσθαι καὶ τοῦ πρέποντος, sed identidem securitatem atque salutem postponendam censet honesto et decoro.* 2) Quo quantum valuerit apud homines etiam timidos, ignavos,

1) Plut. *vita Dem.* c. 12.
2 *Eod.*

quique animos desponderent plane, quales Thebani erant post belli Phocensis clades, Theopompus enarrasse diserte videtur, cujus haec verba servavit Plutarchus: ἡ δὲ τοῦ ῥήτορος δύναμις ἐκριπίζουσα τὸν θυμὸν αὐτῶν καὶ διακαίουσα τὴν φιλοτιμίαν, ἐπεσκότησε τοῖς ἄλλοις ἅπασιν, ὥστ' εἰς φόβον καὶ λογισμὸν καὶ χάριν ἐκβαλεῖν αὐτούς, ἐνθουσιῶντας ὑπὸ τοῦ λόγου πρὸς τὸ καλόν· *at hujus vis oratoris, quae excitabat animos eorum et incendebat ad gloriam, obstruxit omnibus reliquis: ut quasi lymphati, oratione ejus rapti ad honestum, metum, rationem, gratiam abjicerent.* Scilicet id in primis e Socratica disciplina hominum animis adhibebat, ut non tantum non gratificaretur eorum sensibus studiisque, sed ne vitiis quidem eorum parceret: fateretur adeo palam: ὑμεῖς ἐμοί, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, συμβούλῳ μὲν, κἂν μὴ θέλητε, χρήσεσθε· συκοφάντῃ δ', οὐδὲ ἐὰν θέλητε· *vos me, Athenienses, consiliarium habebitis, etiamsi nolitis; calumniatorem vero, etiamsi vel maxime velitis, non habebitis.* Omnino, ut Socrates, ita ille, quod ait Plutarchus, in omni oratione apparet μετὰ παῤῥησίας μάλιστα τῷ δήμῳ διαλεγόμενος, καὶ πρὸς τὰς ἐπιθυμίας τῶν πολλῶν ἀντιτείνων, καὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν αὐτῶν ἐπιφυόμενος· *libere praesertim ad populum egisse, reluctans plebis libidini, peccataque ejus insectans.* 1) Sed nos haec accuratius exploranda lectorum studiis relinquimus, qui hinc sua sponte intellexerint Anaxagoreae et Socraticae philosophiae diversam plane in eloquentiam efficacitatem. Sublimior erat illa: haec popularior; illa excellentis ingenii hominibus conveniebat: haec placebat omnibus. Ex illa profecti sunt oratores, qui acumine ingenii judiciique subtilitate excellerent, sed eâ essent eloquentiâ, quae rerum gravitate magis, quam copia orationis et perspicuitate commendaretur: cujus rei testis est tota Thucydidis historia. E Socratis vero disciplina Xenophonteae fluxerunt orationes, quae exempla omni aevo habitae sunt perspicuitatis, suavitatis, elegantiae: fluxerunt historica scripta cum Xenophontis, tum eorum, qui hujus imitari dotes studuerunt, Ephori, Arriani, evidentiâ sane singulari Thucydidem superantia. Fluxerunt, quae omnium primum et maxime memoranda erant, Platonis scripta, quem omnium, qui unquam scripserunt, eloquentissimum judicavit Cicero. Sed Socraticae scholae eloquentia ut plane in lucem prodiret, oratore erat opus, qui, instar Periclis, vel praeesset civitati, vel totus certe esset in rebus civilibus versatus. Talis plane Demosthenes fuit, idemque sic toti excitandae commovendaeque Graeciae *Socraticam* adhibuit philosophiam, ut ante eum Atheniensium regundae civitati *Anaxagoream* adhibuerat Pericles.

---

1) Plut. *vita Dem.* c. 18. 14. Fusius tractavit hoc argumentum J. H. Scholten, *Disq. de Dem. eloq. charact.* Traj. 1835.

Eloquentiam nunc ipsam spectamus: de rhetorica alius nobis deinceps erit dicendi locus. Veruntamen ne hoc quidem loco haec prorsus omittenda videtur. Nam, nisi artis intercedat studium, exsistere e philosophia eloquentia non potest. Itaque quae ex Anaxagorae philosophia manavit eloquentia, ad artis formam diligentiamque ab Antiphonte redacta est, Thucydidis praeceptore, cui gratus discipulus debitas laudes retulit: *Ἀντιφῶν*, ait, *ἀνὴρ Ἀθηναίων τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀρετῇ τε οὐδενὸς ὕστερος, καὶ κράτιστος ἐνθυμηθῆναι γενόμενος, καὶ ἃ ἂν γνοίη εἰπεῖν.* 1) Exstitit similiter Platonis aetate, qui ex novo, quod sophistae pepererant, philosophandi genere novam dicendi rationem informaret, Isocrates, Gorgiae discipulus: 2) magnus item orator, omnium vero, qui artem eloquentiae tractarunt, longe princeps et celeberrimus. Hujus viri quam late patuerit vis in omne literarum genus, e Cicerone intelligitur. « Ecce tibi exortus est, ait, Isocrates, cujus e ludo, tanquam ex equo Trojano, meri principes exierunt; sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt. Itaque et illi, Theopompi, Ephori, Philisti, Naucratae multique alii naturis differunt: voluntate autem similes sunt, et inter sese, et magistri: et ii, qui se ad caussas contulerunt, ut Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, Dinarchus aliique complures, etsi inter se pares non fuerunt, tamen sunt omnes in eodem veritatis tutandae genere versati. » 3) Quod idem aliis verbis iterat: « Exstitit igitur jam senibus illis Isocrates, cujus domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi; magnus orator et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam; quam nemo, meo quidem judicio, est postea consecutus.» 4) Scilicet Isocrates non totus erat a sophistis ad philosophiam informatus, erat in ipsius ingenio philosophia quaedam. Quod Socratem, certe Platonem non fugit, unde hic illum in Phaedro sic de eo vaticinantem facit: *Νέος ἔτι, ὦ Φαῖδρε, Ἰσοκράτης· ὃ μέντοι μαντεύομαι κατ' αὐτοῦ, λέγειν ἐθέλω· — δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι τε ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι· ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν, προϊούσης τῆς ἡλικίας εἰ περι αὐτούς τε τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ, πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων· ἔτι τε, εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα, ἐπὶ μείζω δέ τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα· φύσει γὰρ, ὦ φίλε, ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς*

1) Thuc. VIII. 68. Cf. Ruhnk. *Opusc.* I. 149.

2) Vid. Cic. *Cat. Maj.* c. 5.

3) Cic. *de Orat.* II. 22. de Ruhnkenii conjectura, *Opusc.* I. 335. Vulgo legitur, *in eodem veritatis imitandae.* Cf. id. ad Rutil. II. 6. p. 92.

4) Cic. *Bruto* c. 8.

διανοίᾳ. 1) Quem locum praeclarum sic Latinis verbis expressit Cicero: *adolescens etiamnunc, o Phaedre, Isocrates est; sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Majore mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur. Praeterea ad virtutem major indoles: ut minime mirum futurum sit, si, cum aetate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum, quantum pueris, reliquis praestet omnibus, qui unquam orationes attigerunt; aut, si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu majora concupiscat. Inest enim naturâ philosophia in hujus viri mente quaedam.* 2) Profecit ab hoc excellentissimo dicendi magistro Demosthenes. Nam, quamvis Isaeum audivit, τὰς Ἰσοκράτους τέχνας, ut ait Plutarchus, 3) clanculum nactus est: et hinc in ejus orationibus apta illa partium distributio, sententiarum elegans forma, numeri oratorii, dotes caeterae, quibus ipsae commendantur superstites Isocratis orationes. Veruntamen animadvertisse haec nobis e rhetoricae historia sufficit ad judicandum dicendi genus, quo usus est Demosthenes, ad ipsum oratorem judicandum, ad declarandam δεινότητος illius caussam, qua movit civitates Graecas virtutisque amore inflammàvit, non sufficit. Si, ut Aeschines caeterique fere oratores omnes, e solis profecisset rhetorum scholis, his cunctis similis orator exstitisset, certe hanc, qua omnibus praestitit, vim et virtutem in ejus oratione non admiraremur. Id efficere nec Isocratis τέχναι, quamvis elaboratae, nec placita sophistarum, quamvis ingeniosa, potuerunt, una effecit potissimum Socratis philosophia, ut traditam expressamque in Platonis scriptis reperiebat, quae argutiis sophistarum et cavillationibus tota esset opposita, et vero sanae incorruptaeque eloquentiae exemplum praeberet. Dicam quod sentio: quae scripta a Platone est ad caussam Socratis defendendam *Socratis Apologia*, τύπος haec plane est eloquentiae Demosthenicae.

Videtur jam Plato ipse vim percepisse philosophiae Socraticae ad veram eloquentiam, quum producere eam in tribunal tentaret faceretque Socratem pro judicibus dicentem. Forma dicendi sermonem refert plane familiarem, quamquam perspicua est, et, licet ornamentis haud commendata oratoriis, apta, elegans, unaque in paucis ad animos hominum tenendos efficacissima. Nam ab ipso inde exordio amor veri, quo vel inviti capiuntur mortales, in oratore apparet. Isti, ait, nihil veri dixerunt, ὑμεῖς δ' ἐμοῦ ἀκούσεσθε πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. 4) Videmur nobis hominem audire candidum, probum, mirae simplicitatis; sed acerrimum eundem veri

1) *Phaedr.* 278 E. 279 A.
2) *Orat.* c. 13.
3) Plut. *vita Dem.* c. 5.
4) *Apol. S.* 17 B.

justique vindicem, justum propositique tenacem: benevolum in primis in cives suos, nec tamen adulantem illis, imo reprehendentem graviter, si quid socordiâ commiserunt, quod civitatis ipsorumque saluti noceret: per totam se vitam, ait, in mediis civibus viventem, ad honestatis eos studium excitasse, iisque, ut equis magnis et generosis, sed paullo inertioribus calcar adhibuisse: id enim se sibi mandatum a Deo fuisse arbitratum. Refert nobis tota oratio virum, quem propter veri justique amorem et erga cives benivolentiam amemus; admiremur autem simul et suspiciamus propter excelsos pectoris sensus animique constantiam, quam ut factis probaverat turbulentis reipublicae temporibus, ita nunc verbis profitetur. Sic enim, ait, se res habet, Athenienses, τῇ ἀληθείᾳ· οὗ ἄν τις ἑαυτὸν τάξῃ, ἡγησάμενος βέλτιον εἶναι, ἢ ὑπ᾽ ἄρχοντος ταχθῇ, ἐνταῦθα δεῖ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, μένοντα κινδυνεύειν, μηδὲν ὑπολογιζόμενον μήτε θάνατον μήτε ἄλλο μηδὲν πρὸ τοῦ αἰσχροῦ· *quo quisque loco vel semetipsum constituit, arbitratus id optimum esse, vel a superiore jubetur consistere, in eo, ut mihi videtur, permanere eum oportet periculumque subire, nec mortem, nec aliud quidquam magis, quam, quod turpe est, reformidantem.* 1) Quamobrem, ἐγὼ, inquit, ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ μᾶλλον τῷ θεῷ ἢ ὑμῖν, καὶ ἕωσπερ ἂν ἐμπνέω καὶ οἷός τε ὦ, οὐ μὴ παύσομαι φιλοσοφῶν καὶ ὑμῖν παρακελευόμενός τε καὶ ἐνδεικνύμενος, ὅτῳ ἂν ἀεὶ ἐντυγχάνω ὑμῶν, λέγων οἷάπερ εἴωθα· *ego vos quidem, Athenienses, diligo et amplector, Deo vero magis, quam vobis, parebo: et quamdiu spirabo viresque suppetent, philosophari non desinam; adhortans vos et praecipiens, in quemcunque incidero vestrum, quae dicere consuevi.* 2) Quid plura? Ita Socratem, ut ille ait, pro se ipsum dicentem audimus, ut non supplex aut reus, sed magister aut dominus videatur judicum. Quid alii sentiant, ignoro; sed ego, quotiescunque et hanc lego Socratis apud Platonem orationem, et lectâ illâ, Demosthenis reputo dicendi genus, quod pariter subinde dialogum refert et sermonis familiaris imitationem habet, 3) et

1) *Apol. S.* 28 D.

2) *Eod.* 29 D.

3) Exempla hujus rei in proximis afferemus. Quodsi Aeschines aliique id similiter factitarunt, in Demosthene unice patet Socratica in his et Platonics ratio. Platoni item Cicero debuit, quod in Catilinariis tantam fere in legentium animos vim habet ac plane est Platonicum. *Nunc te patria — odit ac metuit — quae tecum, Catilina, sic agit et quodammodo tacita loquitur: «nullum aliquot jam annis facinus exstitit, nisi per te. — Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli; nunc vero me totam esse in metu propter te unum — non est ferendum. Quamobrem discede atque hunc mihi timorem eripe.» — Haec si tecum, ut dixi, patria loquatur.* I. 7. — Simile enim in Platonis Critone legum

vero spirat ubivis pariter honestatem et virtutem: toties Platonicae et Demostheneae si minus artis, certe eloquentiae admiror similitudinem. In Socrate apud Platonem, cives suos monente, avertente a vitiis, excitante et convertente ad virtutis studium, imaginem mihi conspicere videor, quam dicendo expressit Demosthenes: spirare adeo dicam in Demosthenis orationibus Socraticae Platonicaeque philosophiae genium.

Verum redimus ad singularem illam et miram profecto, quam memoravimus, Socratis rationem, qui idem maxime et eloquentiae se opposuit studiis et studia eloquentiae excitavit, pariterque et invectus est in oratores, et oratores summos, ipsum Demosthenem, disciplinâ suâ excoluit. Scilicet perversam exagitabat saeculi sui cum sophistarum, tum oratorum eloquentiam, qui nullam habentes veritatis, nullam justitiae rationem, quod maxime esset falsum injustumque, id oratione multitudini proponere ut verissimum justissimumque contenderent. Quorum propositis opinionibusque confutandis proprios sibi insitosque veri justique sensus explicuit: quo sponte ejus oratio copiosa fiebat et persuasionis plena. Pectus enim est, quod disertos facit. Itaque sic loquitur in Platonis Gorgia, ut, quod Cicero animadvertit, in oratoribus irridendis ipse esse orator summus videatur. 1) Sed ut in eosdem sophistas et oratores *ἐλεγκτικὴν* suam adhibebat, qua oculis omnium subjiciebat vanitatem horum hominum et impudentiam, ita artem docuit oratores germanos, qua populo repraesentarent intimos quosque demagogorum et tyrannorum sensus, unde mirabiliter sane profecit Demosthenes: cumque eo in primis haec ars valeret, ut veritatis virtutisque amorem in hominum animis excitaret, ex hac profecto una omnium maxime fructum capere eloquentia debuit. Hoc sibi munus dicit in Apologia Socrates, ut modo audivimus, a Diis esse datum, ut in Atheniensium civitate populum quasi stimulis et calcaribus ad optimarum rerum studia excitaret: quibus verbis expressit et quasi vaticinatus est philosophus, quid summus ex ejus schola orator in eadem aliquando civitate esset facturus. Sensit sane aliquando Macedo, quis esset quamque efficax ad excitandos adversus tyrannos cives Demostheneae orationis stimulus et calcar.

Num temporibus istis convenerit eloquentia Demosthenis: quid item de hujus et Phocionis politicis consiliis existimandum sit, hîc non quaerimûs. De eloquentia viri et *δεινότητι* agendum erat. Miretur autem aliquis, non ita haec perspexisse Dionysium Halicarnassensem, 2) neque ipsum

---

et *τοῦ κοινοῦ τῆς πόλεως* cum Socrate colloquium exstat 50. A. Quod autem *candorem* illum Socraticum attinet, operae pretium est cum *Critone* et *Apologia* comparare Demostheneae orationis *de corona* prooemium.

1) *De Orat.* I. 11.

2) *Περὶ Δημ. δεινότ.* Cf. *Ep. ad Pomp.*

quidem Ciceronem sic, ut fecimus, a caeteris oratoribus distinxisse Demosthenem. Sed aliter fere rhetores de scriptis judicant, aliter oratores et philosophi: illi orationis formam attendunt, hi vim interiorem exquirunt diligentius. Itaque in Demosthene Socratem et Platonem agnoscere, Dionysio erat difficillimum; facilius Ciceroni, quippe qui et orator et philosophus erat. Et vero in illo ad Brutum de perfecti oratoris forma libello idem haud obscure significavit. «Nec latius, ait, nec copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere. Siquidem etiam in Phaedro Platonis hoc Periclem praestitisse caeteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae physici fuerit auditor: *quod idem de Demosthene existimari potest : cujus ex epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor.*» 1) Caeterum, quantum ipse Platoni debuerit, cum ubivis fatetur, tum eodem hoc libello. «Ego autem, ait, et me saepe nova videri dicere intelligo, cum pervetera dicam, sed inaudita plerisque: *et fateor, me oratorem, si modo sim, aut etiam quicunque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse.* Illa enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum, *in quibus Platonis primum sunt impressa vestigia. — Omnis enim ubertas et quasi sylva dicendi ducta ab illis est.*» 2) Veruntamen rhetorum Graecorum lectio, quibus a teneris imbutus fuerat Cicero, alio videtur ejus mentem abduxisse.

De eo, quod in eloquentia est summum.

Eo pertinuit tota haec disputatio nostra, ut, quam maxime cum Socrates, tum praesertim Plato probaverit eloquentiam, perspiceremus. Quod sane, nisi Socraticâ perspectâ disciplinâ, intelligi non potest: patere autem eo manifestius videtur, quo ipsam apud Graecos eloquentiae historiam exploraverimus diligentius. Sed licet nobis ex eadem disputatione alia item efficere. Efficimus, quid Cicero spectaverit, quum esse contenderet oratorem perfectum, sine studio philosophiae, non posse: 3) efficimus, quid caussae esse praecipue videatur, ut, prouti Demosthenes apud Graecos, ita apud Romanos idem hicce Cicero eloquentiae principatum obtinuerit. Est scilicet omnino arcta quaedam, ut ille vidit, philosophiae et eloquentiae necessitudo: ipse autem a tenera aetate praestantissimos Athenis philosophos audiverat, et vero, unde fructum percepit ad bene dicendum uberiorem etiam, nocturnâ diurnâque manu scripta versaverat Platonis, quibus sic captus est, ut Socraticum se et Platonicum fateretur, sic, iisdem legendis, Socratica et Platonica philosophia imbutus est, ut, si

1) *Orat.* c. 4.
2) *Eod.* c. 3.
3) *Eod.* c. 3 et 4.

quis Romanorum alius, ipse nobis dicendus Romanorum Plato videatur. Hunc in modum institutus, his quasi alimentis pastus et corroboratus, quum inesset ei naturâ facultas dicendi admirabilis quaedam, superare facile caeteros oratores, quantumvis disertos, potuit, quibus talis defuisset institutio. Sed, quo id plenius intelligamus, quo perspiciamus interius, quae de Platonis sententia vera eloquentia, quid omnino in ipsa eloquentia summum sit, vis nobis philosophiae ad bene dicendum ex ipsis philosophiae principiis declaranda est: erit autem ipse nobis Plato, in hac praesertim disquisitione, dux et magister optimus.

Nam ut Apologia ille scribenda, scribendo item Menexeno, exemplum dedit sanae incorruptaeque eloquentiae, ita in Phaedro praesertimque in Gorgia ex intima philosophia eloquentiae principia duxit. In Gorgia autem datâ operâ demonstravit, nisi insit oratori philosophia, propositumque is in dicendo habeat magnum, praeclarum tantâque arte dignum, levem inanemque esse, quin etiam abjectam et civitati perniciosam eloquentiam omnem. Itaque ut haberet, quorum sententiae suam ipse sententiam opponeret, principes quosdam sophistas cum Socrate colloquentes induxit, Gorgiam, Polum, Calliclem, qui nec veri nec justi ullam habentes rationem, vulgi solum auram captare dicendo studerent. Et primum quidem Gorgiam de artis natura disserentem fecit. Nam postquam more suo Socrates, quid esset eloquentia, quidque is profiteretur, qui se eloquentem diceret, quaesiverat, sic Gorgias ad has quaestiones respondet, ut esse dicat artem dicendi πειθοῦς δημιουργόν, *persuasionis effectricem*, 1) oratores autem appellet, *qui verbis possint cum in judicio judicibus, tum in senatu senatoribus, tum in comitiis et in quibuslibet concionibus civium auditoribus persuadere.* 2) Hic Socrates, quo magis de hac viri opinione artisque natura et proposito summô constaret « visne, inquit, duo ponamus persuasionis genera, alterum sine scientia fidem praestans, alterum vero scientiam? — Sit ita. — Utram vero persuasionem eloquentia affert in judiciis aliisque coetibus de justis injustisque rebus? ex qua homines sine scientia credant, an ex qua sciant? — Patet: ex qua audientes ad fidem adducantur. — Ergo, ut videtur, persuasionis artifex eloquentia est, quae *credulitatem* potius quam *scientiam* de justo et injusto praestat.» 3) Haec et alia similia ut concesserat Gorgias, Socrates deinde « quodsi, inquit, nihil habet cum scientia eloquentia commune, ars non est, sed sit oportet ἐμπειρία τις, *peritia quaedam;* uti v. c. coquinaria res non ars est, sed peritia ejus quod gratiam voluptatemque habet. Sic eloquentia, quam vos vocatis, gratiam quidem voluptatemque

1) *Gorg.* 453 A.
2) *Eod.* 452 E.
3) *Eod.* 454 E. 455 A.

hominibus parit, ars vero appellari non potest. Non dico, idem esse rem coquinariam et eloquentiam; sed ejusdem studii particulas esse aio. Quodsi quaeritis, cujusnam sint studii particulae, pudet referre, ne Gorgiae ego artem comicorum videar ratione ridere. *Δοκεῖ τοίνυν μοι, ὦ Γοργία, εἶναί τι ἐπιτήδευμα τεχνικὸν μὲν οὔ, ψυχῆς δὲ στοχαστικῆς καὶ ἀνδρείας καὶ φύσει δεινῆς προσομιλεῖν τοῖς ἀνθρώποις· καλῶ δὲ αὐτοῦ ἐγὼ τὸ κεφάλαιον, κολακείαν· videtur mihi esse studium quoddam, non quidem arte contentum, sed ingenii sagacis, aptique naturâ et potentis ad hominum sibi consuetudinem conciliandam: summam autem ejus et caput appello adulationem.*» 1) Hinc efficit, tantum abesse, ut, quae summis in coelum laudibus efferri solet dicendi ars, digna his laudibus sit, ut ne ars quidem dici debeat et vero ad gravissimum pertineat hominis detrimentum. Nam quidni pertineat, ait, cum studii pars sit omnium vilissimi abjectissimique, *adulationis?* Fingit, his ita explicitis, Socrates sive *μῦθον* sive apologum de adulatoria arte, quo totam in luce ponit sophistarum calliditatem ac perversitatem. « Sunt quatuor sive artes sive res, inquit, rebus humanis perutiles et necessariae, quarum duae corpori, duae animo prospiciunt: illae sunt *gymnastica* et *medicina*, hae, illis *ἀντίστροφοι*, *legislatoria* et *justitia*: unum est harum omnium commune consilium, ut hominem efficiant omni parte perfectum absolutumque. Quod sentiens Adulatoria, haud sciens quidem, nam nihil habet cum scientia commune, sed conjectans, in quatuor semet partes divisit, induitque has res artesque singulas, ut esse singulatim videretur, quarum omnium speciem assumserat. Ita accidit, quod nunc fieri videmus, ut ab hominibus usurparetur pro gymnastica *fucatrix*, pro medicina *coquinaria* peritia, in primis vero et ad summum hominis detrimentum pro legislatoria coleretur *σοφιστική*, pro justitia *ῥητορική*.» 2)

Hac Plato festivissima disputatione vulgarem sui aevi perversamque eloquentiam perstrinxit: nec vero pepercit in eodem dialogo superioris etiam saeculi oratoribus, Miltiadi, Themistocli, Cimoni, ne ipsi quidem Pericli, quem in Phaedro laudaverat. Quod ut aliquis miratur fortasse, mirata certe rem antiquitas est, ita quaeramus necesse est, quae tandem illa eloquentia sit, quam, de ipsius sententia, oratorum adhuc attigisset nemo. Vulgo duci oratorum vituperatio illa, quam datâ operâ orationibus refutavit Aristides rhetor, ex odio Platonis in politicos viros solet; ego vero rem paullo altius et ex ipsis Platonicae philosophiae principiis repetam. Haud aliis equidem caussis tribuo, quod praestantissimos hos oratores vituperavit philosophus, quam iisdem illis, quibus

1) *Gorg.* 462 B. 463 A.
2) *Eod.* 464 B.

adductus, in civitatem non admisit Homerum. Quod quo diligentius exploraverimus, ita de perfecto oratore Platonis existimabimus verius.

Audivimus *Gorgiam*, qui, quam inane, quam homini perniciosum esset, quo ducebatur, eloquentiae studium, a Socrate coactus est confiteri; nunc *Calliclem* audiamus, qui suâ sponte in philosophiam invehitur, ut rem utilem pueris, sed viris qui res acturi in civitate gravissimas sunt, cum inutilem prorsus tum indecoram. «Venusta res philosophia est, o Socrates, ait, si quis eam modice in ipsa adolescentia tractat; quodsi diutius in ea, quam necesse est, versatur, hominum est pernicies. 1) Nam quamvis sit aliquis bono ingenio praeditus, tamen, si per provectiorem etiam aetatem philosophatur, necessario omnium rerum imperitus fiet, quarum peritum esse oportet virum, qui moribus honestus et clarus in civitate erit. Nam et legum illi ignari sunt reipublicae, et sermonum, quibus uti in consuetudine hominum publice privatimque decet, et vero cupiditatum voluptatumque, quibus trahuntur homines, verbo, morum qui in aliis hominibus alii sunt, et ingeniorum: horum omnium prorsus sunt ignari. Quocirca quoties ad aliquam rem gerendam sive publicam sive privatam procedunt, ridiculi sunt, uti et politici sunt, credo, quum in vestras disputationes exercitationesque descendunt. — Sed optimum esse puto, utriusque esse participem: philosophiae quidem, disciplinae caussâ, nec sane adolescentem philosophari dedecet: quodsi quis aetate jam provectior philosophatur, ridiculum id prorsus negotium est. Ego te, o Socrates, benivolentiâ et amicitiâ prosequor: ne igitur aegre feras velim, si libere sententiam dixero. Nonne turpe tibi esse existimas, ita comparatum esse, quemadmodum et caeteros se habere arbitror, qui diutius, quam par est, philosophiam persequuntur? Nam si acciderit, ut vel te vel alium tui similem in carcerem quis duceret, dicens, te injusta peregisse, quamvis non peregisses, tu sane, quid ageres, quo te converteres, non haberes; sed, acsi vertigine laborares subito et oscitares, haud invenires quod diceres: tum in tribunal escendens, actorem nactus hominem vilem abjectumque, capitali, si ipsi videretur, supplicio plectereris. Atqui id, o Socrates, quomodo dici prudens sapiensque possit, si qua ars ingenuae mentis nacta virum, reddit deteriorem, ut nec sibi ipsi ferre opem possit neque e gravissimis periculis se aut alium expedire, ab inimicis vero opibus spolietur, prorsusque infamis in civitate vivat? Tali viro, nisi dictu sit agrestius, vel colaphum infligere impune licet. Sed mihi crede, o bone: cessa argutari et decora rerum studia capesse, quibus sapere videaris.» 2)

1) Convenit Neoptolemi apud Ennium dictum: *philosophandum est paucis: nam omnino haud placet.* Gell. V. 15.

2) *Gorg.* 484 C. 486 D.

Haec Callicles ingeniose sane, sed acerbe: cui mira quadam ironiae vi respondet Socrates. « Si aureum essem animum nactus, o Callicles, inquit, nonne putas lubenter me reperturum aliquem ex his lapidibus, quibus explorari aurum solet, optimum, ad quem animum exigens meum, si ab ipso recte cultus iustitutusque probaretur, scirem, mihi sufficere, nec alia opus esse probatione? — Quorsum haec, o Socrates? — Dicam tibi equidem: nempe arbitror, cum te nactus fuerim, me jam desideratnm istud negotium invenisse. — Quam ob caussam? — Scio scilicet, siquidem tu mihi assenseris de iis, quae animus meus opinatur, haec jam unice esse vera. Nam sic judico, eum, qui recte alicujus animum exploraturus est, utrum bene vivat an male, tria tenere oportere, quae in te omnia sunt, *scientiam*, *benevolentium*, *dicendi libertatem*. In multos enim ego incidi, qui explorare me non possent, quod non essent, prouti tu, sapientes; alii sapientes quidem sunt, sed nolunt mihi veritatem dicere, quod non ita, ut tu, curam mei gerunt. Hospites autem hi, Gorgias et Polus, sapientes quidem sunt mihique benevoli, sed deest iis dicendi libertas, suntque verecundiores, quam decet: nam quidni sint, quippe qui eo processerunt verecundiae, ut, per pudorem, audeat uterque eorum sibimet ipse multis coram hominibus, idque de rebus maximis, contraria dicere. Tu vero haec omnia tenes, quibus destituti sunt caeteri: esque rite excultus, ut multi facile dicant Atheniensium, mihique benevolus. Quod qua sim conjectura assecutus, dicam. Vos esse, Callicles, novi quatuor sapientiae socios, te, Tisandrum Aphidnaeum, Andronem Androtionis, Nausicydem Cholargeum. Clam autem vobis interfui, quum quatenus sapientiae studendum esset, inter vos consuleretis, novique, hujusmodi apud vos vicisse opinionem, non contendendum esse in philosophando ad *ἀκρίβειαν*, *diligentiam:* adhortabamini vos invicem adeo, ut caveretis diligenter, ne ultra, quam deceret, sapientes facti, imprudentes corrumperemini. Ut igitur te audivi haec mihi suadentem, quod amicissimis tibi hominibus suasisti, indicium id mihi idoneum fuit, verissime te mihi benevolum esse. Caeterum libere te loqui nec verecundari, et ipse dicis et sermo tibi tuus, quem modo habuisti, assentitur. Sic igitur in hisce se res nunc habet: si quid tu mihi in sermonibus assensus fueris, exploratum hoc jam satis a te ac me esse, neque illud ad aliud esse examen exigendum: non enim assensus tu id esses neque sapientiae indigentiâ, neque verecundiae abundantiâ, neque vero decipiendi caussâ: amicus enim mihi es, ut ipse ais. Revera igitur meus tuusque consensus veritatis habebit summum. Est autem pulcerrima rerum consideratio, Callicles, de quibus me reprehendisti modo, qualem esse virum oporteat, quid studere et quatenus, cum seniorem, tum juniorem. Ego enim si quid in vita mea minus recte ago, scito non sponte me lubenterque errare, sed prae inscitia scilicet mea. Tu igitur, ut

monere me coepisti, ita ne desinas velim, sed plane mihi demonstra, quid illud sit, in quod mihi incumbendum videatur et qua illud via consequar. Quodsi me nunc quidem tibi assentientem habueris, postea vero haec deprehenderis negligentem, de quibus consensimus, stupidum me plane esse existima, nec unquam me dein, quippe perditum hominem, mone iterum. Sed ab initio rem repetamus.» 1)

Haec Socrates ironice; sed idem deinceps serio et pro argumenti gravitate sententiam aperiens suam, sic veritatis justitiaeque, imo philosophiae, caussam agit, ut, quam vanae sint istorum hominum cavillationes, quam contra gravis, quantae in civitate auctoritatis illa eloquentia sit, quae cum philosophiae sit studio conjuncta, cuivis persuadeat facile. Nam postquam sic Socrates hujus viri sapientiam, admirabilem scilicet illam, summis laudibus extulerat, ad hanc eum necessitatem interrogando cogit, ut decere fateatur oratores, meliores dicendo efficere cives. «Ars nobis, ait, 2) haud visa est res coquinaria: est enim *ἐμπείρια* quaedam, *ἄτεχνος τριβή*· sed hoc demum artis nomine *medicina* dicenda est, quippe quae cujus curam habet, ejusdem et naturam explorat et caussas agendi exquirit, et horum omnium rationes sibi reddere potest: altera vero illa horum nihil inquirit, quippe unice voluptati inserviens. Sed vide, num sint quaedam alia similia studia, quae vero non corpus, sed animum spectant, partim cum arte conjuncta, ut animi salutem provehant, partim hanc negligentia prorsus, animi solummodo oblectationem respicientia? Mihi quidem, adjicit, esse quaedam, Callicles, videntur: statuo autem totum hoc negotium *κολακείαν*, *adulationem* esse, sive animum, sive corpus, sive aliud quodcunque spectat, cujus voluptas respicitur, salus vero negligitur plane.» Hinc de artibus quibusdam quaerit. «Primum, ait, tibicinariam consideremus. Nonne haec tibi talis esse videtur, Callicles? voluptatem persequi solum, aliud curare nihil? — Videtur. — Quid vero citharistica? quid chori? quid dithyrambica poësis? numquid tibi ea proferre videntur, unde qui audiunt meliores sint futuri? — Non videntur. — Quid vero praeclara illa atque admirabilis tragoediae poësis, quo spectat? eone contendit, ut spectatoribus gratificetur tantum? an vero, si quid illis gratum sit ac placeat, sed noceat, hoc ne dicat, cavet: si quid vero illis ingratum accidat, sed utile sit, sive eo delectentur sive displiceat illis, id tibi palam dicere et canere videtur? — Istud manifestum, o Socrates, ad voluptatem spectatoribus conciliandam inservire tragoediam. — Atqui omne illud modo, Callicles, *adulationem* esse pronunciavimus. — Omnino. — Age vero, si quis ex tota poësi cum cantum, tum metrum, tum etiam rhythmum

---

1) *Gorg.* 486 D. — 488. B.
2) *Eod.* 500. E.

sustulerit, quid erit illud, quod restabit? nonne sermones? — Nihil aliud. — Hi autem sermones nonne ad turbam populumque habentur? Nonne poësis sit iccirco oratoria quaedam popularis? nonne forensis sit adeo eloquentia? An vero tibi aliud quid agere in spectaculis videntur poëtae, quam ῥητορεύειν? — Non aliud. — Nunc igitur invenimus nos eloquentiam, quae talem spectat populum, qualis pueris foeminisque pariter ac viris, et servis pariter ac liberis hominibus constat: quam non magnopere admiramur: *κολακικὴν γὰρ αὐτὴν φαμὲν εἶναι· adulatoriam enim esse pronunciavimus.* Quid vero illa eloquentia, quae ad populum Atheniensium caeterosque in aliis civitatibus populos, ingenuis civibus constantes, usurpatur, quid nobis haec est? Numquid tibi videntur oratores optimo dicere proposito, illuc intendentes aciem, ut quam optimi fiant per ipsorum sermones cives? An vero hi item gratificari civibus nituntur, et salutis suae studiosi, publicae negligentes, ut pueris utuntur populis, atque indulgere illis duntaxat et placere conantur; utrum vero meliores ita an deteriores fiant, nihil curant? — Hîc Callicles, aegre haec concessurus, non simplex est, inquit, quod nunc rogas: sunt enim, qui, quidquid dicunt, ad salutem civium dicunt: sunt vero etiam, quales tu narrasti. — Tum Socrates: at sufficit, ait; nam si et hoc genus duplex est, alterius totum negotium *adulatio* erit turpisque concionatio: alterius vero res pulcerrima, studere videlicet, ut quam optimi futuri sint civium animi, certatimqne optima dicere, sive grata accidant audientibus sive ingrata.»

Sic Socrates, rejectis vilioribus quibusvis dicendi propositis, id, quod in eloquentia summum est, et distinguit ab his diligenter et unice laudat: quo sponte jam ipsi intelligimus, cur de pristinis Atheniensium oratoribus, de ipso adeo Pericle, minus praeclare existimasse videatur Plato. «Hujusmodi, ait, orator nec hodie est, nec unquam fuit; quodsi quaeris, qualis sit, age, bonus vir, quique optimo consilio dicit, nonne procul abest, ut temere loquatur, sed aliquid respicit? Prouti caeteri artifices omnes, ad suum quisque opus respicientes, non temere eligunt, quod operi suo adhibituri sunt, sed ut speciem formamque habeat quandam id, quod elaborant, enituntur: veluti, si pictores vis attendere, architectos, navium constructores, caeteros artifices omnes, quivis eorum in ordinem disponit singula, quae disponit, cogitque alia aliis quadrare et congruere, donec totum negotium apte ordinatum exornatumque constiterit. Id omnes artifices, et, quos modo diximus, puerorum educatores et medici agunt perpetuo, corpus fingunt ac componunt: sic autem et domus et navis et corpus hominis ut formam habitumque idoneum accepit, bene se habebit. Quid vero animus hominis? Corpus, quod bene se habet, *sanum* vocatur et *robustum.* Nonne ita animus, ordinem ornatumque consecutus, *νόμον, legis* normam obtinebit, unde *νόμιμοι*

dicuntur et κόσμιοι: id autem est *justitia* et *temperantia*. Huc igitur respiciens orator ille, arte insignis et bonus, animis adbibebit sermones, quoscunque dicit, et facta sua omnia: idemque sive concedat aliquid sive neget, illuc semper intentam mentem habebit, ut civium animis justitia insit, absit injustitia, temperantia insit, absit intemperantia, caeteraeque virtutes insint omnes, discesserint vitia.» 1)

Hujusmodi est, quem Plato quaerebat, orator verus, qui non gratificaretur civium lubidinibus, sed ipsos efficeret dicendo meliores: non dicendi quadam dote se commendaret, sed totus esset per germanam philosophiam ad virtutem et sapientiam conformatus. Ad cujus speciem cum principes, quos Athenae tulerant, oratores exigeret, tales non reperiebat. Pericles, ait, mores civium non tantum non emendavit, sed corrupit: caetori, Miltiades, Themistocles, Cimon, si non corruperunt, tamen non emendarunt Athenienses: nam si cives suos reapse, quod boni politici et oratoris officium est et munus, meliores fecissent dicendo, haud sane ab iis vel poenis affecti vel e civitate ejecti fuissent: 2) quamobrem ministri civium, civitatis διάκονοι fuerunt seduli et diligentes, sed πολιτικοί, quales esse oportet qui civitatem dicendo agendoque bonam justamque efficiant, non fuerunt.

Quid ad perfectum informandum oratorem conferre debeant, auctore Platone, disciplinae graviores, praesertim dialectica, infra docebimus; sed hoc loco, ubi de veri amore agimus, qui cum justitiae veraeque virtutis studio conjunctissimus est, interiora perspicere Platonis consilia conemur, quum eloquentiam informaret cogitando, quae et regeret rempublicam totam et ad veram praestantiam felicitatemque esset provectura. Haud recepit in eam, ut supra vidimus, celeberrimos poëtas, ne ipsum quidem poëtarum principem, Homerum: nam frustra in eorum carminibus vitae quaesiverat rationem, quam secutae civitates ad virtutem bonestatemque proficerent. 3) Similiter in optimis, qui adbuc fuerant, oratoribus sapientiam desideraverat, quae ad optimam civitatis administrationem postularetur. Scilicet, ut poësin, ita *eloquentiam* Plato *novam* inducere studuit, quae, si inter mortales appareret aliquando, summorum illis bonorum fons esset futurus uberrimus. Illam spectabat, ut modo diximus, quae non adularetur civibus, sed eos emendare niteretur, non gratiam apud eos inire et gloriam reportare studeret, sed suâ esset virtute contenta, quaeque tantum abesset, ut, quod Callicles spectare sive solum sive maxime videbatur, ipsius prospicere oratoris cum famae tum saluti studeret, ut hic, vel a civibus ad mortem condemnatus, nec mor-

1) *Gorg.* 501. A. — 504. E.
2) *Eod.* 503. C. 515. D.
3) *Initia* p. 81.

tem timeret, et, in ipso vitae periculo, ad emendandos illorum animos pro veritate et justitia dicere sustineret. Hac nobis Socratem utentem proposuit Plato, ut vidimus supra, 1) quum pro judicibus diceret: eandemque eundem in Gorgia hoc dialogo sic describentem fecit, ut, quid ipse sentiret, ipsius verbis exprimeret. «Amens sim re vera, o Callicles, ait Socrates, nisi putarem, in hac unumquemque civitate id subire, quod ipsi forte eveniat: illud autem certo scio, si quando in judicium venero, de rebus periclitaturus, qnas tu dixisti, improbum esse futurum, qui me accusaverit. Nam insontem hominem quis tandem accuset probus? Nec vero esset mirum, si condemnarer morte. Vin' tibi dicam, quam ob caussam haec ita exspectem? Arbitror, cum paucis me Atheniensibus, ne dicam solum, vere incumbere in res politicas easque unum eorum, qui nunc sunt, tractare. Quamobrem, cum non ad gratiam apud cives ineundam dicam, quoties dico, sed spectem quod optimum, non quod dulcissimum est, nec velim praeclara illa, quae modo enarrasti, facere, hand sane habebo equidem, quod in judicio dicam. Idem de me usurpandum, quod Polo dixi: jndicabor scilicet, ut a puerulis judicaretur, accusante *coquo*, *medicus*. Vide enim, quid hujusmodi homo, tales nactus judices, diceret, si coquus eum in hunc modum accusaret: *multis vos, o pueri, vir hicce gravissimisque malis affecit: cum vosmetipsos, tum natu minimos e vobis corrumpit, quippe secando, urendo, attenuando, suffocando efficit, ut quo quis se vertat, quid respondeat, nesciat: tum vero amaros praebet potus: esurire vos et sitire cogit: non, prouti ego multa vobis suavia et varia praebens, pasco vos et oblecto.* Quid putas medicum, his circumventum periculis, dictnrum esse? Dicetne, quod verum est: *haec ego omnia vobis, pueri, ut salutifera, adhibui?* At vero quantum putas judices istos reclamaturos esse, nonne vehementer? — Vehementer sane. — Nonne igitur eum putas, in summa trepidatione consiliique inopia, quo se modo defendat, non reperturum esse? — Omnino. — Idem vero mihi, scio, si in judicium traherer, eveniret. Nam voluptates, quas judicibus praebuissem, quasque illi beneficia utilitatesque vocant, commemorare non possem: ego adeo nec qui praebent illas laudo, nec quibus praebentur. Quodsi quis vel juniores me diceret corrumpere, ad angustias eos colloquendo adigentem, vel seniores reprehendere, acerbius in eos sive privatim sive publice dicentem, ne hîc quidem mihi, quod verum est, dicere licebit: *ego haec omnia juste, judices, et dico et ago, vestrum, in his commodum, non aliud respiciens.* Quamobrem haud sine caussa, quidquid fors tulerit, id patiar. Hîc Callicles, videturne vero tibi, o Socrates, bene se habere in civitate homo, qui sibimet ipse esse praesto nequit? Cui Socrates, modo hoc habeat, o

1) *Initia.* p. 160, 161.

Callicles, reponit, quod tu saepius mihi es assensus, ut in eo sibi praesto fuerit semper, quo neque in homines neque in deos sive dictis sive factis injustus fuerit. Sic sibi praesto esse, saepe mihi assensus es praesidium esse optimum. 1) Si quis igitur convincat me, non posse me hoc praesidio vel mihi vel aliis praesto esse, puderet me mei, sive inter multos, sive inter paucos, sive etiam solus a me ipso hujus rei convincerer. Hujus si praesidii jacturâ mortem subire cogerer, rem ferrem aegre; sin vero κολακικῆς ῥητορικῆς, *adulatoriae istius eloquentiae* imperitiâ morerer, certo scio equidem, facile me mortem subiturum. Mori enim veretur nemo, qui quidem non plane est rationis expers vecorsque, sed injuste is agere veretur: nam animo peccatorum referto in orcum migrare, omnium est malorum summum.» 2)

Constat hinc, opinor, satis, quae sint eloquentiae, auctore Platone, principia verissima; sed perspicitur simul, qualem is spectaverit, quae eloquentiae vim et impetum daret, *philosophiam.* Illa est, quae veri justique amore continetur, nec tantum ad vitae cultum sive ad vitam bene beateque agendam, sed ad mortem adeo, immortalitatis spe, contemnendam pertinet. Hanc spirat philosophiam cum totus hic dialogus Platonis, cujus vim et propositum declarare studuimus, 3) tum μῦθος in primis, quem is dialogo adjecit. Nam Socrates, his dictis «audi jam, inquit, o Callicles, quod ajunt, pulcerrimum sermonem: quem tu quidem esse fabulam existimaveris, ego autem verum sermonem habeo: nam sunt verissima, quae tibi sum enarraturus.» Narrat igitur de alio quodam judicio, longeque ab illo diverso, quod unum memoraverat Callicles, in quo res judicantur non viventium, sed mortuorum, nec talis obtinet eloquentia adulatoria, qualem praedicant vulgo in Atheniensium judiciis, sed ipsa auditur veritatis justitiaeque vox. «Fuit, ait Socrates, cum in illo item judicio male judicaretur. Nam haec quidem antiquitus sub Saturno de hominibus lex fuit, vigetque ea etiamnunc apud deos, ut quisquis hominum juste sancteque vixisset, postquam esset mortuus, in beatorum insulas migrans summa illic felicitate, malorum expers, viveret: qui vero injuste impieque, in vindictae suppliciique carcerem, quem tartarum vocant, abiret; sed hujus judices judicii sub Saturno nuperque etiam sub Jove cum *viventes* erant, tum *viventes* judicabant, eo judicantes die, quo hi morituri erant: quamobrem illi injuste judicabant. Quod cum Pluto, quique insulis beatorum praesunt, animadvertissent,

1) Horat. *Epist.* I. 1. 60.
Hic murus aheneus esto,
nil conscire sibi.

2) *Gorg.* 521 D. — 522. E.

3) Vid. de hoc dialogo, quae nuper prodiit, elegans disputatio *Sybrandi.* Harlem. 1829.

adierunt Jovem conquestique sunt, homines ad se in utrumque locum ventitare, hac conditione indignos. Ad quos sic Jupiter: ego vero, inquit, finem his imponam. Nunc enim male judicia administrantur: nam vestiti, non nudi, judicantur homines, quippe qui vivi judicantur. Multi iccirco, inquit, pravos habentes animos, corporibus sunt pulcris, itemque genere et divitiis induti, et, quum instituitur judicium, crebri ipsis testes adsunt, testimonio probaturi, juste illos vixisse. Judices igitur percelluntur hisce: tum vero ipsi judicant vestiti, oculos quippe auresque et totum corpus tanquam animi tegumenta habentes: haec igitur illis omnia judicandi impedimenta sunt, cum ipsorum, tum eorum, quos judicant, tegumenta. Primum igitur, inquit, huic rei finis imponendus, ut ne mortales mortem suam praevideant: nunc enim praevident: mandatum hoc autem jam Prometheo est, ut huic rei finem imponat: tum vero judicare eos oportet his omnibus nudos: nam mortui judicandi sunt: judicem item nudum esse decet, mortuum, ipso animo ipsum animum hominis, simulac mortuus est, explorantem, quum is cognatis omnibus destitutus est, omnemque illum apparatum in terra reliquit, ut justum sit judicium.» 1)

«Haec Jupiter:» — sed nobis non enarrandum porro est, quod fecit Socrates, quo modo in his judiciis disposuerit pater deorum omnia: perspexisse nobis ex his suffecerit, unius agi veritatis justitiaeque caussam in Socratis et Platonis philosophia. Verum quo magis, quam illi hinc duxerint eloquentiam, quidque in ea summum sit, videamus, adjicimus hic Socratici sermonis finem. «Ego igitur, o Callicles, ait, hisce sum rationibus commotus, idque specto, quemadmodum integro sanoque animo coram judice appariturus sim. Repudiatis igitur vulgi honoribus, veritatem respiciens unice, operam dabo, ut, quoad ejus fieri possit, optimus hominum et vivam, et, quum moriendum est mihi, moriar. Cohortor autem et caeteros homines, quantum possum, et vero te vice meâ, ad hanc vitam, hoc certamen ineundum, quod ego omnibus praestare certaminibus dico. Exprobro autem tibi mollitiem, siquidem tibimet ipse non esse praesto poteris, quando judicium instabit et dijudicatio, quam modo dixi; sed veniens tu ad judicem, Aeginae filium, postquam ille te in jus rapuerit, oscitabis ac laborabis vertigine, non minus quam ego hîc, ita tu illic: fortasseque aliquis tibi ad summum dedecus alapam infliget omnique contumelia afficiet. Haec tibi fortasse narrari, ut fabulae seniles quaedam, videntur, tuque haec contemnis: nec vero mirum sit, nos ea contemnere, siquidem quaerendo possimus his meliora et veriora invenire. Nunc vero vides, cum tres viri sitis, omnium qui nunc sunt

1) *Gorg.* 522. E. — 523. E. Vid. Heindorf ad h. l., qui eum recte interpretatus videtur.

Graecorum sapientissimi, tu videlicet et Polus et Gorgias, non posse vos tamen demonstrare, aliâ esse ratione vivendum, quam eâ, quae illuc conducere videtur. Imo vero in tot sermonibus, cum caeteri redarguti fuerint, solus bic remanet firmus, cavendum esse magis ne faciamus, quam ne patiamur injuriam, idque viro prae caeteris omnibus spectandum, ut bonus non videatur, sed sit, tam publice quam privatim: si quis autem malus quodammodo fuerit, esse puniendum, idque secundo loco bonum esse, fieri castigatione meliorem poenasque injustitiae luere: omnem praeterea κολακείαν, *adulationem* erga ipsum et alios sive paucos sive multos, fugiendam esse: καὶ τῇ ῥητορικῇ οὕτω χρηστέον. ἐπὶ τὸ δίκαιον αἰεὶ καὶ τῇ ἄλλῃ πάσῃ πράξει· *arte denique dicendi omnique alio actionis genere justi semper caussa utendum esse.* Mihi tu igitur fidem habens, sequere me illuc: quo cum perveneris, et vivus et mortuus beatus eris, quemadmodum sermo hic noster probavit. Contemnat te autem aliquis, ut stultum, et summâ si velit injuriâ afficiat: tu vero, per Jovem, aequo animo vel colaphum, infamem plagam, perferas: nihil enim grave patieris, si revera honestus bonusque sis virtutemque exerceas. Postquam vero sic una eam exercuerimus, tunc, si tibi operae pretium esse videbitur, ad publica nos negotia conferemus, aut ad quodcunque nobis deliberantibus tum, quum melius deliberare poterimus, visum fuerit.» 1)

Talis cum esset philosophia, qua et ipse imbutus Plato erat et scribens de eloquentia imbuere oratores studebat, haud mirabimur profecto, vim in ejus scriptis exstare singularem plane, indeque oratores omnium gentium principes ad publice dicendum, ad caussam veritatis ac justitiae propugnandam, ad vindicandam a tyrannorum consiliis patriae libertatem, profecisse maxime. Hinc profecto eloquendi facultas, quam in eo Quintilianus admiratur, *divina* illa, *ut non hominis ingenio, sed quodam videretur oraculo Delphico instinctus.* 2) Hinc autem pariter cum Demosthenis, tum Ciceronis in dicendo vis et auctoritas, quum uterque in civitatis suae hostes capitales, ille in Philippum, hic in Catilinam et Antonium, pro patria et virtute, haud sine vitae periculo dicerent. 3)

---

1) *Gorg.* 526. D. — 527. D.

2) Quint. *Inst. Orat.* X, I. p. 223. Bip. Cff. *Initia.* p. 119.

3) Demonstravit nuper docte Bakius, errare, qui sive a Thucydidis sive a Platonis dicendi scribendive ratione genus dicendi Demostheneum ducerent. *Bibl. crit. nov.* V. I. 188. Rectissime vero ille. Nam ego in his *philosophiam* praecipue Socraticam et Platonicam spectavi; genus vero dicendi oratoris nec attigi nec attingam deinceps, nisi quatenus e philosophia illa fluxit. Monendum id duxi, ne dissentire a viro amicissimo viderer, quocum consentio lubentissime.

De scribendi ratione, quae prosit hominibus.

Fuse egimus de eloquentia Platonis non unam ob caussam. Nam, primum, locus hic est in ejus philosophia gravissimus, quoque idem perpurgatur diligentius, ita interius perspici ejus philosophia potest: tum vero eloquentia apud eum proxime est cum Socratica disciplina conjuncta, ut, rite hinc ducta, lucem ei vicissim affundat. Sed id praeterea spectavit Plato, ut novum induceret eloquentiae genus, quod totum a veri justique amore repetitum, hunc amorem in hominibus excitaret aleretque, et sic unice esset civitatibus utile et salutare. Progrediendum nunc nobis ad disciplinas est, quibus idem ille amor veritatis indagandae arte excolendus est; verum ut *dicendi*, ita *scribendi* etiam principia nova quaedam Plato protulit, pertinentque haec in primis eo, ut purissimos philosophiae, quae verum spectat, fontes indagemus. Quamobrem non committendum nobis est, ut hunc locum negligamus: tractandus adeo summâ diligentiâ videtur, cum propter ipsius in philosophia Platonis gravitatem auctoritatemque, tum etiam propterea, quod Platonicae doctrinae amantibus haud leves continuo difficultates objicit.

Nam occurrunt in scriptis Platonis nonnulla, huc spectantia, quae miretur aliquis continuo et vero absurda putet: in his ipsius scribendi artis vituperatio, nocuisse eam hominum generi magis, quam profuisse: tum hoc praesertim, fateri Platonem in epistola, quae ipsi tribuitur, se nihil scripsisse, quae vero ipsius nomine ferrentur, Socratis esse. Disertis id verbis dicitur: *διὰ ταῦτα οὐδὲν πώποτ' ἐγὼ περὶ τούτων γέγραφα· οὐδ' ἔστι σύγγραμμα Πλάτωνος οὐδὲν οὐδ' ἔσται· τὰ δὲ νῦν λεγόμενα, Σωκράτους ἐστὶ, καλοῦ καὶ νέου γεγονότος.* 1) Et quamvis hanc epistolam aliquis habeat non ab ipso Platone, sed a Platonico homine scriptam, unde id ille hauserit, quidque eo spectaverit, quaerendum videtur. Obstupescunt his homines, qui Platonem legunt, ut Aristotelem solent et hodiernos philosophos: dissertationes se tractare, quum dialogos legunt, arbitrantur, confunduntque cum cujusvis scriptoris rhetorisve divinum Platonis ingenium. Nos vero, age, novum illud exquiramus scribendi genus, quod unice probavit Plato, cujusque ad exemplum non dissertationes nescio quas, sed dialogos scripsit. Suppeditabit autem nobis illud, ni fallimur, Phaedri dialogi pars postrema. Sed primum de artis scribendi reprehensione disceptandum.

«Utilis, ait Socrates illic, scripta oratio est admonitionis caussâ; quodsi ad cognoscendum destinatur, omne erit scribentis studium non inutile solum, sed noxium legentibus.» Colloquio hoc effatum illustrat, quod

1) *Epist.* II. 314. C.

habitum esse sive finxit sive accepit a Thamo, Aegyptiorum rege, cum literarum inventore, Theuth. Ut hic inventa praedicaverat sua, tanquam *sapientiae et memoriae remedium*, alter «o artificiosissime Theuth, inquit, alius quidem ad artis opera perficienda idoneus est, alius vero ad judicandum promtior, quid emolumenti damnive sint utentibus allatura. Atqui et tu, literarum pater, propter benevolentiam erga illas et caritatem, contrarium, quam efficere possint, affirmasti. Nam illarum usus, propter recordationis negligentiam, oblivionem in animis discentium pariet: quippe qui externis literarum confidentes monumentis, res ipsas intus animo non revolvent. Quamobrem non memoriae, sed admonitionis, *οὐ μνήμης, ἀλλ' ὑπομνήσεως φάρμακον* invenisti. Sapientiae quoque opinionem potius, quam veritatem discipulis tradis. Nam cum sine institutione multa perceperint, *πολυγνώμονες* esse videbuntur; erunt vero vulgo *ἀγνώμονες* et in consuetudine molesti, pro sapientia speciem sapientiae habentes, *δοξόσοφοι γεγονότες ἀντὶ σοφῶν*.» 1) Expressit hoc Thami sermone Plato magistri sui de sophistarum studiis sententiam, qui libris scribendis sapientiam suam commendare studebant, ut ex iis intelligitur, quae his proxime apud eum adjicit Socrates. «Ergo, ait, quicunque se putat ita artem aut mandare literis, aut mandatam suscipere, ut certum quid et firmum ex literis sit futurum, admodum ineptus est, siquidem plus in scriptis esse credat, quam ut scienti res ipsas, quae literis significantur, in memoriam revocent. Mirum id habet, o Phaedre, scriptura et pictura revera simile. Picturae enim opera tanquam viventia exstant; si quid vero rogaveris, verecunde admodum silent: *σεμνῶς πάνυ σιγᾷ*. Eadem est orationis scriptae ratio: putes aliquid ipsam tanquam intelligentem dicere; verum si sciendi avidus ab ea dictorum aliquid sciscitaberis, idem semper et unum significat; omnis praeterea sermo cum semel scriptus est, passim volvitur tam apud intelligentes, quam apud alios, quibus minime convenit, et nescit, quibus dicere oporteat, quibus non oporteat.» — His adductus rationibus reprobasse videtur Socrates sophistarum in scribendo temeritatem, ipseque scripsisse nihil. Quodsi quaerimus, quid ille agendum philosopho putaverit, et quomodo Plato ad scribendos dialogos accesserit, id ex proximis hujus sermonis locis patet. Scilicet in animis hominum scribere, non in libris, ut in tabulis, id philosophi putabat munus esse Socrates, alterum sophistae cujusdam sive rhetoris. Audiamus ipsum porro. «Quid? ait, praeter scriptum sermonem nonne alium cernis, hujus geminum, sed meliorem, potentiorem? — Quem tandem illum? — Eum, inquit, qui in animo discentis cum scientia scribitur: is demum sibimet ipse auxiliari potest et dicere et tacere apud quos oportet. Hic Phaedrus: *τὸν τοῦ εἰδότος λόγον*

1) *Phaedr.* 274. E. — 275 B.

λέγεις ζῶντα καὶ ἔμψυχον οὗ ὁ γεγραμμένος εἴδωλον ἄν τι λέγοιτο δικαίως· scientis sermonem dicis viventem et animatum, cujus scripta oratio simulacrum aliquod non inepte nuncupabitur.» E qua sententia origo dialogi spoute ducitur. Sed pergat Socrates, quod animo sentit, explicare. Sermonem deinde, quem dixit, *viventem* et *animatum*, agricolae comparat per agros semina spargenti. «Id mihi dic, quaeso, ait: mentis compos agricola, si qua habet semina, quae ipsi curae cordique sunt, quorumque fructus capere avet, numquid in Adonidis hortulis quasi arans sedulo 1), gaudebit hos spectans hortulos intra dies octo jam pulcros factos? An vero id festi cujusdam diei ludique gratiâ faciet, siquidem faciat: at, ubi serio agens, agriculturae studium adhibuerit, seret, ubi convenit et satis sibi consecutus videbitur, si octo mensium intervallo satio ipsius fruges protulerit? Hîc Phaedrus: ita prorsus, o Socrates, ait, illa quidem ludens jocoque, ut dicis, haec autem serio faciet. Cui Socrates: hominem vero, justi honestique scientiam possidentem, agricolâ ineptiorem ad semina sua spargenda putabimus? — Omnium minime. — Non igitur studiose quasi in aqua scribet, atramento per calamum serens et usus oratione, quae nec sibimet ipsa auxiliari ratione, nec alios docere verum potest. — Haud sane est consentaneum. — Hortos quidem literarum, ludi caussâ, ut videtur, seret atque scribet; sed multo in his meâ sententiâ praeclarius est studium, ubi quis arte dialectica utens, ingenium nactus idoneum, sermones cum scientia plantat et seminat, *οἳ ἑαυτοῖς τῷ τε φυτεύσαντι βοηθεῖν ἱκανοὶ καὶ οὐχὶ ἄκαρποι, ἀλλ' ἔχοντες σπέρμα· qui et sibi ipsis et satori suo afferre opem possunt, nec fructibus destituti sunt et semina reddunt. Ὅθεν ἄλλοι ἐν ἄλλοις ἤθεσι φυόμενοι τοῦτ' ἀεὶ ἀθάνατον παρέχειν ἱκανοί· unde in aliis ingeniis alii crescentes id cum summa varietate in perpetuum praestant*, atque eum qui haec habet, beatissimum, quoad homini licet, efficiunt.» 2)

Sic Socratem inducere de summo philosophi munere disserentem, germanum ejus discipulum decebat, qui quidquid identidem ab aliis suscepit, ad magistri sententiam accommodavit. Dubito, magisne ex his verbis Socratica philosophia, an Platonis de scribendi arte sententia ducenda explicandaque sit: illud non dubium, quin, his lectis, quid de scriptionis apud eum vituperio, quid de effato illo, quod ei tribuitur,

1) Sic exprimere vulgatam lectionem studui, quam tuetur *Ast* ad Phaedr. p. 388. Fortasse pro ἀρῶν legendum ἄρδων, *irrigans*, ut sententia sit: *agricola — numquid ea serio in Adonidis hortis irrigans, gaudebit* — (Fieri tamen potest, ut εἰς Ἀδώνιδος κήπους σπαρῶν legendum sit. Nam et requiritur praeteritum tempus et respondet proximum σπείρας εἰς τὸ προσῆκον. — Ed.)

2) *Phaedr.* 275 C. – 277 A.

absurdo, ut videtur, se nihil scripsisse, quae vero ipsius nomine ferrentur, Socratis esse, existimandum sit, pateat jam nobis facillime.

Erat hoc Socrati proprium, ut vix quidquam sibi perficiendum susciperet, perficeret autem gravissima omnia. Infinita numero et varietate edebantur ejus aetate philosophorum sophistarumque scripta, quibus ingenium sapientiamque suam stupenti multitudini ostendere et probare studebant: ipse scribebat nihil. Resonabat quotidie forum politicorum hominum orationibus, quibus ad summos in republica auctoritatis gradus escendebant: ipse, nisi coactus, nunquam dicebat publice. Quae quo minus aggrederetur, non intempestivâ retinebatur modestiâ, quae civem dedecet: quotiescunque ipsius vocem postulabat respublica, uti illo tempore, quo insana multitudo, a demagogis concitata, in cives insontes judicium erat pronunciatura, tum ille in senatu, in tota civitate unus erat, qui dicere pro justitia auderet. Sed pudebat virum magnum et ferme singularem, sponte ad dicendum prodire, quasi solus esset dignus, qui, tacentibus omnibus, audiretur: pudebat imitari sive sophistas, qui venditarent populo doctrinam suam, sive oratores, qui verum justumque, ipsamque rempublicam flocci facientes, dicendo inservire suae auctoritati, suae avaritiae studebant. Esse bonus et excellens virtute, non videri, volebat, nec vero detrectabat rempublicam. Non erat civis in tota civitate, qui civium saluti provehendae prospiceret magis. Alii peregrinari in alias terras, sive cognitionis, sive quaestus, sive oblectationis gratiâ: ille domi manere et ne excurrere quidem animi caussâ in terras vicinas: *arbores*, dicebat, *nolunt me quidquam docere, sed volunt in urbe homines.* 1) Itaque per totum ille diem versari in foro, in palaestris, in portu, in locis, ubi plurimi adessent: cum his confabulari de rebus civilibus et communibus, sed maxime de iis, quarum ipsi scientiam profitebantur. Haec vita erat: sic autem sophistarum vanitatem, politicorum hominum consilia recondita, omnium errores et vitia in lucem proferebat: sic vero omnium maxime juventuti consulebat. Nam quod in Phaedro dicit, agendum esse philosopho, ut non libros edat, sed scribat in hominum animis, id ita factitabat, quasi ad hoc peragendum divinitus esset ad homines missus. Qualem autem quantumque inde fructum et ipse ceperit et in civitatem contulerit, illi norunt, qui ejus *μαιευτικὴν* perspexerunt et copiam attenderunt maximorum virorum, sectarum adeo illustrissimarum, quae ex ejus disciplina et sermonibus provenerunt.

Talis viri cum discipulus fuerit Plato, non est, quod miremur, alienum cum a dicendo scribendoque fuisse, negasse adeo, se quidquam scripsisse. Non quaerimus hoc loco de epistolae auctoritate, qua id nega-

1) *Phaedr.* 230 D.

verit: sive cui germana videatur, sive supposititia, id nemo dubitat, quin Platonicum plane virum auctorem habeat: qui unde id duxerit, quid eo voluerit, nobis est quaerendum. Expressit autem prorsus et Socratis et Platonis sententiam. Scilicet *scribere* intelligebat Plato illud, quod philosophi, quod rhetores, quod sophistae factitabant: librorum intelligebat scriptionem, quibus illi sapientiam scilicet suam includere et continere nitebantur. Id se perficere non potuisse fatetur: si potuisset, *τί τούτου κάλλιον*, ait, *ἐπέπρακτ' ἂν ἡμῖν ἐν τῷ βίῳ ἢ τοῖς τε ἀνθρώποισι μέγα ὄφελος γράψαι καὶ τὴν φύσιν εἰς φῶς πᾶσι προαγαγεῖν; quid hoc nobis in vita praeclarius actum esset, quam et hominibus scribendo magnam utilitatem praestare et naturam omnibus in lucem proferre?* Illud scilicet *ῥητὸν οὐδαμῶς ἐστὶν ὡς ἄλλα μαθήματα· ἀλλ' ἐκ πολλῆς συνουσίας γιγνομένης περὶ τὸ πρᾶγμα αὐτὸ καὶ τοῦ συζῆν ἐξαίφνης, οἷον ἀπὸ πυρὸς πηδήσαντος ἐξαφθὲν φῶς, ἐν τῇ ψυχῇ γενόμενον αὐτὸ ἑαυτὸ ἤδη τρέφει· non est illud ullo pacto verbis exprimendum, ut aliae disciplinae, sed diuturna circa id ipsum consuetudine vitaeque conjunctione, subito tandem, quasi ab igne micante accensum lumen, in animo exoritur seque ipsum alit.* 1) Divina sententia, Socraticae congrua philosophiae, et, siqua alia, digna Platone. Nam haec proprie dialectica est, ut et re et nomine intelligitur, quam adhibere Atheniensium juventuti Socrates, et Plato Dionysio studuit. Nec habet commentariis opus haec una verissima disciplina, quae communibus procedit sermonibus, scintillasque in animo suscitat. *Οὐδὲν γὰρ δεινὸν, μή τις αὐτὸ ἐπιλάθηται, ἐὰν ἅπαξ τῇ ψυχῇ περιλάβῃ· πάντων γὰρ ἐν βραχυτάτοις κεῖται· non enim verendum, ne quis illud obliviscatur, si semel conceperit animo: nam omnium paucissimis continetur.* 2) Commotis enim in animo, qui latent, igniculis, ardor, qui inde exsistit, et quasi ignis semet ipse alit.

Sed dicat hic aliquis: scripsit tamen dialogos Plato, quos nunc legimus. Id vero, o bone, non negat in epistola illa auctor: dixit adeo, quae *ipsius* nomine scripta ferrentur, haec Socratis esse. Quod quidem vere pronunciavit: nam sunt omnino, quae nobis scripta reliquit, Socratici sermones: et sane sic pronunciavit, ut, quid de ejus dialogis existimandum sit, declaraverit. Nam res profecto ita se habet: quae sive a Socrate sive ab aliis acceperat sive pepererat ipse, hac scribendi ratione posteris tradidit. Qua in re, quod de magistro diximus, nihil eum magni aggressum pollicitumque, maxima perfecisse, eandem agnoscimus in discipulo et simplicitatem et virtutem. Nam hunc in modum scripsit

1) *Ep.* VII. 341. C. D.
2) *Eod.* 344. E.

Socraticos sermones, ut, quam in Phaedro commendavit scribendi rationem, cum ipso scribendo Phaedro, tum caeteris scriptis expresserit: quodque effici dixit familiari vitae consuetudine mutuisque sermonibus, id scribendis iis in lectorum animis effecerit. Quo factum, ut nullus fuerit in antiquitate philosophus, cujus scripta ad quodvis genus hominum veritatis virtutisque amore inflammandum valuerint magis, in clarissimos autem scriptores oratoresque, in Demosthenem adeo et Ciceronem, tantam, quantam diximus. vim habuerint. Unde intelligitur, quid de novo scribendi genere, quod et invenit et frequentavit, augurandum sit. Sed hoc declarandum pluribus videtur: utque supra de *eroticis* philosophi sermonibus egimus, infra autem de *dialecticis* datâ operâ sumus actûri, ita hoc loco universos juvat disceptando complecti, ut, quid Plato scribendo spectaverit effeceritque, perspiciamus.

Quid scribendo spectavit Plato? sive, de Platonici dialogi natura.

Scribendis dialogis Platonem novam inducere poësin studuisse, quae Musam *Uraniam* spiraret, tum diximus, quum toti in pulcri philosophia versabamur. 1) Unde patuit nobis continuo, haud eum vulgari sophistisque usurpato scriptionis genere contentum fuisse, sed majora omnia et praeclariora spectasse. Ut vero, qua id ratione perfecerit, assequamur, spectanda nobis interius Platonici dialogi natura videtur.

Est dialogus *familiaris sermonis imitatio*, ut vulgo vocatur, vel, ut modo dicentem Phaedrum audivimus, *vivi animatique sermonis simulacrum* quoddam. Quodsi talis hujus scribendi generis ratio est, intelligimus sponte, nullum eo magis Platonis consiliis aptum accommodatumque fuisse. Nam destinatum ita naturâ est, ut, quos colloquendo cum aliis exprimimus effundimusque sensus, hos scribendo cum absentibus, cum posteris adeo communicemus. Verum idem spectasse omnes dici possunt, qui dialogos scripserunt, Xenophon, Aeschines, aliique Socratici, tum Aristoteles, quique postea floruerunt Lucianus, Plutarchus, Athenaeus, tum vero celeberrimus apud Latinos dialogorum scriptor, Cicero. Quamobrem distinguendus ab his omnibus Plato est, siquidem propriam privamque dialogorum Platonicorum virtutem assequi velimus. Et vero sic intelligemus accuratius etiam, quid de novo sive poëseos sive scriptionis, sive eloquentiae genere, quod invenit ac frequentavit Plato, existimandum sit. A Socraticis autem ordiamur.

Cum ante Platonem fuerunt, tum exstitisse, dum viveret, permulti videntur, qui item dialogos scriberent. Quorum si superessent scripta,

1) *Initia* p. 95, 97.

his apponendis in primis Platonis characterem exprimeremus, quippe quae Socratica fuerunt magnam partem et Platonicis iccirco haud dissimilia. Nunc praeter dialogos, qui Aeschini, ab aliis Simoni tribuuntur, nec formam propriam magis habent, quam qui falso Platonis nomine feruntur, *Xenophontis* exstat Symposium, dialogus, qui multis placuit vehementer, displicuit nonnullis, mihi fere probare visus est, hoc non fuisse scribendi genus, quo scriptor Cyropaediae et Anabaseos excelleret maxime. Legenti certe et haec viri opera palmaria et Memorabilia item, vix mihi quidquam occurrit, quin admirer; in illo vero opusculo non pauca exstant, in quibus vix agnoscere integrum illum Xenophontis incorruptumque elegantiae sensum liceat. Videtur auctor, quod in Luciano animadvertemus praesertim, levitatem comicorum cum Socratica ratione conjungere voluisse: quod nec voluit nec fecit Plato. Utinam vero *Aristotelis* superessent dialogi, quos multos et egregios scripsisse dicitur! Hos operae pretium esset cum Platonicis conferre. Nam, ut sua usus est in philosophando et ratione et oratione, ita, cum scriberet dialogos, probabile est, si non melius, peculiare eum certe dialogorum genus induxisse. Non enim subtilitas ingenii, ut sunt qui putent, prohibuit, quo minus eleganter simul et acute scriberet. Contrarium nobis persuadet Cicero, qui nil eo esse acutius, nihil politius statuit: quin idem in celebranda ejus oratione, non minus quam in Platonis, sibi placuisse videtur. Incredibilem esse ait in Aristotele dicendi copiam et suavitatem: fundere eum plane flumen orationis aureum: neminem eo in scribendo nervosiorem fuisse: aemulatum adeo cum ipso Isocrate fuisse et lacessivisse hunc orationis ornatu. Haud ita rari apud antiquos, ut apud nos, erant, qui cogitandi subtilitatem cum scribendi elegantia jungerent: hac laude prisci Academici ac Peripatetici fere omnes nituerunt: ipse Aristoteles, quem nemo nunc suavitatis oblectationisque caussâ legit, cum totus legeretur, quae Ciceronis fuit felicitas, mirabiliter commendatus eloquentiae laude fuit. Et facto probavit Cicero judicium suum, quum *Aristoteleo more*, prouti ad Lentulum scribit, tres de Oratore libros conscriberet. 1) Sed nihil hic ad nos Aristoteles: de Platonis quaerimus dialogis eorumque ab Aristotelicis diversitate. Hanc autem ex eo ipso, quod modo dixi, efficere licet, Ciceronem imitatum Aristotelem fuisse. Deperditis igitur hujus dialogis, ex illo effici quodammodo eorum ratio et comparari cum Platonica possit. 2) Nec vero toti perierunt dialogi

1) Cic. *ad Fam.* I. 9, 23.

2) Loco in *Ep. ad Fam.* quem modo citavi, contraria videntur, quae *ad Atticum* scribit Cicero XIII. 19. Negat hic, libros de Oratore Ἀριστοτέλειον morem habere. Vid. Wytt. in *Epist. Spec. meo praem.* p. L. Sed hoc loco morem Aristotelis significat, quo solebat ille in dialogis semetipsum inducere loquentem:

Aristotelis. Servatum a Plutarcho ex ejus Eudemo fragmentum est: ex quo, ut fragmento, divinare magis dialogi rationem, quam cognoscere, licet: id tamen percipimus, aliam Aristotelis in dialogis, aliam plane in caeteris scriptis, dictionis formam fuisse, *redundantem*, ut Wyttenbachius judicat, *grandem ac paene tragicam.* 1) Unde duxisse videri Cicero potest, certe auxisse copiam illam et majestatem, quae in memorato dialogo in primis insignis est. Sed, ut ipsi judicemus, fragmentum, quamvis longiusculum, hic videtur totum adscribendum. *Διόπερ, ὦ κράτιστε πάντων καὶ μακαριστότατε, καὶ πρὸς τῷ μακαρίους καὶ εὐδαίμονας εἶναι τοὺς τετελευτηκότας νομίζειν, καὶ τὸ ψεύσασθαί τι κατ' αὐτῶν καὶ τὸ βλασφημεῖν, οὐχ ὅσιον, ὡς κατὰ βελτιόνων, ἡγούμεθα, καὶ κρειττόνων ἤδη γεγονότων· καὶ ταῦθ' οὕτως ἀρχαῖα καὶ παλαιὰ διατελεῖ νενομισμένα παρ' ἡμῖν, ὥστε τὸ παράπαν οὐδεὶς οἶδεν οὔτε τοῦ χρόνου τὴν ἀρχὴν, οὔτε τὸν θέντα πρῶτον, ἀλλὰ τὸν ἄπειρον αἰῶνα τυγχάνουσι διὰ τέλους οὕτω νενομισμένα· πρὸς δὲ δὴ τούτοις, διὰ στόματος ἐν τοῖς ἀνθρώποις ὁρᾷς, ὡς ἐκ πολλῶν ἐτῶν, ἐκ παλαιοῦ χρόνου περιφέρεται θρυλλούμενον. Τί τοῦτ'; ἔφη. Κἀκεῖνος ὑπολαβὼν, Ὡς ἄρα μὴ γίνεσθαι μὲν, ἔφην,* 2) *ἄριστον πάντων, τὸ δὲ τεθνάναι τοῦ ζῆν ἐστι κρεῖττον· καὶ πολλοῖς οὕτω παρὰ τοῦ δαιμονίου μεμαρτύρηται· τοῦτο μὲν ἐκείνῳ τῷ Μίδᾳ λέγουσι δήπου μετὰ τὴν θήραν, ὡς ἔλαβε τὸν Σειληνὸν, διερωτῶντι καὶ πυνθανομένῳ, τί ποτέ ἐστι τὸ βέλτιον τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τί τὸ πάντων αἱρετώτατον, τὸ μὲν πρῶτον, οὐδὲν ἐθέλειν εἰπεῖν, ἀλλὰ σιωπᾷν ἀῤῥήτως· ἐπειδὴ δέ ποτε μόλις πᾶσαν μηχανὴν μηχανώμενος προσηγάγετο φθέγξασθαί τι πρὸς αὐτὸν, οὕτως ἀναγκαζόμενος, εἰπεῖν· Δαίμονος ἐπιπόνου καὶ τύχης χαλεπῆς ἐφήμερον σπέρμα, τί με βιάζεσθε λέγειν, ἃ ὑμῖν ἄρειον μὴ γνῶναι; μετ' ἀγνοίας γὰρ τῶν οἰκείων κακῶν, ἀλυπότατος ὁ βίος· ἀνθρώποις δὲ πάμπαν οὐκ*

---

illo vero universe *more Aristoteleo* disserendi et dialogi formam intelligit: quod ex ipsa loci ratione efficitur: «scripsi igitur *Aristoteleo more*, quemadmodum quidem volui, tres libros *in disputatione ac dialogo* de Oratore:» ubi *quemadmodum quidem volui* evincit, aliud cum hic, aliud in Ep. ad Att. spectasse. Nam se ipsum inducere loquentem, id scilicet omnes, qui volunt, possunt. Cff. *Characterismi princ. phil.* p. 150, 165. *Stahr.* Aristotelia II. 244 sqq.

1) *Anim. ad Plut.* II. 765.

2) Legendum videtur: *Τί τοῦτ'; ἔφην. Κἀκεῖνος ὑπολαβὼν, ὡς ἄρα μὴ γίνεσθαι μὲν, ἔφη.* Fortasse in hoc dialogo Aristoteles ipse sibi partes dicendi dedit, qui ejus mos fuit, ut ait Cic. *Ep. ad Att.* l. l.: quamquam alium inducere, qui sermonem enarraret, potuit, ut fecit Plato in Politia et aliis dialogis. Sed in fragmentis, quae Stobaeo debemus, dialogi *περὶ εὐγενείας* similiter occurrit subinde *ἔφην·* hic autem ipse auctor loqui videtur. Vid. Stob. *Serm.* 84 et 86.

ἔστι γενέσθαι τὸ πάντων ἄριστον, οὐδὲ μετασχεῖν τῆς τοῦ βελτίστου φύσεως· ἄριστον γὰρ πᾶσι καὶ πάσαις τὸ μὴ γενέσθαι· τὸ μέντοι μετὰ τοῦτο καὶ τὸ πρῶτον τῶν ἄλλων ἀνυστὸν, δεύτερον δὲ, τὸ γενομένους ἀποθανεῖν ὡς τάχιστα. Δῆλον οὖν ὡς οὔσης κρείττονος τῆς ἐν τῷ τεθνᾶναι διαγωγῆς ἢ τῆς ἐν τῷ ζῆν, οὕτως ἀπεφήνατο· *itaque, praestantissime omnium et beatissime, cum felices censemus esse et beatos, qui vita hac defuncti sunt, tum nefas putamus, quicquam de iis falso aut contumeliose dicere: quippe qui melioris jam praestantiorisque naturae facti sint compotes. Atque haec nostra sententia ita vetusta est, ut ejus et initium et auctor prorsus ignorentur, sed ab infinita usque aeternitate continenter ea sic est propagata. Ad haec vides, in ore hominibus esse omnibus jam inde a multis annis tritum illud. Quodnam? inquam. Ille vero, quod omnium optimum, inquit, est, non nasci: praestat autem mori, quam vivere: ejusque rei multis sunt divinitus perhibita testimonia. Atque huc pertinet, quod narratur, Silenum a Mida isto captum, et a venatione ei sciscitanti, quidnam optimum homini maximeque expetendum esset, principio respondere noluisse vocemque compressisse: tandem cum urgendi, ut aliquid diceret, finem nullum Mida faceret, in haec invitum erupisse verba: «Aerumnosi genii et difficilis fortunae semen in diem durans, quare me cogitis ea vobis dicere, quae vobis nescire erat melius? Maxime enim vacantes dolore vivunt, qui sua ignorant mala. Hominibus autem omnino optimum est, non nasci neque participem fieri praestantioris naturae; optimum enim omnibus utriusque sexus hominibus hoc est: proximum huic, et inter ea, quae consequi homo possit, primum est, quam celerrime mori.» Manifestum vero est, sic eum pronunciasse, quod melior sit mortuorum, quam vivorum, conditio.* 1)

Ut vero perierunt nobis fere Aristotelis dialogi, ita supersunt, quos apte cum Platonicis comparemus, dialogi *Lucianei*. Cognovi equidem, qui utrorumque nullum magnopere discrimen suspicarentur, aut, si vel maxime suspicarentur, quale illud esset, haud perspicerent. Et profecto sunt item hi, ut Platonici, non colloquia, sed dramata: sunt item philosophiae, quae veritatem virtutemque spectat, pleni, et quamvis, quod miremur, ipse in iis exagitetur Socrates, 2) haud deest tamen iis ironia Socratica cum Atticae dictionis humanitatisque gratia conjuncta.

---

1) Plut. *Παραμ. πρὸς Ἀπολλ.* (*Opp.* I. 2. 453. Wytt.)

2) *Dial. mort.* X. De mortuorum dialogis hic agimus solum. Nam exstant in ejus scriptis, quorum forma plane ex Platone ducta est, v. c. *Demosthenis encomium.*

Operae pretium videtur, ad naturam investigandam Platonici dialogi, de his paullo accuratius agere. Explicabimus ita simul id, quod modo de Xenophontis Symposio verbo significavimus.

Ex quo fonte Plato plurimum hausit, ex eodem bausit Lucianus. utriusque dialogi multis locis comicorum referunt, in primis Aristopbanis, fabulas. Veruntamen Plato cum leporibus salibusque Atticis eam inde venustatem gratiamque delibavit, quae mire decebat Socraticam philosophiam; Lucianum vero dicas ipsius Aristophanis habitum personamque induisse. Comicus hic esse simul et philosopbus voluit, et Stoicam usurpans in res bumanas despicientiam, festive illas et Aristophaneo more exagitavit. Quod ipse in Prometbeo ingenue confessus est, quo loco dialogi et comoediae discrimen notavit. « Neque enim omnino, ait, consueta inter se atque affinia ab initio *dialogus* et *comoedia* fuerunt; siquidem ille domi et seorsum, mehercle, in ambulacris cum paucis quibusdam disputationes suas habebat: baec vero se Baccbo totam tradens, in tbeatris versabatur, simulque ludcbat, et risum movebat, gaudebatque salibus et dicacitate, et ad numeros tibiac incedebat: interdum etiam anapaesticis versibus prorsus vecta, dialogi sectatores ut plurimum subsannabat, *φροντιστὰς καὶ μετεωρολέσχας* et id genus alia vocitando: eique id cordi erat, ut eos sugillaret et Dionysiacam istam libertatem in eos effunderet, nunc *ἀεροβατοῦντας καὶ νεφέλαις ξυνόντας* illos exbibens, nunc *ψυλλῶν πηδήματα διαμετροῦντας*, ut qui de aereis et sublimibus istis rcbus nimis exiliter argutarentur. *Dialogus* vero gravissimas disputationes babebat, de natura rerum deque virtute pbilosophans, ita ut musicorum illud, bis per omnes chordas, ab acutissimo ad gravissimum usque, inter eos esset. *Καὶ ὅμως ἐτολμήσαμεν ἡμεῖς τὰ οὕτως ἔχοντα πρὸς ἄλληλα ξυναγαγεῖν καὶ συναρμόσαι, οὐ πάνυ πειθόμενα οὐδὲ εὐμαρῶς ἀνεχόμενα τὴν κοινωνίαν· et tamen ausi fuimus nos, haec ita sese habentia inter se conjungere et coaptare, non admodum obsequentia neque facile societatem sustinentia.* » 1) Gravissimus sane bic locus Luciani est, ad genus dialogorum, quo usus est, notandum, tum etiam, ut, quid in eo novi protulerit, exquiramus. Vereri se, ait deinceps, ne, uti Prometheum facti poenituit, quod foeminam cum mari conjunxisset, sic ipse, disparibus commixtis scribendi generibus, poenas lueret. Non vero erat quod vereretur. Nam ex hac comoediae cum dialogo conjunctione parta proles est, quae perplacuit recentioribus, novum scribendi genus, *dialogi mortuorum*. Quos uti ingenio debemus auctoris, ita baud facile is tali protulisset, quali sunt, formâ et ratione, nisi et eâ vixisset aetate, qua Stoica philosopbia terrarum orbem occupaverat, et vero Aristopbanem in primisque ejus *Ba-*

1) Lucian. *Prometh.* I. 25. Bip.

τραχοὺς legisset. Continet haec fabula judicium Euripidis in inferis. Subjiciuntur autem quasi oculis, quae in orco sunt insignia, Cerberus, Stygiae undae, Charon mortuorum portitor, ipsi mortui, tum judices, qui de mortuis judicium pronunciant, alia. Quorum descriptiones ductae videntur ex iisdem poetis, e quibus et Plato mox et postea Virgilius desumsit; sed apud Aristophanem dramatis est forma, tum jocorum sunt omnia et facetiarum plena, chorus auditur ranarum βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοάξ· 1) ridicula plane Charontis persona est. Peculiarem hinc Lucianus, Promethei cujusdam instar, dialogorum informavit rationem, qua umbrae in orco inducerentur secum invicem colloquentes: quamquam hujusmodi illa fuit, ut nec comoediam legentibus antiquam illam, nec vero philosophiam repraesentaret integram.

Haec de Luciano. In dialogis *Platonis* exstant, quae plane sint Lucianeis similia, cum in moribus perstringendis mortalium, tum in vitae praeceptis; sed nusquam philosophus comicum agat. Placide apud eum sermones profluunt, in neutram partem insignes: nec crepat ubivis vitae austeritatem, ut propriam virtuti, nec vero levitate ipse ac petulantiâ exsultans comici, id committit in moribus opinionibusque exagitandis, quod fere commisit Lucianus, ut ne illis quidem parceret, quae cum sensibus essent excelsis rebusque sanctis conjuncta. Socrates, ut paucis dicam, in ejus dialogis partes habet, non Menippus. Orcum Lucianus totum et fabulas de diis et heroibus sic nobis proposuit, ut legere nobis poëtam comicum videamur, ac rideamus identidem, ut plebs ridere Atheniensium solebat, comoedias spectans. Tangit easdem fabulas Plato, ut modo in Gorgia dialogo vidimus, et vero celebratissimorum in republica virorum ineptias exagitat; sed sic facit utrumque, ut prodesse civibus, Socratis instar, non placere, non gratificari, non risum movere studeat. Absurdis fabellis meliorem substituit simul de inferis divinaque natura doctrinam, in perstringendis autem viris praeclaris haud spectat unice, quod comicorum est, *ridendo dicere verum*, sed veri justique, sed sancti, in ipsa ironia caussam et patrocinium tuetur. Nam ironia dominatur in ejus dialogis Socratica, non comici protervitas aut contumacia: risum nobis excitat inter legendum Lucianus, haud secus atque Aristophanes: in Platone legendo subridemus.

Est igitur alia quaedam longeque ab Aristotelis et Luciani ratione diversa *Platonici* dialogi natura. Quod autem formam attinet dramatis, magis ille Sophronem, quam comicos imitatus videtur. Hunc quanto loco habuerit, testantur veteres. E Sicilia ejus mimos Athenas detulisse dicitur eosque sic probasse, ut octogenario major suppositos pulvinari habuerit, *in quod obdormientis os illud divinum*, ut ait Valckenarius,

1) Arist. *Ran.* vs. 209.

reclinabat. 1) Et sane placida horum mimorum ac dialogis potissimum apta ratio ex Theocriti intelligitur Pharmaceutria et Adoniazusis, quae inde informatae sunt. Sed, qualiscunque tandem dialogi Platonici a comicorum et Luciani dramatibus diversitas est, illud de Aristotele animadvertamus maxime, *dialogos* eum destinavisse argumentis popularibus, interiori vero doctrinae *commentationes*, quum Plato dialogis complexus omnia esset. Unde in primis Platonicorum scriptorum non dos et commendatio, sed *natura* efficitur. Quae enim dramatis forma apud eum allexit ad legendum philosophandumque elegantioris ingenii homines talis haec scilicet erat, ut res item caperet abstrusissimas. Respondet illa plane ipsi Socratis philosophiae, quae non doctis alia, alia indoctis fuit, sed pariter utrisque conveniebat. Sermo vix cogitari simplicior et familiari vitae consuetudini convenientior potest, quam quo in Phaedro de dicendi scribendique arte agitur: amplectitur autem idem sermo sublimem illam de pulcro et amore doctrinam, quae ipsa continet universae philosophiae principia. Res nulla abstrusior interiorisque indagationis in philosophia exstat, quam quae Philebi est, quaeque Parmenidis argumentum: eadem tamen, qua Phaedrus, forma scripti hi dialogi sunt: ac licet non eadem hos legamus, quà Phaedrum aut Symposium, oblectatione — delectantur videlicet lectores fere pulcro magis et amore, quam metaphysicis disquisitionibus — tamen non carent hae ipsae, quamvis metaphysicae quaestiones, Attica venustate, qua Socratis in Phaedro commendantur sermones. Haec scilicet ars illa summa est, quam uni maxime Platoni fuisse propriam putamus.

Quod autem suspicati sumus, singulare quoddam suumque Aristotelem induxisse dialogorum genus, non ejusmodi est, quasi dotibus quibusdam superaverit Platonem. Si superavit, quae fuerint illae dotes, nos latet: nam copia illa orationis et tragica dictio non decet proprie dialogum. Imo vero desiderabatur in ejus dialogis, quae deesse iis minime debebat, dramatica ratio. Cujus rei testis est Basilius: *τῶν ἔξωθεν φιλοσόφων οἱ τοὺς διαλόγους συγγράψαντες, Ἀριστοτέλης μὲν καὶ Θεόφραστος εὐθὺς αὐτῶν ἥψαντο τῶν πραγμάτων, διὰ τὸ συνειδέναι ἑαυτοῖς τῶν Πλατωνικῶν χαρίτων τὴν ἔνδειαν. Πλάτων δὲ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ λόγου ὁμοῦ μὲν τοῖς δόγμασι μάχεται, ὁμοῦ δὲ καὶ παρακωμῳδεῖ τὰ πρόσωπα.* 2) Unde princeps illa Platonis dos intelligitur, dramatica facultas, qua ingenium moresque personarum expressit. Sed peculiarem Aristotelis rationem intelligimus hancce, ut philosophiae dialogum, tanquam formam quandam, adhiberet, qua scilicet commendaret legentibus placita sua. Id certe, post eum qui dialogos scripserunt, spectarunt fere, Plutarchus, Athenaeus, ipse

---

1) Valck. *ad Theocr. Adonias.* p. 194.

2) *Epist.* 167. (Opp. tII. 187 C.) Cf. Wytt. *Epist. ad me.* p. LIt.

Cicero et, paucissimis exceptis, recentiores omnes: quae tamen haud probanda ratio est. Nam sic factum in primis videtur, ut tot hodieque hoc genus scribendi facile, suave nec inutile, haud vero necessarium et viro indignum censeant. Et profecto quae in Plutarchi *Symposiacis*, in *septem sapientum convivio*, quae in Athenaei *deipnosophistis* legimus, brevius haec commentatione, nec minus tamen perspicue pleneque tradi potuissent. Esset fortasse, quod formam desideraremus in Plutarcheo libello *de sera numinis vindicta*, si commentatio, non dialogus esset; veruntamen, si philosophia spectatur ipsa, huic videatur perinde esse, hac an vulgari ratione scriptus fuerit. Quod idem de ipsis affirmare Ciceronis dialogis non dubito. Commendationem a forma insignem habent, quae quanta sit, collati facile demonstraverint libri *de inventione* cum dialogis *de oratore*, et *de claris oratoribus*. Et vero ars illa in eloquentia, ut putabatur, summa, in utramque partem de eodem argumento copiose probabiliterque disserendi, quam ut docuit Aristoteles, ita factitasse dialogis suis videri potest, hanc quomodo Cicero in aliis scriptis, tum in primis *de finibus* tam mirabiliter explicare potuisset, nisi dialogos scripsisset? Sed artem hanc ipsam reprobat philosophia, siquidem audientium studia, quam veri inquirendi diligentiam, magis spectat. Nec est quin fateamur, plus eloquentiae in dialogis tribuisse Ciceronem, quam simplici veritatis indagationi. Alia est longeque diversa Platonicorum dialogorum conditio, naturae ipsorum, quam diximus, congruens. Eam habent cum auctoris philosophia necessitudinem, ut una haec esset scribendi ratio, qua et sensus suos omnes explicare et suum explere scribendi propositum posset. Id autem effici intelligique, nisi ex propria eorum et Socratica plane ratione, non potest.

Nam quae distinguendo hactenus de scriptis Platonis animadvertimus, eo valent, ne haec cum aliorum dialogis confundamus; ut vero privam eorum propriamque virtutem percipiamus, satis valere non videntur. Est autem talis illa, qualem ipse in Phaedro spectavit, quum de optimo unicoque vero scribendi genere praeciperet. Nam paucis exceptis; partes in iis omnibus praecipuas habet Socrates: inducitur autem ille, quod scribendo in primis efficiendum ratus Plato est, excitans in hominum animis pulcri bonique, praesertim *veri* amorem, omninoque, quod vocabat, quasi *in animis hominum scribens*. Id similiter instituit Xenophon, quum, scribendis Memorabilibus, Socratis enarraret eum variis hominibus colloquia: et hinc in primis aurei libelli praestantia: nam sic demum nos in mediam Socratis philosophiam potuit inducere. Si memorasset doctoris sui placita praecipua, haud male fuisset de philosophiae historia meritus: haberemus certe, quo Socratis effata cum caeterorum decretis philosophorum compararemus; sed novam, quam is induxit, philosophandi arguendique rationem, qua una maxime, non placitis aut

formula doctrinae, e coelo devocavit philosophiam, et in urbes domosque induxit, et coegit de vita et moribus loqui, hanc non magis ex tali compendio cognosceremus, quam nunc cognoscimus ex historiae philosophicae scriptoribus. Xenophon vero per sermones illos ipsum nobis Socratem quasi viventem spirantemque proposuit et novam illam rationem non exponentem subtiliter, sed quaerendo, ut solebat, arguendo, monendo, hortando usurpantem. Sic item Plato; sed hic cum Socratis colloquia non traderet tantum scribendo, sed, ut dramatici solebant poëtae, dramatibus exprimeret, plenius nobis et Socratem et Socraticae philosophiae vim et ubertatem repraesentavit: idemque cum sub Socratis persona suam ipsius philosophiam cum lectoribus communicare studeret, ipse loqueretur adeo cum omnis generis hominibus, quum Socratem faceret loquentem, factum est, ut *scribendo* efficeret in lectorum, quod *sermonibus* ille in auditorum animis effecerat, *scriberet* plane, quod dixit, in *animis hominum*, nec praesentium tantum et aequalium, sed posterorum omnino, hujus adeo aetatis nostrae hominum. Haec ratio, haec vis et efficacitas, haec in primis *natura* est dialogorum Platonicorum: et vero legentes eos non videmur nobis tantum ipsis Socratis sermonibus interesse, sed, qui optimi cujusque dramatis saluberrimus effectus est, vim in nos habent Socratis dicta, ac si nos ab eo petitos putaremus. Sophistae num his legendis ingenio animoque emendati sint, dubito: nam hoc genus hominum propter praejudicatas opiniones omni aetate insanabile habitum est; sed quis unquam generosae indolis adolescens, Phaedrum legens vel Theaetetum, non ipse sibimet visus est Phaedrus esse aliquis aut Theaetetus, et, illorum instar, a Socratis ore pendere, animoque recondere quae acceperat? Quis unquam senex, qui juvenis legit Platonem, in ipsa senectute non confessus est, hac se in primis lectione, propter et dramatis et Socraticae suavitatis vim, una cum Sophistis sophisticam omnem aversari, veros philosophos amare didicisse? Dialogis scribendis Plato idem egit plane, quod ipse de agricolis dixit. Non librum edidit, quo, tanquam in Adonidis hortulo quodam, arctis finibus, sapientiam scilicet suam, ut faciunt systematum auctores, includeret; sed ut gnari solent agricolae, Socraticis scribendis sermonibus, plane ut ipse Socrates, semina sparsit in hominum, praesertim adolescentum ingenia, quae pro ingeniorum temporumque varietate, varios omni aevo, sed optimos fructus proferrent. Id fecit Plato, et facere hac scribendi forma potuit, alià usurpandà non potuisset.

Sed illud animadvertamus item. Ut Xenophontis Memorabilia, ita scripta Platonis non artis cujusdam aut doctrinae, non argumenti peculiaris expositionem, sed fontem continent ipsum, unde omnes haurire oportet, qui rerum scientiam appetunt. Exquiritur in omnibus, quid nobis maxime agendum videatur, ut, quid verum sit, quid falsum,

quid appetendum, quid fugiendum, sciamus: nec friget disputatio, ut in caeteris plerisque libris, sed qui inducuntur colloquentes de gravissimis his rebus, ut fert familiaris ratio sermonis, cum animi sensu affectuque exquirunt singula, et inter loquendum veritatis virtutisque amore incalescunt identidem. Hoc est, quod φιλοσοφεῖν, *philosophari*, appellabat Plato, idemque efficere in lectoribus scribendo studuit. Et sane, ut hoc utar, quis legens Symposium, et ipse quasi praesens convivis illis, non eodem, quo illi, ardore effervescit, quum eos amorem audit et una cum amore fortitudinem, honestatem, virtutes omnes celebrantes? Quid plura? Si quis unquam scriptor, Plato certe, quicunque latebant in lectorum animis virtutis igniculi, hos scriptis suis excitavit aluitque.

Et sic quidem, diligenter his omnibus de Platone aliisque dialogorum auctoribus animadversis, interius nobis perspicere licet, quam ille Musam spectaverit, cum novam inducere poësin conaretur. Explorare id supra jam coepimus, quum de *pulcro* agebamus; 1) sed nunc, ni fallor, e philosophiae quae *verum* spectat principiis, plenius intelligimus. Non erat illa Platonis Musa vel comica vel tragica: δημώδη harum musicam vocabat; sed τὴν μεγίστην respiciebat μουσικήν, i. e. philosophiam illam, quae nec placere hominibus, nec gratificari, nec vero adulari studeret — hic poëtarum vulgo ac sophistarum oratorumque mos fuit — sed hoc sibi haberet unice propositum, ut, rejectis inanibus, quae ab his commendarentur, rerum simulacris, ipsas res i. e. *veritatem* in lucem produceret ejusque amore incenderet mortales. Hanc Plato *Uraniam* Musam vocare solebat, quam qui colerent, sive carminibus, sive orationibus, sive cuicunque tandem scribendi generi operam navarent, hos unice scribere in generis humani emolumentum contendit. Cumque nemo adhuc poëtarum scriptorumque, de ejus sententia, digna hac Musâ opera edidisset, Socraticis ipse sermonibus scribendis artem scribendi excoluit, quae tantum vulgaribus artibus, quantum Uranius amor vulgari amori, praestaret. Iniquius fortasse ille de scriptis aliorum judicasse videatur; sed nos, ne in ipso judicando iniqui simus, id attendamus diligenter, praeclaro eundem proposito haec nova fuisse molitum, nec vero fructu ejus studia caruisse. Diximus de Luciani aliorumque Graecorum; tum etiam de Ciceronis dialogis, ut, institutâ comparatione, dotes virtutesque Platonis cognoscerentur accuratius. In qua disquisitione illorum item dotes virtutesque exploravimus. Quodsi nos, sic expositâ dialogi Platonici naturâ, porro velimus quaerere, quid illi ad scribendos dialogos Platoni debuerint, haud frustra sane hicce nova illa scribendo molitus videbitur. « Credibile est, ait Wyttenbachius, jam ipsius Platonis aetate lectionem librorum ejus frequentatam multum valuisse ad

1) *Initia*. VI. p. 95, 98.

conversionem veteris comoediae, ut sal Atticus, quem *Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae, Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,* — multum quidem et acrem, sed acerba suffusum bile, gerebant, paulatim per mediae poëtas comoediae, tum novae in primis Menandrum, ab his labibus purgaretur, et ad germanam Atticam festivitatem elegantiamque redigeretur.» 1) Constat antem, colorem ab eo duxisse, quotquot post eum dialogos scripserunt, Plutarchum praecipue, Platonis amantissimum, ipsum item Lucianum in scriptis quibusdam, tum vero Ciceronem, qui, quamvis se scribere Aristoteleo more diceret, quantopere ad informandos rite dialogos e Platonis imitatione profecerit, omnes norunt, qui attentius utrumque legerunt, nosque ipsi jam animadvertimus in superioribus. 2) Et fuit sane Cicero indole et institutione Platonicus plane, ut in omni scriptionis genere, in oratorio etiam, certe quum *pro Archia* diceret, sponte et inscius fere Platonem exprimeret suum. Unde sententiae celebratissimae illae de literarum studiis, de poëtis, de communi in primis artium vinculo. Sed de his tum agemus, ubi ad hoc ipsum artium vinculum pervenerimus. Nunc juvat animadvertere, quod hujus praesertim loci est, ut revocaretur ad naturae simplicitatem eloquentia, vim habuisse mirificam dialogos Platonis. Docuerant rhetores antea et docebant Platonis aetate, quemadmodum oratio rite esset excolenda, ut evidentia, suavitate, gravitate cum caperet audientes legentesve, tum teneret ac moveret: unde τέχναι exstiterunt, studiose elaboratae, quales Isocratis aliorumque memorantur et supersunt etiamnunc multae. Sed rhetores, uti novimus, *artem* fere magis, quam *naturam* spectarunt, effecitque omni aevo rhetorica, ut diceretur, quemadmodum scribi oporteret: non vero, ut scriberetur, quemadmodum loqui solemus. Contemnitur hoc praeceptum in artis regulis, certe negligitur fere, ut vulgare omnibusque notum, raroque omni aetate eloquentiae adhibitum est: quo factum, ut innumerae exstiterint orationes, quas admirarentur audientes, paucae, quibus moverentur intus melioresque fierent. Itaque principes oratores, qui non arte, sed indole diserti fuerunt, quo magis naturam exprimerent dicendo et sic persuaderent hominibus efficaciter, tragicos, comicos, optimosque dialogorum scriptores summo studio legerunt: in his quippe maxime naturalem loquendi rationem, excultam illam quidem et politam, sed naturalem tamen agnoscebant. Eo autem quid valere magis potuit, quid reapse ad rite informandam Demosthenis orationem magis valuit, quam dialogorum Platonicorum lectio? Sunt illi prorsus, ut apud ipsum est, vivi animatique sermonis simulacra: inest iis familiaris colloquii facilitas et quasi candor nati-

1) *Epist. ad me.* p. XLIV.
2) *Initia.* p. 77.

vus: insunt facetiae, joci, sensus varii affectusque, sublimes illi subinde, sed sponte prolati: inest vero iisdem et multo sane magis, quam in comicorum tragicorumque fabulis, philosophia, verae eloquentiae procreatrix. Egimus jam satis fuse de eloquentia Demosthenis, attigimus item simul dramaticam dictionis rationem, quae frequens apud eum est, sed *dramaticae* hujus *rationis* vim, quae hujusmodi est, ut non scriptam nobis legere orationem videamur, sed ipsum audiamus oratorem loquentem, imo colloquentem interrogando respondendoque cum audientibus, hanc si quaerimus unde duxerit, fontem, unde hausit, non alium reperio, nisi dialogi Platonici rationem. Exstant in ejus orationibus colloquia formâ et ratione prorsus Platonica. *Φέρε γὰρ*, ait in oratione de rebus Chersonesi, ubi socordiam exagitat civium suorum: *φέρε γὰρ, πρὸς Διός, εἰ λόγον ὑμᾶς ἀπαιτήσειαν οἱ Ἕλληνες ὧν νυνὶ παρείκατε καιρῶν διὰ ῥαθυμίαν, καὶ ἔροινθ᾽ ὑμᾶς, « ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πέμπετε ὡς ἡμᾶς ἑκάστοτε πρέσβεις, καὶ λέγετε ὡς ἐπιβουλεύει Φίλιππος ἡμῖν καὶ ἅπασι τοῖς Ἕλλησι, καὶ ὡς φυλάττεσθαι δεῖ τὸν ἄνθρωπον» καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, ἀνάγκη φάσκειν καὶ ὁμολογεῖν· ποιοῦμεν γὰρ ταῦτα. « Εἶτ᾽, ὦ πάντων ἀνθρώπων φαυλότατοι, δέκα μῆνας ἀπογενομένου τἀνθρώπου καὶ νόσῳ καὶ χειμῶνι καὶ πολέμοις ἀποληφθέντος, ὥστε μὴ ἂν δύνασθαι ἐπανελθεῖν οἴκαδε, οὔτε τὴν Εὔβοιαν ἠλευθερώσατε, οὔτε — καὶ φανερὸν πεποιήκατε, ὅτι οὐδ᾽ ἂν δεκάκις ἀποθάνῃ, οὐδὲν μᾶλλον ὑμεῖς γε κινήσεσθε. Τί οὖν πρεσβεύεσθε καὶ κατηγορεῖτε καὶ πράγμαθ᾽ ἡμῖν παρέχετε;» ἂν ταῦτα λέγωσι, τί ἐροῦμεν ἢ τί φήσομεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι; ἐγὼ μὲν γὰρ οὐχ ὁρῶ· age vero per Jovem, si rationes vos reddere Graeci juberent opportunitatum, quas per socordiam nunc neglexistis, ac rogarent vos: « mittitis, o Athenienses, identidem ad nos legatos, dicitisque Philippum nobis caeterisque Graecis omnibus insidias struere, cavendum autem ab homine esse » et similia omnia: vos quidem affirmare et confiteri oporteret: facimus id enim. « Atqui, reponerent, o omnium hominum vilissimi, quum per decem menses abesset homo et morbo, tempestatibus ac bellis impediretur, quominus domum posset reverti, vos neque Euboeam in libertatem vindicastis neque — imo vero patefecistis, etiamsi vel decies moreretur iste, non magis vos motum iri: quid igitur legatos ad nos mittitis et istum accusatis et nobis molestias facitis? » Id si dicerent, quid nos haberemus, o Athenienses, quod diceremus ac responderemus? Equidem non video.* 1) Similiter et in aliis orationibus et in Philippicis passim, veluti ubi Aristodemum demagogum exagitat: colloquitur cum eo eadem plane, qua apud Xenophontem et Platonem Socrates, ratione. Orato-

1) Dem. *περὶ τῶν ἐν Χεῤῥον.* 98. D.

rum, ait, nonnullos video non eodem modo et vobis et sibimetipsis consultando prospicere: vos enim ajunt oportere acquiescere, si quis vos injuria afficit, ipsi autem acquiescere aut silere non possunt, etiamsi a nemine laedantur. *Καίτοι λοιδορίας χωρὶς, εἴ τις ἔροιτό σε, «εἰπέ μοι, τί δὴ γιγνώσκων ἀκριβῶς, Ἀριστόδημε, — οὐδεὶς γὰρ τὰ τοιαῦτα ἀγνοεῖ — τὸν μὲν τῶν ἰδιωτῶν βίον ἀσφαλῆ καὶ ἀπράγμονα καὶ ἀκίνδυνον ὄντα, τὸν δὲ τῶν πολιτευομένων φιλαίτιον καὶ σφαλερὸν καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀγώνων καὶ κακῶν μεστὸν, οὐ τὸν ἡσύχιον καὶ ἀπράγμονα, ἀλλὰ τὸν ἐν τοῖς κινδύνοις αἱρῇ;» τί ἂν εἴποις; εἰ γὰρ, ὃ βέλτιστον εἰπεῖν ἂν ἔχοις, τοῦτό σοι δοίημεν ἀληθὲς λέγειν, ὡς ὑπὲρ φιλοτιμίας καὶ δόξης πάντα ταῦτα ποιεῖς, θαυμάζω τί δήποτε σαυτῷ μὲν ὑπὲρ τούτων ἅπαντα ποιητέον εἶναι νομίζεις καὶ πονητέον καὶ κινδυνευτέον, τῇ πόλει δὲ προέσθαι ταῦτα διὰ ῥαθυμίαν συμβουλεύεις; οὐ γὰρ ἐκεῖνό γ' ἂν εἴποις, ὡς σὲ μὲν ἐν τῇ πόλει δεῖ τινὰ φαίνεσθαι, τὴν πόλιν δ' ἐν τοῖς Ἕλλησι μηδενὸς ἀξίαν εἶναι·* *misso convitio, si quis te rogaret: «dic mihi quaeso, Aristodeme, quid tu, prebe sciens, privatorum vitam tutam, otiosam, periculorumque immunem, politicorum vero hominum criminationibus periculisque obnoxiam esse et certaminum ac malorum plenam, quid tu tandem tibimet ipse non placidam atque otiosam, sed periculosam eligis?» Quid diceres? Nam si quod optime dicere posses, id tibi vere dicendum largiremur: te honoris gloriaeque caussa haec omnia facere, mirarer, quid tandem t i b i eorum gratia haec omnia facienda, perferenda, periclitanda, c i v i t a t i vero ea per socordiam contemnenda suadeas. Illud enim haud facile diceres, te quidem oportere in civitate aliquo loco, civitatem vero in Graecia ingloriam esse.* 1) Non e *τέχναις* rhetorum haec desumuntur, sed sumsit Demosthenes e Socraticorum sermonum ratione, quos apud Platonem reperiebat. Ego vero, quoties similes locos cum amicis legebam, his fere animadverti vehementissime nos moveri. Tum vero, qui locus in prima Philippica ab omnibus celebratus maxime est, quotquot studiosissime legerunt Demosthenem: *Πότ' οὖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πότε ἃ χρὴ πράξετε; ἐπειδὰν τί γένηται; ἐπειδὰν νὴ Δί' ἀνάγκη τις ᾖ· νῦν δὲ τί χρὴ τὰ γιγνόμενα ἡγεῖσθαι; ἐγὼ μὲν γὰρ οἴομαι τοῖς ἐλευθέροις μεγίστην ἀνάγκην τὴν ὑπὲρ τῶν πραγμάτων αἰσχύνην εἶναι· ἢ βούλεσθε, εἰπέ μοι, περιϊόντες αὐτῶν πυνθάνεσθαι κατὰ τὴν ἀγοράν· λέγεταί τι καινόν; γένοιτο γὰρ ἄν τι καινότερον ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ Ἀθηναίους καταπολεμῶν καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων διοικῶν· τέθνηκε Φίλιππος; οὐ μὰ Δί'· ἀλλ' ἀσθενεῖ; τί δ' ὑμῖν διαφέρει; καὶ γὰρ ἂν οὗτός τι πάθῃ, ταχέως ὑμεῖς*

1) Dem. *Phil.* IV. 150 A. Platonicam similiter rationem expressit Fr. Hemst. *Oeuvr. phil.* II. 50.

ἕτερον Φίλιππον ποιήσετε, ἄνπερ οὕτω προσέχητε τοῖς πράγμασι τὸν νοῦν· οὐδὲ γὰρ οὗτος παρὰ τὴν αὐτοῦ ῥώμην τοσοῦτον ἐπηύξηται, ὅσον παρὰ τὴν ἡμετέραν ἀμέλειαν· *quandonam, Athenienses, quando tandem id quod oportet facietis? Quid fieri ante debet? — «Postquam per Jovem necessitas exstiterit quaedam.» Nunc vero, quae exstiterunt, qualia putanda sunt? Ego enim ingenuis hominibus necessitatem agendi maximam puto, rerum gestarum pudorem. Vultisne vos per forum ambulantes sciscitari ab aliis alii: «dic mihi, novi quid accidit?» Accidere vero aliquid magis novum potest, quam hominem Macedonem Athenienses bello premere ac res administrare Graecorum? «Mortuusne est Philippus?» — «Non est, per Jovem.» — «Aegrotat vero?» — Quid autem hujus rei vestra interest? Nam si isti quid acciderit, vos brevi alium Philippum facietis, si, quemadmodum soletis, in res publicas incumbitis.* 1) Hunc igitur locum quis legit, quin videat, quid illud sit quod diximus, dicendum non esse ut scribitur, sed scribendum ut loqui solemus, fateaturque idem, hac arte summa excelluisse omnium maxime Demosthenem, eamque Platoni debuisse praecipue?

Hanc vim *forma* dialogi Platonici in scriptores oratoresque, in principem adeo oratorum omnium, habuit; sed ipsam hîc *veri philosophiam* spectamus, quam Plato forma illa maxime, suo illo ipsique proprio scribendi genere expressit. Infinitum est demonstrare, quantum ex hoc fonte hauserint, quicunque post eum dialogos scripserunt. Sed hîc juvat iterum, ut rem uno exemplo declaremus, *Luciani* memorare dialogos mortuorum. Comicum ille simul poëtam et philosophum Stoicum egerit et, Aristophanem imitans, ipsum Socratem, virorum sapientissimum, ut sophistam nobis aliquem proposuerit 2), illud Socraticae non minus, quam Stoicae philosophiae, praesertim vero Platonicis dialogis debuit, ut mortuorum hos, quos scripsit, dialogos tanto semper studio legerint philosophi. Hinc enim in illis graves illae de rerum humanarum vanitate sententiae: tum vero placitum ipsum, quod dominatur in illis, *in inferis esse aequalitatem omnium hominum, unius virtutis rationem haberi*, quis est quem lateat, e Gorgia illud Platonis, quem modo legimus, ductum esse? In memoriam revocemus dialogum, qui Χάρωνος καὶ Ἑρμοῦ inscribitur. 3) Advenerunt mortui tanto numero, ut, nisi reliquerint in litore superflua omnia, de ipso navigio, ne mergatur, metuat Charon. Jubet hic igitur illos *nudos* ingredi ac Mercurio praecipit, ut ne

1) Dem. *Phil.* I. 43 A. Cf. IV. 138 B. C.
2) Lucian. *Dial. mort.* XX et XXI. p. 417 et 420.
3) *Dial.* X. 363.

accipiat, nisi qui omni sit onere vacuus. Facit Mercurius, atque ad scalam navalem adstans, ut primus prodit Menippus, tu, inquit, quis es? — Menippus sum, respondet: ecce vero, pera mihi, Mercuri, baculusque in paludem abjecta sunto: pallium autem recte feci, qui ne tulerim quidem mecum. Cui Mercurius: adscende, Menippe, ait, virorum optime, primamque sedem juxta gubernatorem in alto obtine, ut inspicias omnes. Hic alii et perquam a se invicem diversi identidem procedunt, Charmolaüs continuo, formosus ille, cujus osculum binis talentis aestimabatur, tum Lampichus, Geloörum tyrannus, Damasias athleta, Crates, dives ille, armatus item aliquis, qui tropaeum affert. Aegre hi omnes, quod ipsis in vita insigne fuit, quoque unice gloriari solebant, deponunt; tyranno vero maxime molestum accidit, regia insignia abjicere: quid? inquit, mene decet, Mercuri, nudum ingredi, qui tyrannus sum? Cui Mercurius, haud tu quidem hic, reponit, tyrannus, sed omnino mortuus es. Ut vero ingressi hi omnes scapham sunt, ac tyrannus, quo vix potuit adduci, diadema etiam et purpuram deposuit, ecce! philosophus venit, habitu abscondens vitia gravissima, rixandi lubidinem, vanam gloriam, quaestiones impeditas, nugas et quisquilias, tum nummos item aureos, voluptatem, arrogantiam, eamque de se opinionem, quasi melior esset caeteris omnibus. Quae omnia postquam is, jubente Mercurio habitu deposito, patefecit, proh Jupiter! hic exclamat, quantam iste vanissimarum rerum ostentationem affert! Mitte tu haec omnia, ait: nam si cum istis cunctis conscenderes, vix te quinquaginta remorum navis acciperet. — Nolim haec persequi: ridiculum negotium barbae praesertim istius est, qua perquam sibi placuerat philosophus; non tondet eam Menippus, sed securi amputat nautica, pro codice usus scala navali. Sed, missis illis, quae pueri jam cognovimus, hac nostra aetate reputemus, quam vim dialogi Platonici in Lucianeos habuerint. Comicorum in his agnoscimus sales dotesque admirabiles; sed *philosophiam veri*, ut eam Plato in Gorgia, eo in primis loco, ubi mortuorum judicia enarrat, expressit, quis est qui non simul et agnoscat et revereatur?

Sunt nobis multa etiam de quaestione, quid scribendo spectaverit Plato, deque Platonicorum natura dialogorum exquirenda: exploranda praecipue est *dialectica* eorum ratio; sed hac de re deinceps. Hic non possumus non literarum amantes etiam atque etiam hortari, ut, quod in his tentavimus, persequantur, ac philosophiae Platonicae ubertatem sublimitatemque non e Platone tantum, sed e posterioris etiam aevi scriptoribus efficiant atque in lucem producant. Nam quotus quisque est sive philosophorum sive literatorum hominum, qui id datâ operâ et pro rei dignitate perficere aggressus est? Valet autem idem hoc studium ad ipsos etiam illos scriptores cum intelligendos rite, tum interpretandos.

Ex quo Ruhnkenius, edito Timaeo, hoc stadium aperuit, patuit deinde, duce in primis Wyttenbachio, omnibus, imitatos fuisse *dictionis Platonicae elegantiam*, quotquot Alexandrino aevo, aetate Trajani et Antoninorum, apud Christianos etiam scribere elegantius conati sunt. Sed hic non subsistendum, ut ipsi illi duumviri saepius monuerunt. Non dictio solum, sed *philosophia* etiam *Platonis*, cum sensibus illis excelsis et sublimibus conjuncta, dominata deinceps in scriptis sectisque Graecorum est, ut, nisi hac percepta penitus, frustra aliquis scriptores posterioris aetatis interpretari studeat. Verissima enim Wyttenbachii sententia est, quoque majores fecerimus in studio Platonis Platonicaeque philosophiae progressus, eo lubentius ei assentiemur: *non solum per se ipsum fructuosum esse studium Platonis ad mores, animum, ingenium, orationem, disserendi elegantiam, interiorem philosophiae et literarum Graecarum cognitionem; sed vero longe idem fructuosissimum esse ad omnes posteros et Graecos et Latinos scriptores recte intelligendos, quippe per hos omnes et per universum antiquarum doctrinarum orbem longe lateque diffusum.* 1)

Omnis est philosophiae principium summum amor veri.

Ad finem perduximus disquisitionem, quam primum postulat philosophia veri, ut *principia* teneremus cognoscendi. Orsi a Socratico, imo divino praecepto γνῶθι σεαυτὸν, in nobismet ipsis ea quaesivimus: et, hercle! undenam haec tandem, nisi ex hoc fonte, peteremus? Reperimus autem, princeps eorum et summum esse *amorem veri*, nobis naturâ insitum: qui qualis sit quamque vim in rebus humanis habeat, ipse nos Plato in disputationibus docuit de nativa cum discendi tum docendi ratione, deque eloquentia vera et justo scribendi proposito modoque: nos autem efficere item e novo hoc dicendi scribendique genere conati sumus, quod ipse commendavit et secuti sunt posteri. Satisfacere ita Socratis apud eum monito studuimus, quod hujus initio disquisitionis praemisimus: ἀλλὰ δεῖ, ὦ Γλαύκων, ἐκεῖσε βλέπειν. — Ποῖ; ἦ δ' ὅς. — Εἰς τὴν φιλοσοφίαν τῆς ψυχῆς, καὶ ἐννοεῖν ὧν ἅπτεται καὶ οἵων ἐφίεται ὁμιλιῶν· *sed illuc, o Glauco, spectare oportet. — Quo tandem? — In ipsam, quae inest animo, philosophiam et reputandum, qualia sint, quorum animus desiderio tenetur.* 2) Cujus moniti si nunc

1) Wytt. *vita Ruhnk.* p. 150. (*Opusc.* I. 664.)

2) *De Rep.* X. 611. D.

quidem lectores vim ac propositum perceperunt, vel hoc uno nos putabimus operae pretium scribendo fecisse. Sophistis reliquimus tam hujus quam veteris aevi, ut *externos* ante omnia hominis sensus explorarent: nos haud contemnendos illos duximus, sed *internos* maluimus primum attendere, ut hanc perciperemus continuo, quam Plato vocat, *τῆς ψυχῆς φιλοσοφίαν*, pateretque nobis, qualia animus naturâ appetat. Licet nobis nondum, quae isti invenerunt explorando, cum nostris inventis comparare: nam in principiis versamur etiamnunc. Veruntamen quid fateri dubitemus, viam nobis nostram, quam inivimus, perquam placere? Nam sic profecto explorare animum nostrum ex ejus studiis appetitibusque naturalibus, ex propria ipsi philosophia, quam optima quaeque referunt, quae in lucem emisit, jucundum negotium est: videturque id ante instituendum, quam ad sensus accedamus. Nam quid illi prodesse ad cognoscendum possunt, nisi insit homini, quo per eos, tanquam nuncios, res externas cognoscamus? *Νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει.* — Et vero exquirere, quid discere sit, quid docere, quae omnis sit eloquentiae scriptionisque optima ratio, non jucundum id tantum est, sed durus sit vel hebes ad haec studia necesse est, qui his cum Platone et ex Platone inquirendis, attendendoque in iis *veri amore*, ipse hoc amore non incalescat continuo. Age, persequamur hanc viam nostram. Tendimus in mundum *νοητὸν*, in quo lucet, una cum ideis omnibus, ipsa veritas: huc autem quo facilius certiusque perveniamus, disciplinas quaeramus, quarum ope maxime ex hac inscitiae errorumque sede in regnum illud veritatis escendamus. Nam huic insitae nobis philosophiae ut satisfaciamus, ut, quod appetimus naturâ, assequamur, erigendus animus, imo convertendus totus penitusque est a rebus his incertis et fallacibus ad ea quae vera sunt et immutabilia. Hoc autem ipsum disciplinarum munus est.

DE DISCIPLINIS,

QUAE MENTEM EVEHUNT IN MUNDUM νοητόν, IN PRIMIS DE DIALECTICA.

τί ἂν οὖν εἴη, ὦ Γλαύκων, μάθημα ψυχῆς ὁλκὸν ἀπὸ τοῦ γιγνομένου ἐπὶ τὸ ὄν;

In disciplinis, quas peperit antiquitus philosophia, nulla est facile, quae ipsi philosophiae et potuit prodesse magis et magis saepenumero obfuit, quam princeps disciplinarum omnium, *dialectica*. Ut enim primum haec in lucem prodierat, a Socrate continuo et Platone eo consilio exculta est, ut mentem hominis et purgaret falsis opinionibus et ad verum perspiciendum praepararet: quod summum est sane ipsius philosophiae munus. Quodsi hinc convertimus oculos ad ejusdem disciplinae medio aevo conditionem, aberrasse eam videmus a proposito fine, et vero sic aberrasse, ut repugnaret philosophiae. Nam tantum aberat, ut liberaret hominem falsis opinionibus, ut has contra ratiocinando argumentandoque ac syllogismorum auctoritate probare conaretur et confirmare. Sed conjuncta haec disciplina omni aevo cum eloquentiae fuit studio, cui sic dedit auctoritatem ad persuadendum, ut vicissim ab illa persuadendi invitamenta et illecebras accipiebat: eloquentiam autem constat tam ad pessima omnia posse, quam ad optima, hominem adducere, nec raro sane illud efficere magis, quam hoc, studuisse.

Est sane haec temporum nostrorum felicitas, ut quae olim celebrari summis laudibus solebat, eloquentiae facultas illa, qua quis inferiorem caussam dicendo superiorem efficeret, dialecticaeque artibus, quocunque vellet, audientium animos deduceret, haec contemnatur per universam Europam: gravioribus autem doctrinis tantum absit ut adhibeatur, ut contra ad veritatis amussim opiniones doctorum hominum et inventa

exigantur unice. Non audiretur hodie sive philosophus sive orator, qui, ut Romae Carneades, de justitia disputaret copiose, sed idem disputationem suam postridie contrariâ disputatione subverteret, et justitiam, quam pridie laudasset, tolleret. 1) Pueris relinquendum hoc ludicrum negotium putamus; Platonis vero laudamus sententiam, hoc esse in eloquentia summum, ut dicendo homines cum ad veritatem ducat, tum ipsos emendet. Et quamvis vulgus indoctum, ut solet semper, etiamnunc inanibus simulacris capiatur: quamvis sint item hodie, qui, ut errare humanum est, ita errores suos, specie ipsi veritatis decepti, omni commendare et tueri eloquentiae arte studeant: quamvis haud desint his nostris etiam temporibus, qui, ut Gorgias olim et Polus, auram vulgi dicendo scribendoque captare aveant: tamen haud facile quisquam reperiatur, qui publice probare sophisticas has artes, easque dialecticae et eloquentiae nomine commendare sustineat. Sed quo majores ita fecisse ad maturitatem suam progressus genus humanum videtur, eo nos dialecticam veram, quacum conjuncta esse vera eloquentia debet, indagare oportet diligentius: eam dico, quae, ut primum inducta a Socrate est, ita ad praejudicatas deponendas opiniones, verumque in omni caussa cum inveniendum solerter, tum naviter propugnandum pertinet, uniceque valere ad philosophiae tuendum decus, tum vero etiam ad provehendam per philosophiam humani generis salutem et felicitatem et potest et debet. Quam si quaerimus, Plato nobis, hoc item proposito, legendus maxime diligenterque explicandus videtur. Is enim, ut artem invenit scriptisque suis celebravit, quae, ut supra nos vidimus, 2) una maxime pulcri amorem in puerorum animis suscitaret, *coelestem musicam*; artium principem, cujusque ipse studio ductus, ut nobis modo patuit, 3) novum dicendi scribendique genus induxit: sic *dialecticam* a Socrate acceptam eum in modum cum informavit, tum ad veritatis amorem in puerorum animis alendum adhibuit, ut nova videretur plane, certe ad nullas non provehendas doctrinas, ipsam illustrandam tuendamque philosophiam, una esset omnium efficacissima. Et vero hac idem disciplina, ut caeteris item gravioribus, sed hac tamen potissimum, illud efficiendum censuit et quomodo efficeretur demonstravit, ut animus ab his umbris falsisque veri speciebus, quibus delectari vulgus hominum videmus, averteretur, totusque ad ipsum verum contemplandum rebusque hominum adhibendum converteretur, omninoque e mundo hoc spectabili in eum, qui solâ mente et cogitatione percipitur, νοητὸν vocabat, educeretur.

---

1) Lactant. V. 14.
2) *Initia* p. 98.
3) *Eod.* p. 189.

Ut hunc omnis philosophiae finem assequeremur aliquando, versati diu in principiis sumus, quo *veri amorem*, principiorum omnium ad veritatem indagandam longe princeps et efficacissimum, exploraremus diligentius. Consecuti autem inde, opinor, etiam hoc sumus, ut, quae nobis nunc continuo exponenda sunt sive officia sive adminicula sive *media*, quae vulgo dici solent, ad finem illum attingendum, i. e. disciplinae majores, in primis illa, quam laudavimus, dialectica, has simus longe facilius exploraturi. Haud facile enim, quomodo hae valere ad verum cognoscendum debeant, assequeremur, nisi de propria nobis cognoscendi facultate constaret: nos autem et nosmetipsos et veri amorem, quo naturâ ducimur, explorantes, sensum internum, animi oculum, quem Plato vocavit, qualis sit, quid efficere ad verum cognoscendum debeat, quodammodo jam exploravimus. Tum vero frustra deinceps de dicendi scribendique arte, quae sine dialectica nulla est, agere institueremus, nisi quo studio, quo proposito, quem in finem hae nobis artes excolendae sint, investigassemus. Quid? quod μαιευτικὴν Socraticam, quae sine dialectica adhiberi hominum ingeniis animisque non potest, ipsiusque est dialecticae pars quaedam, jam datâ operâ explicare et hinc ducere veram eloquentiam omnemque docendi rationem quae justa sit, conati sumus. Haud igitur ita difficile nobis iter erit, quod nunc deinceps instituemus, nec vero tum etiam, ubi ad ipsum jam finem sumus perventuri, tam erit illud asperum aut arduum, quam vulgo putatur. Nam aequabilis est, ut ab initio diximus et satis jam nobis patet, philosophiae Platonicae progressio. Non extemplo nos Plato, quae aliorum est, recentiorum in primis philosophorum, consuetudo, in *metaphysicae* nescio quem labyrinthum ducit, unde qua nos possimus ratione expedire, non reperiamus: non ille nos continuo per hanc scilicet metaphysicam in altos nubium tractus evehit, ubi nos suspensi et quasi μετέωροι firma cognoscendi principia habeamus nulla, sed vagemur temere. Lente ille quidem, sed firmo gradu constanterque procedit, et nos profecto, postquam semel per disciplinarum disquisitionem, cum aliarum, tum praesertim dialecticae, in mundum νοητὸν, ad ipsas ideas pervenerimus, erit nobis haec sive dialectica sive metaphysica sive quocunque tandem nomine haec disciplina vocanda sit, non labyrinthus, in quo coecorum instar oberremus, sed quasi specula erit quaedam, unde prospiciens in omnes partes philosophus

Hinc hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, atque humiles possit contemnere curas.

Sed vana est omnis de disciplinis disquisitio, nisi illos consideraverimus item, quibus eas tradituri sumus, eorumque indolem atque ingenium perspexerimus. Hac item in re Plato non, quod postea factum, *abstracte*, ut vocatur, philosophatus est, sed hominis praecipue huma-

naeque naturae rationem habuit. Patuit id nobis in superioribus, quum de musica et gymnastica ageremus. Custodibus civitatis has artes adhibuit, ut excolerentur rite atque ad fortitudinem simul atque humanitatem adducerentur. Quod fecit illo in opere, quo perfectam reipublicae conditionem adumbravit. Similiter nos hoc loco de disciplinis disquisituri, non eas solas, ipsas per se tantum considerabimus, sed una spectabimus custodum illorum optimos, qui regere aliquando civitatem illam debebunt. Illum secuti ducem nostrum, ex eodem opere palmario, ex iisdem illis suavissimis Socratis cum Glaucone et Adimanto sermonibus, futuros hos civitatis perfectae gubernatores, quales esse debeant, et quomodo per disciplinas gravissimas ad tantas res suscipiendas agendasque erudiendi provehendique sint, declarare studebimus. In qua gravissimarum rerum disquisitione, priusquam ad ipsam dialecticam perveniamus, continuo nobis, *quo valeant, quid efficere maxime disciplinae debeant*, explorandum erit: tum tria considerabimus haud sane levia: primum, quod disciplinas spectat, *num sit earum commune quoddam, quo naturâ conjungantur, vinculum:* quo perspecto facilior nobis erit generosorum juvenum, quibus tradendae erunt, institutio: deinde, quod juvenes hos ipsos attinet, *quinam proprie dicendi philosophi sint:* id enim tenendum, ut ad illud eos adducamus, quod in philosophia summum est: tandem, quo et disciplinas et juvenum studia complectemur, *quibus hi disciplinis erudiendi praecipue sint, ut et assequantur veritatis scientiam, et assecuti conferre illam deinde in reipublicae salutem possint.*

Quo valent maxime, quid efficere disciplinae debent?

Ut igitur disciplinarum vim ad aperiendam veritatem percipiamus penitus, praesens haec animi nostri conditio rite est ex iis, quae jam dicta sunt, efficienda. Expressit eam Plato aptissime, quum ejusmodi esse diceret, ut somniantium nos instar, videre nobis videamur, quae non sunt; quae vero sunt, non videamus. 1) Nam postquam hoc corpus induimus, non licuit nobis τὰ ὄντα, *ea quae sunt*, i. e. *ideas* ipso animo intueri; corporis sensibus uti coacti sumus, quibus *idearum* in his terris non nisi simulacra quaedam, et obscura quidem illa et fallacia contemplaremur. Hinc fit, ut opinemur, non sciamus: videamur cognoscere, non cognoscamus: fluctuemus omnino incerti inter inscitiam et scientiam. Est enim *opinionis* haec natura, ut non sit inscitia — opinantes enim videntur scire: — nec scientia sit etiam — qui enim scit, opinari se non facile dixerit: — sed sit inter inscitiam et scientiam inter-

1) *De Rep.* V. 476 C.

medium quid: id autem et somniorum et praesentis item vitae nostrae plane est proprium. Crebri sunt hominum sermones de rebus pulcris, bonis, justis, in quibus discedunt fere a se invicem in diversas, subinde in contrarias partes. Quod placet aliis et pulcrum dicitur, id aliis displicet ut turpe: quod celebrant nonnulli ut bonum civitati et perquam utile, id ab aliis ut malum vituperatur et noxium civitati: quae caussae aliis videntur judicibus justae uniceque vindicandae, ab aliis injustae judicantur et poenis dignae. Judicant igitur de his omnibus homines opinionibus suspensi, non scientiam assecuti, judicant, ut qui somniant dormientes, imo vero *vigiles* somniant, ὕπαρ ὀνειρώττουσι: nec magis vigiliae suae, quam somni ad sapientiam fructum capiunt. Scilicet simulacra sectantur, non res: pulcra, non pulcrum ipsum: bona, justa, sancta, non ipsum bonum, ipsum justum, ipsum sanctum: non quaerunt veritatem in his omnibus, sed speciem, non τὸ αὐτὸ καθ' αὐτὸ ὄντως ὄν, quod ipsum per se reapse est pulcrum, bonum, justum, sanctum, sed quod id esse videtur. Illud si spectarent ac possent assequi, sic demum expergiscerentur e somno, quo jacent sepulti, cessarent opinari, scire inciperent, et omnibus esset controversiis istis, ad summam humani generis felicitatem, finis impositus. Sed somniantes hoc item habent: quod simile est alicui rei, non simile, sed ipsum esse censent illud, cui est simile. Id autem nobis in hac conditione nostra gravissimum est malum. Simulacra illa, quae nunc sola percipimus sensibus, non simulacra esse, sed res ipsas, opinamur: sunt autem illa, ut monuimus, fallacia magnam partem, cuncta vero, siquidem cum veritatis luce et splendore conferuntur, perquam obscura. Ergo bona persequi, quae bona videntur sed *sunt* mala, justa propugnare, quae justi habent speciem sed *sunt* injusta, vera asseverare, quae habentur vera sed *sunt* falsa, simulacra omnino sectari fallacia, iisque sectandis non bonas horas, sed totam vitam impendere, haec est hominis, praesenti hoc statu, misera sane conditio.

Ut autem ex hoc quasi somno expergiscantur mortales, adhibendae ipsorum menti disciplinae sunt. Nam valent hae potissimum, ut ne videamur nobis videre, quae *non sunt:* perficere adeo hoc debent, ut quae *sunt*, sed latent hominnm vulgus, quod opinionibus ducitur, haec videamus interiusque nitamur cognoscere. Scilicet ad internum sensum nostrum, externis illis longe potiorem, naturâ pertinent; quo quidem per eas et purgato rite et aperto, et vero ad res ipsas, ad ipsam veritatem converso, tum demum desinimus somniare, ὕπαρ ζῆν, vigilare vereque vivere incipimus. Id Plato efficiendum disciplinarum ope censuit. Sed quales sunt illae? quae mutua earum ratio est? estne, quo naturâ conjunguntur, vinculum commune? Haec ut recte exploremus, de indole philosopha, quam vocat Plato, praemittere nonnihil juvat. Inde enim

maxime ad tria illa explicanda, quae modo memoravimus, ducendum exordium est.

De indole philosopha.

Audiamus Platonem continuo, sive Socratem potius, quem Plato fecit in Politia cum Glaucone et Adimanto de sublimi argumento disserentem. «Hoc, ait, continuo manifestum est, eligendos nobis e custodibus esse, qui prae caeteris sint optime musicâ et gymnasticâ exculti: sed quaerendi praecipue sunt, qui naturâ videantur philosophi; hi autem qnales sint, quaeque vero nomine dicatur φύσις φιλόσοφος, *natura philosopha*, id scilicet, Adimante, non ita est manifestum; nobis vero, ut suam philosophiae vindicemus in civitate auctoritatem, si quid aliud, hoc patere debet. Sed age, in memoriam tibi revocabo, vel ipse potius recordare, si quem dicimus aliquid amare, hunc nobis videri oportere non partim illud amare, partim non, sed totum amore complecti. Cui Glauco, sane, respondet, o Socrates, in memoriam id mihi revocandum: nam ego, fateor, non reminiscor. Tum Socrates, alium, inquit, dicere decebat quae dixisti; virum vero amoris haud expertem non decet non reminisci, τὸν φιλόπαιδα καὶ ἐρωτικὸν ab omnibus, quotquot in ipso sunt aetatis flore, moveri quodammodo et stimulari, viderique huic illos observantiâ et amore dignos. Nonne ita vos erga formosos agitis? Alius, quod simus est, *gratiae plenus* dicitur et hoc celebratur nomine: alium, cui aquilinus nasus est, *regium* appellatis: si quis autem inter hos medius est, *concinnum* esse dicitis. Nigros *viriles* vocatis *specie*, candidos *Deorum filios*; μελίχλωροι vero qui appellantur, a quo tandem fictum hoc nomen putas, nisi ab amatore, qui facile ferret blandiendoque sic appellaret amasii pallorem? Verbo, nullas non captatis occasiunculas et nihil non dicitis, quo neminem omnino florentis aetatis adolescentem rejiciatis.» 1) Quae nobis Socratis dicta eo placebunt magis, quo ea magis nostris moribus, nostro amori accommodaverimus. Juvat Lucretii locum apponere, apud quem similiter haec puellis tribuuntur:

Multimodis igitur pravas turpesque videmus
Esse in deliciis, summoque in honore vigere. —
Nigra, μελίχροος *est: immunda et foetida*, ἄκοσμος·
Caesia, παλλάδιον· *nervosa et lignea*, δορκάς·
Parvola, pumilio, χαρίτων ἴα, *tota merum sal:*
Magna atque immanis, κατάπληξις *plenaque honoris:*
Balba, loqui non quit, τραυλίζει· *muta pudens est:*

1) *De Rep.* V. 474 C.

At flagrans, odiosa, loquacula, λαμπάδιον fit:
Ἰσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, cum vivere non quit
Prae macie: ῥαδινὴ vero est, jam mortua tussi:
At gemina et mammosa, Ceres est ipsa ab Iäccho:
Simula, σιληνὴ, ac satyra est: labiosa, φίλημα.
Caetera de genere hoc, longum est, si dicere coner. 1)

Ducta haec sunt e Platonis fonte; sed non est locus Platonis, quem erotici veteres et recentiores poëtae lubentius exprimere imitando studuerint. Nota Molieri imitatio est, quamquam hic proprie Lucretium, quem fere totum vertisse dicitur, secutus est. 2) Ovidius inde non semel profecit, veluti in *Arte amandi:*

Nominibus mollire licet mala: fusca vocatur,
Nigrior Illyrica cui pice sanguis erit:
Si paeta est, Veneri similis; si flava, Minervae.
Sit gracilis, macie quae male viva sua est.
Dic habilem, quaecunque brevis: quae turgida, plenam:
Et lateat vitium proximitate boni. 3)

Et in *Remedio amoris:*

Et mala sunt vicina bonis: errore sub illo
Pro vitio virtus crimina saepe tulit.
Quam potes, in pejus dotes deflecte puellae:
Judiciumque brevi limite falle tuum.
Turgida, si plena est: si fusca est, nigra vocetur;
In gracili macies crimen habere potest.
Et poterit dici petulans, quae rustica non est:
Et poterit dici rustica, si qua proba est.
Quin etiam, quacunque caret tua foemina dotè,
Hanc moveat, blandis usque precare sonis.
Exige quod cantet, si qua est sine voce puella:
Fac saltet, nescit si qua movere manum.
Barbara sermone est: fac tecum multa loquatur:
Non didicit chordas tangere: posce lyram.
Durius incedit: face inambulet: omne papillae
Pectus habent tumidae: fascia nulla tegat.
Si male dentata est, narra, quod rideat, illi,
Mollibus est oculis, quod fleat illa, refer. 4)

---

1) Lucret. IV. 1148.
2) *Misanthrope* II. 2. ubi vid. Auger.
3) *Art. am.* II. 657.
4) *Remed. am.* vs. 323.

Serio magis Horatius:

Illud praevertamur, amatorem quod amicus
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant; veluti Balbinum polypus Hagnae.
Vellem in amicitia sic erraremus, et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At pater ut gnati, sic nos debemus, amici
Si quod sit vitium, non fastidire; strabonem
Appellat Paetum pater; et Pullum, male parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus: hunc Varum, distortis cruribus; illum
Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis. 1)

Sed quidni Molieri etiam, quamvis recentioris poëtae, locum adjiciamus? Antiquitate, unde sumtus est, dignus videtur:

L'amour, pour l'ordinaire, est peu fait à ces lois,
Et l'on voit les amans vanter toujours leur choix.
Jamais leur passion n'y voit rien de blâmable,
Et, dans l'objet aimé, tout leur devient aimable:
Ils comptent les défauts pour des perfections,
Et savent y donner de favorables noms.
La pâle est aux jasmins en blancheur comparable;
La noire à faire peur, une brune adorable;
La maigre a de la taille et de la liberté;
La grasse est, dans son port, pleine de majesté;
La malpropre sur soi, de peu d'attraits chargée,
Est mise sous le nom de beauté négligée;
La géante paroît une déesse aux yeux;
La naine, un abrégé des merveilles des cieux:
L'orgueilleuse a le coeur digne d'une couronne;
La fourbe a de l'esprit; la sotte est toute bonne;
La trop grande parleuse est d'agréable humeur,
Et la muette garde une honnête pudeur.
C'est ainsi, qu'un amant, dont l'ardeur est extrême,
Aime jusqu'aux défauts des personnes qu'il aime. 2)

Adscripsimus haec loca, non quo ornatum disputationi a poëtis peteremus, sed ipsius Platonis causså, quo magis propria ejus et singularis plane philosophandi ratio appareret. Poëtae in his usurpandis, ut

---

1) *Serm.* I. 3. 38. Et haec et alia veterum loca citarunt Ast *ad Plat. de Rep.* p. 529 et Auger *ad Molier.* V. 172.

2) Molier. l. l.

vidimus, sua quique proposita maximeque diversa respexerunt, et alia omnia magis, quam *veri philosophiam* attenderunt. Plato vero illa ad cognoscendi amorem doctrinarumque studium, quo flagrat indoles philosopha, adhibuit: quo patet nobis denuo, quam supra explicuimus, 1) amoris apud eum cum philosophia necessitudo. Verissima autem sunt aptissimeque nobis demonstrant, hoc item cum amantibus discendi cupidos, quique naturâ philosophi sint, commune habere, ut, quidquid est studiis ipsorum naturalibus conveniens, qualecunque sit illud tandem, modo expleat discendi desiderium, ament illud omne et colant. Unde patere arbitramur diversissimarum doctrinarum commune principium: et vero hinc fortasse jam suspicetur aliquis, quale sit illud undeque profectum, quod Cicero praedicavit disertissime, *artium omnium et doctrinarum commune vinculum.* Quo sane placito vix ullum exstitit in philosophia, quod germanos philosophos magis jucundiusque teneret. Nos vero ne festinemus! Lente progreditur Socrates, quaeque jam spe et exspectatione praecepimus, suo nobis loco sive monstrabit sive divinanda praebebit. Nunc monstrat alia, unde ad rem praesentem, ad indolem cognoscendam philosopham, conjecturam capere liceat. Vini memorat avidos, avidos etiam honoris. «Illos, ait, nonne idem facere vides, quod amatores? nullum non vinum nulla non ratione et commendatione diligunt et laudant. — Sic faciunt. — Et vero qui honoris sunt cupidi et ambitiosi, hos, arbitror, novisti, si ducere exercitus non possunt, tribunos esse lubenter, eosdemque, si apud majores nobilioresque nullo sunt honore, contentos esse tamen, ubi a minoribus et ignobilioribus honorantur: quippe omnino honoris cupidos. — Ita plane se res habet. — Hoc igitur, o Glauco, vel affirmandum est nobis, vel tu, si potes, nega: qui expetunt aliquid vehementer, non partim hoc illos persequi, partim contemnere, sed totum diligere. — Totum illud, ajo, diligunt. — Ergo *φιλόσοφον* dicemus *σοφίας* esse amatorem, non peculiaris cujusdam, sed omnis omnino. — Omnis, fateor. — Eum igitur, qui aegre ad disciplinas procedit, juvenili praesertim aetate, necdum ratione discernens, quid utile sit quid non, nec studiosum esse dicemus nec *φιλόσοφον·* quemadmodum illum, qui fastidit epulas, neque esurire dicimus neque epulas concupiscere, non *φιλόσιτον* esse, sed *κακόσιτον.* *Τὸν δὲ δὴ εὐχερῶς ἐθέλοντα παντὸς μαθήματος γεύεσθαι καὶ ἀσμένως ἐπὶ τὸ μανθάνειν ἰόντα καὶ ἀπλήστως ἔχοντα, τοῦτον δ' ἐν δίκῃ φήσομεν φιλόσοφον· qui vero facile ac sponte nullam non disciplinam degustare cupit et placide ad discendum procedit nec satiari discendo potest, hunc demum jure philosophum dicemus.*» 2)

1) *Initia.* p. 75, 76.

2) *De Rep.* V. 475. C.

Memorarunt hanc sententiam Platonis quam plurimi veterum, nec poëtae inde tantum, quos diximus, sed philosophi etiam profecerunt; pauci vero omni aetate fuerunt, qui idem illud placitum ad liberaliter instituendos juvenes, nedum ad naturalem demonstrandam artium conjunctionem cognationemque adhiberent. Fecit autem Cicero, atque ita fecit, ut suâ ipse sponte in Platonis vestigiis procedere videretur. Fingens ille similiter, ut Plato *philosophos*, ita ipse *oratores perfectos*, pariter in iis et hunc ardorem amoris et nullius non artis doctrinaeque studium postulabat. Nec mirum. Quod ab aliis exigebat, ipse praestabat, quippe ipse naturâ hoc erat ingenio, ut, quidquid in artibus pulcrum esset et praeclarum, prorsus ut Plato vult, susciperet avide. Quod Plutarchum, optimum illum sane ingeniorum exploratorem et judicem, non latuit, qui in naturam adeo Ciceronis Platonicum placitum accommodat. Fuit ille, ait, *ὥσπερ ὁ Πλάτων ἀξιοῖ τὴν φιλομαθῆ καὶ φιλόσοφον φύσιν, οἷος ἀσπάζεσθαι πᾶν μάθημα, καὶ μηδὲν λόγου μηδὲ παιδείας ἀτιμάζειν εἶδος· fuit, qualem esse Plato vult studiosam et philosopham indolem, ad omnes natus disciplinas complectendas, nec ullum contemnens sive doctrinae, sive eruditionis genus.* 1) Nos vero quo diligentius Ciceronis studia totamque vitam persequimur, eo interius nobis videmur Platonicae sententiae vim assequi. Quamobrem de hoc paullisper excurrere, si minus perfecto philosopho, principe certe Romanorum et philosopho et oratore, non abs re sit hoc loco. Et vero scriptis ipse suis idem Cicero, si quis alius sive antiqui sive recentioris aevi Platonis interpres, et hoc et cognata placita elegantissime diligentissimeque explicuit: quod nos profecto in primis decet attendere.

Sit igitur ita, ut omnes fatentur: haud fuerit Cicero eâ ad philosophandum indole, qua Plato, qua Aristoteles, qua praecipue Socrates fuit, nec possit cum hisce, quod merita in philosophiam attinet, comparari, qui omnino incomparabiles sunt. Est tamen quod dubitemus, an ullus fuerit apud antiquos, non dico orator, sed ne philosophus quidem, qui *philosophandi ardorem*, qui *insatiabile* illud, quod Plato vocat, *discendi studium* et vitâ et scriptis prodiderit magis. Non tantum a puero nullis non doctrinis, quae ad humanitatem pertinent, operam navavit, a poësi orsus, ut Plato et maximi quique viri; sed, quamvis Romanus, quamvis caussis dicendis, magistratibus obeundis rebusque gerundis destinatus, quamvis etiam civium suorum studiis, aversis a philosophia, retentus Romae, nullam praetermisit per vitam totam opportunitatem, qua excurreret in Graeciam et quicquid illic in scholis philosophorum germanae philosophiae superesset, cupide animo exhauriret. Nec vero hoc insitum discendi studium praesentis aetatis philosophis audiendis

1) Plut. *vita Cic.* c. 2.

legendisque explebat, ut ipsius fere aequales solebant: antiquos anquirebat, Platonem, Aristotelem priscosque Academicos et Peripateticos, quibus unice legendis meditandisque et Socraticâ degustandâ philosophiâ, totum explere animum liceret. Itaque sive ille Athenis sive etiam Romae degeret, nullum appetebat voluptatum genus ardentius, quam quod studiis literarum et philosophiae commendaretur: Athenis autem, ut ipse haud obscure in dialogis significavit, illa lubentissime loca repetebat, in quibus fuerant antiqui illi versati olim, Academiam praecipue, ubi *hortuli illi ipsum ei Platonem quasi in conspectu ponebant.* 1) Diximus paullo ante, principatum eum apud Romanos in eloquentia, uti apud Graecos Demosthenem, philosophiae potissimum studiis debuisse. Sed hoc omnium artium, quae ad humanitatem pertinent, insatiabili ardore, non quidem superasse in eloquentia Demosthenem, sed ab eo se distinxisse videtur. Nam factum ita est, ut, prouti princeps Atticorum oratorum Socraticam rationem dicendo expresserat, ita Cicero optimos quosque antiquitatis philosophos, quique post Platonem fuerant, animo complexus, universam philosophiam in eloquentiam conferret; Platonem autem non dicendo tantum sed scribendis etiam libris exprimeret. Vix erat nobilis in Graecorum philosophia locus, quin eam e clarissimorum philosophorum placitis diligenter docteque et vero diserte explicaret: quod libri testantur, quos multos et varios de philosophia scripsit, quibusque, ipsius commendandae philosophiae caussâ, Hortensium praemisit. 2) Quodsi, quam Plutarchus in eo animadvertit, indolem philosopham, velimus totam perspicere, illi nobis oratoris legendi sunt libri, quos non senescens, ut illos, sed vigente aetate, quos eo tempore, *quo ipsa reipublicae gubernacula tenebat,* 3) de republica, de legibus, praesertim de oratore scripsit. Expressa est in iis philosophia, non scholam redolens aut sectam aliquam philosophorum, sed Aristotelis referens et Platonis ingenium, quod plane in illis spirare videtur. Hos qui legit, legendoque non res tantum, ut vulgo fit, sed formam, sed dialogi rationem, sed vim dicendi, sed philosophiam omnino, quae et ducta ex homine est et ad vitam hominis accommodata tota, haec igitur quicunque una cum rebus attendit diligenter, nae is judicare de Ciceronis ingenio poterit. Defuit ei, fateor, quae admirabilis in Demosthene fuerat, dicendi δεινότης, illa certe defuit singularis plane et Socratica simplicitas ac popularitas, cum copia et gravitate conjuncta, quae capit hominum animos candoris opinione, et aperit eos totos ad nullos non sensus intime suscipiendos: unde incredibilis exstitit, ut diximus, De-

1) Cic. *de Fin.* V. 1. ubi id Pisoni tribuit.
2) *De Fin.* I. 1.
3) *De Divin.* II. 1.

mostheneae orationis persuasio et ad commovendam Graeciam efficacitas. Sed scribere de eloquentia, ut Cicero fecit in libris *de oratore*, in *oratore*, in *Bruto*, e natura philosophiae ducere eloquentiam et hinc informare scribendo perfectum omnibusque numeris absolutum oratorem: hoc Ciceroni agendum reliquit Demosthenes, ipse non fecit. 1) Profecerit hic e Socratica disciplina et lectione Platonis multum ad commovendos non solum, sed etiam emendandos cives optimarumque rerum studio inflammandos, hoc non profecit inde, quod Cicero assecutus est, ut fingeret rempublicam perfectam, sive fictam a Platone civibus suis suaeque reipublicae accommodaret. Illud *oratoris* est: et habuit Demosthenes tantam ad forensem eloquentiam indolem, quantam oratorum, qui unquam fuerunt, facile nemo: hoc vero est *philosophi*. Tantum autem abfuit, ut hoc studium philosophiae Cicero legendis scribendisque libris privatisque sermonibus expleret, ut, quam primum hoc ipsi bonâ cum civium gratiâ liceret, in forum, certe ad tribunal, produxerit philosophiam. Nam priusquam hos scripserat libros, cum floreret ingenio maxime et pectus haberet Platonis refertum, dixit ad judices pro Archia poëta: qua oratione ut nihil unquam peperit forensis eloquentia limatius, elegantius, ipsam urbanitatem Atticam spirans magis, ita nullum exstat Ciceronis scriptum, quo et prodiderit magis indolem suam ad philosophiam, et philosophiae Platonicae vim, ubertatem, cum omni humanitate conjunctionem, expresserit plenius. Legimus nos hanc orationem a tenera aetate et edidicimus ferme, et sic sunt sententiae, quibus abundat, pervulgatae, ut vix eas soleamus attendere. Quodsi quis recens a Platonis, a Phaedri praecipue dialogi lectione, subito in illam inciderit, legeritque eam, non ut tritam puerili institutione declamationem, sed ut *orationem*, ut eam Ciceronis orationem, qua primum ille, quae tamdiu continuerat animo aegerrimeque compresserat, publice profunderet tandem, mirer equidem, si is Phaedrum non agnoverit identidem in sententiis cum de *divino poëtarum furore*, tum de *doctrina* et *natura*, illam sine hac valere parum: 2) quibus recte comparantur vulgo Horatiana:

Doctrina sed vim promovet insitam. 3)

et

Naturâ fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est: ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium. 4)

---

1) Plut. *Comp. Dem. et Cic.* c. 1. *Δημοσθένης μὲν εἰς τὸ ῥητορικὸν ἐνέτεινε πᾶν ὅσον εἶχεν ἐκ φύσεως ἢ ἀσκήσεως λόγιον — Κικέρων δὲ καὶ πολυμαθὴς κ. τ. λ.*

2) Cic. *pro Archia* c. 8. Cf *Phaedr.* 354. C.

3) *Carm.* IV. 4. 33.

4) *Ep. ad Pison.* vs. 408.

Nec vero ipse Horatius a studiis Platonis et Socraticorum alienus erat. Hausit hinc idem et aliis hauriendum putavit:

Scribendi recte, sapere est et principium et fons:

Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae. 1)

Sed in Ciceronis oratione, ubi de laudis gloriaeque studio, de literarum amore, de vi horum studiorum ad vitae suavitatem felicitatemque agit, quis est, quin haec legens ipsius Phaedri, alacerrimi juvenis; in literarum studia ardorem agnoscat, atque eodem videat oratorem ardere? Quid de Symposio dicam, quo in primis Plato immortalitatis spem, quae his studiis alitur, expressit? Nonne refert plane divinum sermonem illum haec Ciceronis sententia? *Si nihil animus praesentiret in posterum, et si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, iisdem omnes cogitationes terminaret suas; nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae stimulis concitat atque admonet, non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam.* 2) Non dico, mutuatum haec esse a Platone Ciceronem, ut rhetores solent, quo scilicet ornaret orationem suam; sed a pueris ille captus Platonis amore, sic autem captus, ut, prouti Phaedrus Lysiam, ita ipse Platonem omnibus, qui unquam dixerant scripserantve, anteponeret, *deumque philosophorum* vocaret, sponte in hujus se cogitandi scribendique rationem sic insinuaverat, ut colorem inde inscius in omni scriptione duceret: qui sane color Platonis amantem tum advertit maxime, ubi minime imitari Cicero Platonem videtur. Itaque cum in hac de literis humanitatisque disciplina oratione Platonem expressit suum, tum libris de eloquentia scriptis dialogi usurpavit formam, quippe quae tantopere ipsi in Platone placuerat, tum vero et in his primis, quos scripsit, dialogis et in iis, qui hos consecuti sunt, Phaedrus ipsi dialogus praecipue ob mentem versatus esse videtur. Unde illa continuo: *cur non imitamur, Crasse, Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis?* 3) et *nullum hoc frigidius flumen attigi:* 4) Fibrenum significans, quem cum Ilisso confert: tum vero *quercus* illa, quae nobis platanum refert plane patulis diffusam ramis, quam non tam ipsâ aquulâ, quam Platonis oratione crevisse censebat. 5) Attigimus haec supra; 6) sed iterum viden-

1) *Eod.* vs. 309.
2) Cic. *pro Archia* c. 11.
3) *De Orat.* I. 7.
4) *De Legg.* II. 3.
5) *De Orat.* I. I.
6) *Initia* p. 77.

tur eadem et saepius commemoranda, ut et intelligamus Ciceronem et cum doctrinae fructu legamus, et proficiamus item ab eodem ad interpretandum Platonem. Nam non est philosophi interpres probabilis, nisi cui sit cum eo ingenii quasi cognatio quaedam, ut ipse similiter naturâ et sentiat et judicet et sic ejus mentem totamque philosophiam perspiciat. Sed sive quis in palmariis illis Ciceronis scriptis agnoverit Platonis genium, sive ea cum caeteris ejus scriptis confuderit, id omnes fateantur necesse est, nullam Ciceronis sententiam et magis fuisse omni aevo celebratam et indolem auctoris philosopham declarare evidentius, quam quae est in eadem illa pro Archia oratione, in ipso exordio, ab oratore pronunciata: ***habere omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se contineri.*** Et sic quidem jam eo venimus sponte, quo modo nos memini festinantius procedere. Est autem haec sententia si non enunciata a Platone, ut enunciavit eam his verbis Cicero, sic tamen ducta ex ejus philosophia, ut plane habenda Platonica videatur. 1) Verum, quo magis ejusdem placiti in philosophia pateat auctoritas, quoque nos, quod suscepimus, ut doctrinis ad civitatem regendam informaremus juvenes, perficiamus facilius, paullo juvat uberius de gravissimo argumento inquirere.

De communi artium et doctrinarum vinculo et quasi cognatione.

Artes et doctrinae quo diligentius cultae sunt, eo plures identidem exstiterunt, quippe aliae ex aliis natae, eoque sunt magis a se invicem distinctae separataeque, ut tandem, quae esset earum mutua conjunctio, lateret plane, quaereretur adeo, num esset, quo continerentur, vinculum. Quamobrem ubi scriptores legimus, qui eas subinde commemorarunt, vel homines etiam de iis loquentes audimus, apparere eorum plerisque videntur ut viae quaedam, quarum aliae sint ab aliis remotiores, propiores aliae, nonnullae contiguae; sed omnes diversae, quippe e suo singulae longeque diverso principio ductae. Et sane, si et institutionem juvenum et hominum vitam consideramus, suam quisque in doctrinis tractandis viam init et persequitur: videantur adeo doctrinarum studiosi in suam quisque quasi tabernam tendere, ubi et vitam transi-

1) Praeiverunt Ciceroni fortasse Graeci post Platonem philosophi; sed latent nos fontes illi, seu rivuli potius, propiores: quos utinam aliquis nobis monstraret, ut monstravit Wyttenbachius de nobili Ciceronis sententia agens: *haec studia adolescentiam alunt.* — Vid. Netscher *disp. de Cic. orat. pro Archia.* Lugd. Bat. 1808 et Wytt. *Philom.* I. 199.

gant et rei studeant familiari et fructum laboris sui hominum societati impertiant: discreti omnes a se invicem, quamquam non ita alieni, quin identidem sibi mutuo opem praestent. Sed quamvis in hac artium doctrinarumque diversitate verum lateat conjunctionis vinculum, conati sunt tamen subinde philosophi, tam apud veteres, quam apud recentiores, qualicunque eas modo secum invicem conjungere. Celebrata est Macedonico aevo *ἐγκυκλοπαιδεία*. Uti enim antiqui fabulas vetustas in *κύκλους* disposuerant, ita nunc placebat, hoc omnium artium doctrinarumque orbe, partibus dispositis omnem continere hominis scientiam, 1) unâ tamen exceptâ philosophiâ, quae honoratiore esse loco ponenda videbatur, nec cum caeteris confundenda. 2) Sed ut erat haec distributio disciplinarum utilitatis caussâ excogitata, quo iis facilius studeretur, ita post multorum decursum saeculorum, exstitit in Britannia Baco Verulamius, qui, qua erat ingenii perspicacitate, antequam in classes distribuerentur doctrinae, singulas et explorandas censuit, ut, quae esset cujusque natura, pateret, et e suis quasque ingenii facultatibus, tanquam fontibus, ducendas. 3) Quod placitum, post Baconem neglectum fere, instauratâ superiore saeculo philosophiâ, mirifice placuit philosophis, praesertim Gallofrancis: quorum principes, auctoribus D'Alemberto et Condillacio, explere Anglici philosophi votum summo ardore studuerunt. Quamquam res non ita cecidit, ut Baco optaverat et ipsi contenderunt. Nam nec satis exploratum fuerat ingenium humanum, ut omnes inde artes doctrinaeque facile ducerentur, ductaeque inde explicarentur rite: et prodierunt e vasto proposito *encyclopaediae*, utilissima sane opera et ad augendas locupletandasque doctrinas aptissima, imo necessaria hodie, sed encyclopaediae tamen, i. e. vocabularia, quibus artes et doctrinae, nisi literarum ordine, nullo continerentur vinculo. Ut unquam in lucem tale proditurum sit opus, quale sibi spe et exspectatione informarunt encyclopaedistae illi, est quod vereamur. Sed quicunque vel hoc vel simile negotium ad summum doctrinarum emolumentum sive nunc meditantur, sive peracturi sunt postea, hos oportebit et Platonem legere, nec sane repudiare Ciceronem. Plato rem totam, ut omnis nos docuit superior disputatio, ab ipsis principiis repetiit. Semper attendebat animum nostrum, ac sive de artibus quaerebatur, quae ad humanitatem pertinent, de musica, de poësi, de pictura, sculptura, caeteris, omnes ex *pulcri* amore, tanquam fonte communi, et naturalibus hominis studiis ac sensibus, ex imitandi studio, ex rhythmi harmoniaeque sensu derivavit: sive quaestio agebatur, quae do-

1) Vid. Quint. *Inst. Or.* I. 10. 1.
2) Plut. *de educat.* p. 7. C. Cff. *Initia* p. 37.
3) Bacon's *Works*. I. 76. VII. 118 et IX. 201. Ed. Lond. 1824.

ctrinas spectaret, quid sit discere? quid docere? ut pulcri illic, ita hîc *veri* in homine amorem exploravit; hîc autem animum proposuit nobis ut gravem naturâ optimis studiis, ut vel ipse per se in pulcro versatus, vel adhibitâ μαιευτικῇ, cum optimis inventis ipsas pareret doctrinas.

Quam communem artium originem attendentes, non possumus non eum percipere Ciceronis effatum tum probare, *contineri eas inter se cognatione quadam.* Nam partae omnes pariter eodem ingenio humano, eodemque pulcri verique amore in lucem editae, quidni nobis et *cognatae* dicantur esse et mutuo sibi omnes in optimarum rerum studiis opem ferre? Ab his orsus principiis, qui artis cujusque et doctrinae naturam, rationem, propositum indagaverit, quod Aristoteles tentavit subtilissime, nae is de artibus et doctrinis ipsoque eorum fonte, ingenio humano, praeclare meruerit. Quodsi quis dubitat, num Cicero haec omnia expresserit oratione, quum pro Archia diceret, fateor, me quoque dubitare, imo existimare potius, usurpatum hoc tum ab eo esse, ut communem sententiam. Veruntamen eundem Ciceronem, eodem tempore, rem totam, ut exposuimus, penitus perspexisse, hoc ipse probavit biennio post, cum, scribere aggressus libros *de oratore*, philosophiam celebraret. Graeco hanc nomine appellabat, quippe originis Graecae et vixdum Latine expressam: quamquam sic eam simul declarabat, ut sapientiae amorem; ut studium rerum optimarum: eandem autem *parentem* vocabat et *procreatricem* artium omnium laudatarum et doctrinarum. 1) Quo plane explicabat, quod illic usurpaverat de earum cognatione, quodque stans pro tribunali, si explicare judicibus et populo sustinuisset, surdis narrasset fabulam. Nos Ciceronis de philosophia sententias initio hujus operis attulimus, 2) quo magis nobis in ipso ingressu pateret Platonicae philosophiae ratio. Nam multa ille expressit disertius, quae minus perspicue enunciaverat Plato. Nunc vero ipsius studium Platonis Ciceronianas illas sententias explicabit evidentius: quod progredientibus nobis deinceps, in primis ubi ad politicam Platonis pervenerimus, identidem patebit magis. Sed hîc nos eadem illa Ciceronis de philosophia effata ad propriam Platonis ducunt et singularem, diversam certe a posterorum studiis, ἐγκυκλοπαιδείαν. Non ille divisit distribuitque artes et doctrinas, ut libros distribuerunt postea, in suam quasque classem, quo scilicet magis in tanta turba ac multitudine ordo exsisteret aliquis; sed habens eas omnes, tanquam ejusdem parentis, unius philosophiae, foetus, quae ipsa omnis sapientiae, omnis cultus et humanitatis studium est et amor, ex hoc amore homini innato, hoc summo principio et fonte

1) Cic. *de Orat.* I. 3.
2) *Initia* p. 36.

omnium rerum praestantissimarum, artes omues ingenuas et doctrinas, tanquam rivulos, derivavit. Quae summi philosophi sententia tum etiam auctoritatem habuit, quum ipsa jam philosophia, quod ait Seneca, quasi concisa in partes esset. 1) Nam hic semper, ut jam memoravi, philosophiae honos habitus est, ut domina haberetur *τῶν ἐγκυκλίων μαθημάτων.* 2)

Nec vero sic tantum ipse sibimet satisfecit Plato, ut rem amplissimam perspiceret totam, omnesque doctrinas ex animo hominis et insito pulcri verique amore, tanquam ex divite vena, per omnem hominum vitam societatemque dimanantes spectaret; sed in ipsius etiam civitatis commodum, si minus proprie sic dictam *ἐγκυκλοπαιδείαν*, *παιδείαν* certe, vero sic nomine dicendam, informavit: nec verbis informavit tantum librisque scribendis, sed reapse ipsam hanc *παιδείαν* generosissimis quibusque ingeniis excolendis adhibens. Unde fructus cepit Graecia longe uberrimos, ut historia nos docet philosophiae et ipse testatus Cicero est, qui inde non minimum profecit. Nam germanos hic laudans Platonis discipulos, Aristotelem et Peripateticos ac priscos etiam Academicos, *ex eorum*, inquit, *scriptis et institutis cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere: ab his oratores, ab his imperatores ac rerum publicarum principes exstiterunt: ut ad minora veniam, mathematici, poëtae, musici, medici denique ex hac, tanquam ex omnium artium officina, profecti sunt.* 3)

Atque ita quidem eo me ducit sponte oratio mea, ut, quod dudum sum de hac sive doctrinarum cognatione, sive *ἐγκυκλοπαιδείᾳ* suspicatus, cum lectoribus communicem. Vel ego fallor, vel est ipsa Platonis philosophia, uti procedit in ejus scriptis atque a nobis hoc ordine explicari coepta est porroque explicabitur, id ipsum, quod quaerimus, *verissima encyclopaedia.* Non memorat ille, ut Baco, *memoriam*, *phantasiam*, *rationem*, e quibus hic mentis facultatibus *historiam* primum, deinde *artes elegantiores*, praecipue *poësin*, tum *philosophiam* duxit: unde *arbor* nescio quae *scientiarum humanarum*, quae vocatur, confecta atque a d'Alemberto multis ramis aucta est. Non ita Plato; sed egit, ut vidimus, de *pulcro* continuo ac de pulcri sensu studioque, quo primum explicatur ingenium hominis: effloruerunt autem inde in ejus scriptis pulcerrimae de musica, poësi caeterisque artibus elegantioribus disquisitiones. A pulcro deinde, ut item jam animadvertimus, ad *verum* pro-

1) Sen. *Ep.* 89. 90.
2) *Initia* p. 37. inf. Cf. Senec. *Ep.* 88.
3) Cic. *de Fin.* V. 3.

cessit, monstravitque in dialecticis dialogis, quibus studiis, quibus mentis facultatibus, quibus disciplinis, qua in primis methodo ad verum sit perveniendum. Successerunt his dialogis politici, in quibus de *justo* egit deque virtutibus, quae ad vitam recte degendam apteque administrandam civitatem requiruntur. Est haec plane ingenii humani progressio, cujus apud Baconem et Encyclopaedistas nulla habetur ratio. Nam praeparant nos artes, ut rite possimus gravioribus disciplinis operam navare, atque his instituti et quasi nutriti ac corroborati, sic demum possumus in rebus civilibus apte consulere civibus nostris. Ut autem ille scribendo, sponte sic suâ, naturae viam et progressionem secutus est, ita in erudiendis juvenibus, quos summis in re publica honoribus destinabat, datâ operâ primum de sensibus studiisque ac facultatibus disquisivit, quibus puerilis aetas insignis est, indeque naturam *artium* earumque et rationem et propositum repetiit atque illustravit: tum vero excultos hos puerili institutione, disciplinis erudituros, e provectioris aetatis studiis facultatibusque et veri in primis amore, *disciplinarum* pariter et *doctrinarum* naturam, rationem propositumque effecit: tandemque, ut, quid ipsis esset aliquando in civitate agendum, declararet, de maturi hominis in civitate officiis virtutibusque quaesivit, quo doctrinarum gravissimarum, quae justum spectant, *moralium*, ut nobis dicuntur, et *politicarum* vim et rationem effecit. Nescio, quid alii sentiant; mihi quidem, haec consideranti, ordineque legenti saepius totum Platonem, subjici quasi oculis videtur, non arbor scientiarum, quae scholam redolet, sed *encyclopaedia*, sed ejusmodi encyclopaedia, qua et artium universe ac doctrinarum discrimen et utrarumque singularum natura et propositum atque omnis illarum quasi *orbis* exponuntur, docemurque simul, quod quaerere omnes, qui artes doctrinasque tractant, primum maximeque debent, quae justa per illas hominis *παιδεία* sit, ut in civitate sua sic vivat agatque aliquando, uti et civem bonum ac custodem et perfectum civitatis gubernatorem decet. — Late hoc argumentum patet, et, siquando his disquisitionibus totam fuerimus Platonis philosophiam complexi, sponte sua lectores hanc sive encyclopaediam sive philosophiam nostris temporibus accommodabunt; sed hîc rem adumbrasse, ad eamque philosophorum studia convertisse sufficiat.

Ergo, quaenam sit, quam exquirimus, philosopha natura, quodque esse et quale videatur artium omnium et disciplinarum commune vinculum, ut Socratis nos docuerunt cum Adimanto sermones, ita Ciceronis illustravit exemplum, qui tam vita studiisque quam scriptis Platonis philosophiam comprobavit. Nec mirabitur jam quisquam, cuicunque insit indoles haecce, omnium eidem inesse artium doctrinarumque amorem, ut, nullâ contemtâ, suo singulas honore habeat, universis adeo perlubenter studeat. Nam cum omnes fluxerint ex optimis optimorum inge-

niorum studiis, non possunt non illi amicae esse et acceptissimae, dixerim fere, per cognationem carissimae, quippe qui ipse earum studio naturâ ducatur. Unde stupendi explicantur illorum in doctrinis progressus, qui naturâ sunt philosophi. Sed indole descriptâ juvenum, quos erudiendos suscepimus, quo evidentius etiam nobis et vis hujus indolis pateat, et ratio doctrinarum, quibus operam debebunt navare, et ipsius adeo philosophiae, cui se totos tradituri sunt, propositum summum, age, discernamus ab iis, quotquot ipsorum similes sint, nec tamen dici philosophi possint: distinguamus in primis a vulgi *opinionibus* rerum *scientiam*, quo unice contendendum est philosopho: quaeramus omnino id, quod supra deinceps esse explorandum diximus:

Quinam proprie philosophi sunt dicendi?

Nam sunt sane permulti, qui speciem referunt philosophorum: quos memorans in iisdem sermonibus Adimantus « ridiculum genus hominum, ait, si in philosophis censeantur. Nil non spectare, nil non audire avent: in festis discurrunt in omnes partes, et, quasi auribus ad audiendum elocatis, nulli sunt chori sive urbium sive pagorum, quibus non adstent exauditurі. Hos igitur mortalium levissimos nos, o Socrates, quippe cupidos studiososque cognoscendi, *philosophos* dicemus? Equidem φιληκόους appellem istos et φιλοθεάμονας· φιλοσόφους non appellem. » Ad quae adolescentis dicta sic Socrates: « hos ego homines, inquit, nequaquam appello philosophos, sed philosophorum similes. — Τοὺς τῆς ἀληθείας φιλοθεάμονας· *illos voco, qui spectare veritatem amant.* » 1) Praeclara sententia, cujus hoc in sermone, hoc loco, mira est vis et auctoritas. Qua tamen non satis contentus Adimantus rem cupit fusius explicari. « Recte quidem istud, inquit, sed quo id modo explices? Tum Socrates, haud facile quidem, respondet, id alii explicem; sed te mihi puto hoc continuo daturum. — Quid istud? — Cum turpi contrarium sit pulcrum, duo illa esse. — Quidni? — Quodsi duo sunt, unum esse utrumque. — Et hoc tibi do. — Esse autem eandem justi et injusti, boni et mali, omnium idearum rationem, ipsum quidem quodlibet unum esse, communione vero cum actionibus, cum rebus corporeis et secum invicem, quae ubivis apparent varia specie, non unum singula, sed plura videri. — Recte dicis. — Hac equidem ratione distinguo, illos secernens, quos modo memorasti, spectaculorum artiumque amatores atque in rebus agendis versatos, tum hos, de quibus nunc sermo est, quos solos rite vocaveris φιλοσόφους. — Qua illud ratione definis? — Qui φιλήκοοι sunt et φιλοθεάμονες, qui

1) *De Rep.* V. 475 D. E.

omnia spectare et audire cupiunt, pulcris hi et vocibus et coloribus et formis capiuntur, rebusque omnibus, quae ex his sunt confectae; *αὐτοῦ δὲ τοῦ καλοῦ ἀδύνατος αὐτῶν ἡ διάνοια τὴν φύσιν ἰδεῖν τε καὶ ἀσπάσασθαι· ipsius vero pulcri videre amplectique naturam nullo modo eorum mens potest.* — Sic sane se res habet. — *Οἱ δὲ δὴ ἐπ' αὐτὸ τὸ καλὸν δυνατοὶ ἰέναι τε καὶ ὁρᾷν καθ' αὑτὸ, ἆρα οὐ σπάνιοι ἂν εἶεν; qui vero possint ad ipsum pulcrum procedere illudque ipsum per se videre, nonne rari hi sint?»* 1) Hic Socrates accuratiorem instituit de opinione et scientia disputationem, ut efficiat, scientiam spectare ea, quae *sunt*, opinionem vero illa, quae non sunt, sed *videntur* esse: qua ad finem perducta «his igitur suppositis, inquit, *λεγέτω μοι, φήσω, καὶ ἀποκρινέσθω ὁ χρησὸς ἐκεῖνος, ὁ φιλοθεάμων,* 2) *ὃς αὐτὸ μὲν καλὸν καὶ ἰδέαν τινὰ αὐτοῦ κάλλους μηδεμίαν ἡγεῖται ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως ἔχουσαν, πολλὰ δὲ τὰ καλὰ νομίζει, καὶ οὐδαμῇ ἀνεχόμενος ἄν τις ἓν τὸ καλὸν φῇ εἶναι καὶ δίκαιον καὶ τἄλλα οὕτω· τούτων γὰρ δὴ, ὦ ἄριστε, φήσομεν, τῶν πολλῶν καλῶν μῶν τι ἔστιν ὃ οὐκ αἰσχρὸν φανήσεται, καὶ τῶν δικαίων, ὃ οὐκ ἄδικον, καὶ τῶν ὁσίων, ὃ οὐκ ἀνόσιον; Οὔκ, ἀλλ' ἀνάγκη, ἔφη, καὶ καλά πως αὐτὰ καὶ αἰσχρὰ φανῆναι, καὶ ὅσα ἄλλα ἐρωτᾷς· dicat mihi, quaeram, et respondeat bonus ille spectandi cupidus, qui nec pulcrum ipsum esse nec ideam quandam ipsius pulcritudinis semper se eadem ratione habentem, multa vero esse pulcra putat, nec ferre ullo modo potest, si quis unum esse pulcrum, unum justum, atque ita esse caetera dicat: horum igitur pulcrorum, dic sodes, sic illum percontabimur, estne aliquid pulcrorum, quod non turpe, et justorum, quod non injustum, et sanctorum, quod non profanum videbitur? — Non sane, sed necesse est, ut pulcra illa quodammodo et quae alia quaeris videantur.»* 3) Unde hoc ducit tandem: «qui igitur multas res pulcras spectant, ipsum vero pulcrum nec vident nec monstrantem sequi possunt, et multas similiter res justas percipiunt, ipsum vero justum non item, et caetera sic omnia, opinari hos dicemus, cognoscere vero eorum, quae opinantur, nihil. — Necesse est. — Quid vero illos, qui ipsa contemplantur singula, quaeque semper eodem se modo sine ulla mutatione habent, nonne cognoscere potius,

---

1) *De Rep.* V. 476 A. B.

2) Legitur vulgo — *ἀποκρινέσθω ὁ χρηστὸς, ὃς αὐτὸ* — *νομίζει ἐκεῖνος ὁ φιλοθεάμων, καὶ* — in quibus redundant prorsus *ἐκεῖνος ὁ φιλοθεάμων*, quae Astius iccirco, ut non Platonica, uncis inclusit. Sed sunt, opinor, Platonis, nec abesse ab hac disputatione debent, modo suo reponantur loco, i. e. post *ὁ χρηστὸς*, ut et scripsimus et vertimus. Cf. 475 D. E.

3) *De Rep.* V. 479 A. B.

quam opinari? — Et hoc necesse est. — Nonne igitur complecti et amare hos dicemus ea, in quibus cognitio, illos vero, in quibus opinio versatur: nonne enim reminiscimur, dixisse nos, illos et vocibus et coloribus et rebus similibus capi iisque delectari unice, ipsum vero pulcrum ne ferre quidem, si quis esse contendat? — Recordamur. — *Μὴ οὖν τι πλημμελήσομεν φιλοδόξους καλοῦντες αὐτοὺς μᾶλλον ἢ φιλοσόφους; num igitur aberraverimus a vero, o p i n i o n i s illos magis, quam s a p i e n t i a e amicos appellantes?* — Atqui irascentur nobis vehementer, si hoc dixerimus. — Non facient, siquidem mihi pareant: nam veritati irasci non licet.» 1)

«Ergo si a caeteris omnibus distinguere philosophos velimus, hoc teneamus, ait Socrates, amare eos disciplinam perpetuo, qua ipsis natura rerum certa et constans, nec generatione aut corruptione mutata, patefiat: et vero amare eos illam totam, neque ab ejus parte sive parva sive majore, sive viliore sive honoratiore sponte abstinere, prout in superioribus de amantibus et ambitiosis diximus. Hoc autem praeterea vide, num quid necesse sit naturae eorum inesse, qui tales futuri sint, quales narravimus? — Quale istud? — Ut a mendacio alieni sint, illudque nullo modo accipiant, sed oderint, veritatem vero diligant. — Probabile est. — Non solum probabile est, o amice, sed plane necessarium, eum, qui naturâ aliquid diligat, quidquid amato cognatum sit ac familiare, simul diligere. — Recte. — Num sapientiae quid invenias familiarius, quam veritatem? — Quo tandem modo? — Fierine igitur potest, ut eadem natura φιλόσοφος sit et φιλοψευδής; sapientiam amet et mendacium? — Non potest. — Ergo discendi cupidus, necesse est, ut a puero inde omnem veritatem vehementer appetat. — Prorsus. — Atqui apud quem cupiditates in certum quoddam vehementer tendunt, scimus, eas in alia omnia lentius procedere, ut flumen illuc derivatum. — Quidni? — Apud quem igitur ad disciplinas et similia omnia proruunt, ipsius spectant animi voluptatem, corporis non spectant: siquidem non falso quis sit, sed vere philosophus. — Summopere necesse est. — Temperans igitur talis homo erit minimeque pecuniae cupidus: cujus enim gratiâ vulgo et acquirendis et expendendis pecuniis studetur, id studere alium quemvis magis, quam illum, deceat. — Omnino. — Et vero id etiam considerare oportet, si discernere philosopham naturam ab ea, quae non sit, velis. 2) — Quid tandem? — Ne fugiat te, illiberalitatis eam esse participem: pusillanimitate enim nihil magis contrarium animo est, qui res omnes divinas et humanas totas studet amplecti. — Nihil profecto. — Cui vero menti magnanimitas propria est omnísque temporis

1) *De Rep.* V. 480. A.

2) Astius p. 535 pro φύσιν φιλόσοφον scripsit φιλοσόφου, ut vertit Ficinus; mihi vulgata lectio, quippe unice Platonica, servanda videtur.

et veritatis contemplatio, fierine posse putas, ut huic magni quid esse videatur vita humana? 1) — Non sane. — Ergo mortem is rem terribilem non existimabit. — Minime. — Ignavae scilicet et illiberali naturae nihil esse potest cum vera philosophia commune. — Nihil. — Quid vero? vir temperans, non quaestui deditus, non illiberalis, non superbus, non timidus, num in commerciis difficilis erit aut injustus? — Nullo modo. — Quin etiam cum discernere cupies, quae indoles philosopha sit quaeque non sit, statim a teneris explorabis, utrum justa sit et placida, an iniqua et agrestis. — Omnino. — Neque hoc, ut arbitror, praetermittes. — Quidnam? — Utrum facile quis discat, an difficulter: num censes, quemquam illud unquam diligere, quod cum aggrediatur, summa difficultate agat, ut vix tandem aliquantillum proficiat? — Nunquam profecto. — Quid? si nihil servet eorum, quae discit, oblivionis quippe plenus, fierine potest, ut non sit scientiâ vacuus? — Quo tandem id modo? — Cum vero irritus illi sit labor omnis, nonne cogetur tandem semetipsum et haec studia odisse? — Quidni? — Obliviosam igitur mentem in vere philosophis nequaquam censeamus; memorem esse oportet. — Oportet. — Animum vero a gratia et decoro alienum alione putas tendere, quam ad ἀμετρίαν; — Non sane. — Veritatem autem ἀμετρίᾳ cognatam censes, an ἐμμετρίᾳ; — Ἐμμετρίᾳ. — Ἔμμετρον igitur animum et εὔχαριν illi praeter caetera naturam quaeramus, quae suâ ipsa vi ad ideam cujusque quod verum est tendat.» 2)

Hanc Socratis apud Platonem de philosophis disceptationem apponendam totam censuimus, quo eos accuratius a caeteris cognoscendi cupidis distingueremus, tum etiam ipsarum, quibus erudiendi erunt, disciplinarum causså. Nam, quod supra monuimus, hoc item positum in veterum more fuit, ut non abstracte, quod vocant, de rebus agerent, sed rerum hominumque conjunctam instituerent disquisitionem. 3) Itaque et Cicero et Quintilianus et horum quique simillimi, quum agebant de dicendi arte, non hanc explicuerunt tantum, sed juvenum simul, quibus esset tradenda, ingenia explorabant; Cicero autem, Platonis instar, adolescentes adeo in dialogis induxit, quorum studia, mores, animi candor et generositas non placent tantum mirifice legentibus, sed quale sit quantumque oratoris munus, e suo ipsi ingenio augurandum praebent. Et sic quidem nunc nobis ex praeclara hac apud Platonem ingeniorum descriptione, quae naturâ philosophiae sint convenientia, disciplinarum item ipsiusque adeo philosophiae vis et propositum evidentius patent. Quod Socrates,

1) In his etiam vulgatam secutus sum eamque recte exprimere vertendo conatus sum. Cf. Ast. l. l.

2) *De Rep.* VI. 485. A. — 486 D.

3) *Initia* p. 199 et 94.

his dictis, ipse animadvertit. «Ἔστιν οὖν ὅπῃ μέμψῃ τοιοῦτον ἐπιτήδευμα, ὃ μήποτ' ἄν τις οἷός τε γένοιτο ἱκανῶς ἐπιτηδεῦσαι, εἰ μὴ φύσει εἴη μνήμων, εὐμαθής, μεγαλοπρεπής, εὔχαρις, φίλος τε καὶ ξυγγενὴς ἀληθείας, δικαιοσύνης, ἀνδρίας, σωφροσύνης; — Ne Momus quidem ipse hujusmodi quid carperet.» 1) Sed quo plenius nos ita, qnid in philosophia summum sit, quoque ducere disciplinae hominem debeant, cognovimus, eo facilius nunc exquiremus porro, quod in primis nobis explorandum sumsimus:

Quibus maxime disciplinis juvenes erudiri oportet, qui nati sunt ad philosophiam?

Sunt omnino erudiendis juvenum nostrorum ingeniis disciplinae necessariae. Nam quaesivimus quidem, quinam maxime naturâ essent philosophi, sponteque et sapientiam amarent et una cum ea artes omnes et doctrinas, quae tendunt ad ipsam: iidemque, hoc ducti amore, ipsi fortasse per se disciplinas inveniant, quibus tanquam adminiculis innitentes, ad sapientiae arcem tendant et perveniant. Sed restingui hic amor potest perversis studiis, illa aetate praesertim, qua subnascitur in animis nec viget satis, ut semet ipse alat: sic reapse perit ille in multis et una cum eo omnis cognoscendi facultas, ut utriusque in tota deinceps vita vix ullum vestigium appareat. Ergo quacunque sunt et quamvis praestanti indole, utendum disciplinis est, quibus naturae succurratur. Hae vero quaenam maxime sint, diligentius jam indagandum.

De arithmetica.

«In musica et gymnastica, ait Socrates in iisdem his cum Glaucone et Adimanto sermonibus, haud reperiuntur, quas quaerimus, disciplinae, minus etiam in artibus illiberalibus: fortasse sint extra illas. Sed age, cum nihildum ab his diversi mentem subeat, sumamus aliquid eorum, quae omnibus sunt communia. Tum Glauco, quale istud? quaerit. Cui Socrates, veluti hoc commune, inquit, quo omnes utuntur et artes et cogitationes et scientiae, quod etiam cuivis necesse estut primum discat. — Quale vero istud tandem? — Vile hocce, inquit, unum et duo et tria dignoscere: dico autem universe *numerum* et *supputationem*. Nonne enim sic se res habet, ut omnis et ars et doctrina eorum necessario particeps sit? — Omnino.» Hîc Socrates miratur antiquam de Palamede traditionem, in tragoediis obviam, illum fuisse, qui numeros inveniret. «Quasi, inquit, ante Palamedem nec ordines in acie collocare Agamemnon, nec naves supputare potuisset, nec vero ipse, quot haberet

1) *De Rep.* VI. 487. A.

pedes, scivisset. — Ridiculus profecto exercitus dux, si illud esset verum! — Estne igitur quod virum militarem magis oporteat cognoscere, quam numerare et supputare? — Non est, inquit Glauco, si minimam habiturus sit aciei instruendae facultatem, omninoque, si vel *homo* sit futurus. Cui Socrates, reputasne tu, inquit, idem de hac disciplina, quod ego? — Quid tandem? — *Κινδυνεύει τῶν πρὸς τὴν νόησιν ἀγόντων φύσει εἶναι ὃ ζητοῦμεν, χρῆσθαι δ' οὐδεὶς αὐτῷ ὀρθῶς, ἑλκτικῷ ὄντι παντάπασι πρὸς οὐσίαν.* » 1) Id vero nec Glauco intelligit continuo, nec Socrates declarare nisi subtiliore disputatione potest; nos vero quo aptius pleniusque cum intelligamus, tum totum animo percipiamus, tum etiam, quae deinceps Socrates de geometria, de astronomia, de harmonia et dialectica dicturus est, assequi possimus, rem repetere paullo altius et attendere hoc loco Pythagoreorum doctrinam oportet.

Orientalium gentium, quibus Graeci debuerunt multa, quamvis ut barbaras spreverunt eas fere, admirabilis quaedam fuit non philosophandi, sed *inveniendi* solertia. Invenerunt autem illa potissimum, quae ad vitae usum pertinerent, tum eorum etiam initia, quae artibus deinde et doctrinis utiliter adhibita sunt. Quae qualia fuerint, facile assequimur, ubi haec ipsa, quae illis debuerunt Graeci, nosque item postea ab iisdem accepimus, reputamus. In his ut literae sunt, quaeque agriculturam artesque mechanicas spectant, ita annus est solaris sive temporis supputandi vera ratio, cujus inventi permagnam esse in omni vitae usu et oeconomia vim et efficacitatem, res ipsa loquitur. Nos vero tantos facere, quantos fecimus, in mathematicis, in astronomia, in mechanica et navigatione progressus, quo unquam modo potuissemus, nisi per Arabes accepissemus ex Oriente numerorum notas, algebraïcam rationem, acum nauticam, alia multa? Graecis non defuit quidem inveniendi sagacitas, sed *philosophari* in primis de nullis non rebus placuit. Arithmeticam et geometricam non, ut antiquitus Aegyptii et postea Romani, 2) numerandi metiendique utilitate censuerunt, sed numeros ad Deum, ad animum, ad tempus sibi repraesentandum rerumque initia explicanda adhibuerunt; astronomiam vero, quam observando Orientales ad vitae usum apte tractarant, philosophicis complexi sunt contemplationibus. Ordinem, ut hoc utar, in sideribus, in planetarum motibus et cometarum, quum non cernerent oculis, sed desiderarent tamen requirerentque mente, hunc igitur ingenio fingentes *harmoniam* vocarunt, ductâ a musica comparatione, in qua rerum, quamvis dissimilium atque, ut videtur, contrariarum, est tamen concordia, concentus,

---

1) *De Rep.* VII. 521. D. — 523. A.

2) Cic. *Tusc. Q.* I. 2.

ordo. Nati erant ad philosophiam Graeci, quoque ardebant inquirendi studio, haud cessabant philosophando, donec rerum caussas sive veras reperissent sive finxissent probabiles. Quibus quis animadversis fortasse efficiat, ut sapienti proposito has doctrinas coluerint Orientales, nosque colamus hodie, eorum secuti exemplum, sic Graecos evolasse temere, spectasse quod placeret, quod vero utile esset hominibus hominumque societati neglexisse. Cui ego sententiae haud facile assentiar. Utilitatem, fateor; non spectarunt continuo, quae vitâ commode apteque transigendâ cernitur: quamquam in ipsis illis de universo fictionibus haud defuerunt, quae Copernico et Newtono viam possent indicare, qua ad summum vitae nostrae emolumentum astronomiam tractarent. Sed, fateor, non spectarunt haec Pythagorei; veruntamen non unum est utilitatis genus: est illud etiam, haud sane contemnendum, quod non ad res, sed ad hominem pertinet, quod hominis erudiendo excolendoque ingenio continetur. Nos geometriam non metiendi tantum caussâ tractamus, sed puerorum adhibemus institutioni: cujus studii quae sit et quanta utilitas, et cernimus quotidie et ipsi sumus a teneris experti. Id autem Graecis debemus: non Euclidi, quamquam hujus Στοιχεῖα eo valuerunt plurimum; sed Pythagoreis, qui auctores hujus studii institutique habendi sunt, tum vero Platoni. Sint igitur illi de rebus physicis sic philosophati, ut risum excitent, nec immerito, physicis nostris: hanc iidem ex geometria artibusque mathematicis utilitatem vitae hominum et societati conciliarunt, qua omnes, ipsi maxime physici, negant majorem esse ullam. Quae sane perquam sunt nobis in his, quae tractamus, tenenda. Nam quantum *inveniendo* Graecos Orientales, tantum Graeci superarunt Orientales omnesque populos cum *philosophando*, tum adhibendâ philosophiâ ad acuenda excolendaque hominum ingenia. Nos autem ita maximos fecimus in gravissimis doctrinis progressus, ut proficere ex utrorumque inventis studiisque ad veram vitae utilitatem studiosissime tentaverimus. Et sic quidem procedimus eo, ut memoratam explicemus Platonis sententiam, esse numerorum μάθημα in iis censendum disciplinis, quae ad νόησιν adducant mentem, quippe ἑλκτικὸν πρὸς οὐσίαν. Sed ipsam attendamus hujus disciplinae naturam.

In omni studiorum genere, si a mathematicis discesseris, quid verum sit, conjicimus, augnramur, assequi studemus; assecutos vero nos esse, non facile contenderimus: eumque laudare maxime solemus, qui minimam tribuit conjecturis suis auctoritatem. In arithmetica vero et geometria vera sunt omnia, nullus relinquitur probabilitati, ut in rebus incertis, locus: isque maxime excludendus mathematicorum choro videtur, qui pro vero se verisimilitudine ait esse contentum. Exstant in alia quavis disciplina, quibus intimo animo fidem habeamus, in rebus mo-

ralibus, in caussis religionis gravissimis sic nobis persuademus omnia, ut dubitare de iis haud licere videatur homini. Veruntamen sunt, qui dubitent, sunt qui justitiam rem esse inanem contendant, qui Deum esse et providentiam divinam negent, sunt qui haec nobis persuadere idoneis rationibus nitantur. In rebus vero mathematicis non tantum vera sunt omnia, sed, quin sint vera, nemo est qui dubitet: quo fit, ut, cum plenae sint controversiarum caeterae doctrinae omnes, hae solae omni aevo earum fuerint immunes. Scilicet natura haec est arithmeticae et matheseos, ut menti sint humanae propriae et veritati cognatae: sic autem illae sunt homini propriae, ut qui eas non teneat, quod modo Glauco dixit, *homo non sit putandus.* Quamobrem quo quis est indole veritatis amantior, eo et diligit has magis, et magis per earum studium ad veritatem enititur. Id Plato spectavit, quum *trahere* haec studia ad veritatem, *ἑλκτικά* esse *πρὸς οὐσίαν* diceret. Sed alia spectavit idem, illud praesertim, ad discernendum in primis et judicandum mentem acui arithmeticâ. In quibus omnibus a Pythagoreis profecisse multum videtur, sed suum tamen iter secutus est: quod comparatione institutâ facile demonstratur.

De numeris Pythagoreorum omni aevo gravissimae fuerunt interpretum dissensiones, quorum alii haec placita, ut aegri capitis somnia, contemserunt, alii et major quidem pars fontem habuerunt reconditae cujusdam et quamvis vix perviae, summae tamen sapientiae. His relinquimus nos libenter, ut in haec sapientiae penetralia interius penetrent, et nobiscum, si qua repererint, communicent; sed quaerentes, quo maxime consilio tam diligenter illi numeros eorumque rationes attenderint, haud sane illis assentiri possumus, qui eos vana omnia et inania somniasse affirmant. Idem videntur in his omnibus spectavisse, quod spectavit deinde Plato, ut haberent, quo veri desiderium explerent suum et rerum scientiam assequerentur: quamquam his finibus se non continuerunt. Numeros non adhibuerunt veritatis sibi repraesentandae caussâ, sed potiore eos loco, quam ipsas res, videntur habuisse, ut res, *τὰ ὄντα*, numerorum esse imagines, numeros earum *τύπους* existimarent. Quod probabiliter demonstravit sive Aristoteles, sive is, qui e scriptis Aristotelis primum confecit Metaphysicorum librum, qui ejus nomine inscribitur. Nam postquam Ionicorum laudavit in exquirendis rerum caussis conatus « Pythagorei, ait, *τῶν μαθημάτων ἁψάμενοι πρῶτον, ταῦτα προῆγον, καὶ ἐντραφέντες ἐν αὐτοῖς, τὰς τούτων ἀρχὰς τῶν ὄντων ἀρχὰς ᾠήθησαν εἶναι πάντων· ἐπεὶ δὲ τούτων οἱ ἀριθμοὶ φύσει πρῶτοι, ἐν δὲ τοῖς ἀριθμοῖς ἐδόκουν θεωρεῖν ὁμοιώματα πολλὰ τοῖς οὖσι καὶ γιγνομένοις μᾶλλον ἢ ἐν πυρὶ καὶ γῇ καὶ ὕδατι, — ἔτι δὲ καὶ τῶν ἁρμονικῶν ἐν ἀριθμοῖς ὁρῶντες, καὶ τὰ πάθη καὶ τοὺς λόγους, ἐπειδὴ τὰ μὲν ἄλλα τοῖς ἀριθμοῖς ἐφαίνετο τὴν φύσιν ἀφωμοιῶσθαι πᾶσιν, οἱ*

δὲ ἀριθμοὶ πάσης τῆς φύσεως πρῶτοι, τὰ τῶν ἀριθμῶν στοιχεῖα, τῶν ὄντων στοιχεῖα πάντων εἶναι ὑπέλαβον.» 1)

Ab his illi principiis orsi, quaecunque ipsis occurrebant non sensibus percipienda, sed *ὄντα* tamen, bis vel numerum vel certam numerorum rationem, proportionem, *πάθος* omnino, tanquam typum, adscribebant. Quocirca, ut affirmat idem scriptor, aliis significarunt sive numeris sive rationibus justitiam, aliis animum, aliis tempus. Accedebant numerorum proportiones, *ἁρμονικά*, quibus rerum ipsiusque universi naturam et commutationes explicabant. Unde intelligitur, quantum obscuritatis contrahere debuerit eorum doctrina: quam fuerit posteris facile, qui ignorarent doctrinae propositum, speciem vulgo ostentare reconditae sapientiae: quam item nobis sit difficile, imo vero superet plane facultatem nostram, lumen adhibere tenebris istis. Nam optimo proposito Pythagorei cum optimam quaerendi rationem instituere conarentur, in ipso viae ingressu numerorum veritate capti, eosque sectantes unice, in devia deflexerunt et absurda omnia, tandemque sic votis exciderunt, ut numeros pro rebus, pro veritate speciem inanem, pro sapientiae luce mysticae philosophiae nebulas consequerentur.

Platonem pariter numeris tribuisse multum et plus adeo, quam ipsius philosophiam deceret, omnes et sciunt et aegre ferunt, qui ejus scripta, in primis Timaeum, legerunt. Nec tamen secutus est ille plane Pythagoreos. Numeros, ut antiquitus jam animadversum est, non confudit cum rebus, sed ab iis discrevit diligenter: nec vero res neglexit, quum numeros spectaret. Qua de re ut suo loco monebimus, ita nunc tenendum hoc est. Numeri in Pythagoreorum placitis argumentum erant in paucis gravissimum: tribuebant iis, ut e dictis colligitur, vim divinam: jurare adeo per illos solebant et principium inde vitae ducere:

Ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν,
παγὰν ἀενάου φύσεως. 2)

In Platonis vero philosophia numeri ut *πάρεργον* occurrunt: certe percipere hanc licet, neglectis etiam illis. Caput hujus philosophiae est et *ἔργον* quod tractat, ***hominis ad veritatem et virtutem institutio:*** huc illam confert numerorum doctrinam, non ad vitae principia assequenda, neque ad divinam naturam sive animo repraesentandam sive cognoscendam. Socraticus fuit Plato, priusquam Pythagoreorum consectaretur doctrinas: unde hoc retinuit per totam deinceps vitam, ut ad hominem, ad humanae naturae perfectionem referret omnia. Probabile est, Pythagoreos in numerorum explorandis proportionibus, in universa adeo arith-

1) Aristot. *Metaph.* I. 5.
2) Pythag. *χρυσᾶ ἔπη* vs. 47.

metica magnos fecisse progressus: nam acerrimo eam studio colebant, quippe numeros prosequentes divino honore: iisdemque videntur adeo suarum disciplinarum initia debuisse Alexandrinae aetatis celeberrimi astronomi, physici, geographi; Plato vero hanc spectavit arithmeticae utilitatem, qua sane major esse homini vix ulla potest, ut *dialecticae* applicaretur, sive, quod idem est in antiquorum lingua philosophorum, *discernendi judicandique* facultatem eliceret exerceretque, atque ita proposito satisfaceret: quippe *μάθημα, ἑλκτικὸν ὂν παντάπασι προς οὐσίαν*. Id vero privum propriumque fuit Platoni, neque ab ullo ante eum philosopho usurpatum, ut ipse est ingenue professus, cum diceret de hoc *μαθήματι· κινδυνεύει τῶν πρὸς τὴν νόησιν ἀγόντων φύσει εἶναι ὃ ζητοῦμεν χρῆσθαι δ' οὐδεὶς αὐτῷ ὀρθῶς·* quo barbaros non tantum respexisse, sed ipsos etiam Pythagoreos videtur.

Et sic quidem pervenimus tandem, quo dudum perreximus, ut memorabilis hujus sententiae vim et ubertatem assequamur. Ipsum jam audiamus Socratem haec simplici, sed accuratà, sed interiore ratione exponentem. « Conabor, inquit, id quod mihi videtur, declarare. Quae enim ipse mecum reputavi ejusmodi esse, ut mentem ad rerum *οὐσίαν* adducant, quaeque non esse hujusmodi videantur, haec tu mecum spectans proba vel nega, quo clarius dignoscamus, num sit hoc tale, quale vaticinor. — Tu vero ostende. — Ostendo equidem; videsne res, quae sensibus patent, partim non evocare mentem ad ipsarum considerationem, quippe ipso sensu satis perceptas: partim omnino mentem evocare eamque jubere ipsas attendere, quippe sensu nil veri annunciante? » Hic suspicatur Glauco et nos item facile suspicemur, res significari a Socrate, quae e longinquo apparent, vel leviter adumbratae sunt, quaeque iccirco aegre discernuntur, ut ipsius mentis opus sit, ad eas percipiendas judicandasque, attentione. Socrates vero « non magnopere, inquit, id, quod dico, assequeris. Mentem advertere illa nego, quae non simul contrarium sensum movent: quae vero movent, haec dico advocare mentem. » Rem exemplo illustrat. « Hi, inquit, dicimus, tres sunt digiti, minimus, secundus, medius. Horum unusquisque pariter *digitus* esse videtur et hac in re non differt, utrum in medio an in postremo appareat, utrum candidus sit an niger, crassus an tenuis: his enim omnibus non cogitur animus mentem interrogare, quid sit digitus: nusquam enim visus significavit, digitum adesse et contrarium adesse digito. Ergo quod tale est, mentem non evocabit vel excitabit, *νοήσεως οὐκ ἂν παρακλητικὸν οὐδ' ἐγερτικὸν εἴη*. Quid vero? magnitudinem eorum et parvitatem satisne ipse per se visus discernit? similiterque mollitiem eorum et duritiem tactus? an vero in his contrarii sunt ejusdem rei sensus? Digitus scilicet apparet magnus, apparet item parvus, mollis esse videtur itemque durus. Nonne igitur animo nunciabunt sensus, idem sibi

apparere magnum et parvum, durum et molle?» Miratur Glauco has miras absurdasque rerum interpretationes, quas sensibus debet animus. Hinc autem Socrates cum initia ducit arithmeticae, tum explicat, qualia sint quae ad mundum *νοητὸν* pertinent. «Apparent ista, inquit, animo confusa, nec intelligi recte, nisi *distinguendo*, possunt. Iccirco primum conatur animus, advocata ratione adhibitaque mentis acie, considerare, utrum unum sint an duo singula, quae annunciata sunt. Si duo apparent, alterum et utrumque unum apparebit. Si vero unum utrumque, ambo autem duo apparent, separata duo intelligit animus. Jam visum diximus magnum et parvum vidisse, sed non distinctum, confusum vero: hac autem distinctionis evidentiâ mens intueri cogitur non confusa, sed discreta: contra visus.»

Atque ita quidem numerando et distinguimus res, nec committimus, ut iisdem rebus contraria tribuamus. Hic autem nos primum subit inquirere, quid ipsum sit magnum et parvum: quo, missis rebus visibilibus, ad ea escendimus, quae solâ mente percipiuntur et *νοητὰ* dicuntur. «Haec sunt, inquit, quae modo declarare aggressus sum, quum dicerem, alia negotia *παρακλητικὰ* esse *τῆς διανοίας*, alia non esse: *παρακλητικὰ* definiens, quae contrarium sensum movent simul, quae vero non movent, non *ἐγερτικὰ τῆς νοήσεως* dicens.» Quibus explicitis, Socrates Glauconi arithmeticam ut disciplinam proponit, quae, propter numerorum naturam, mentem maxime in mundum *νοητὸν* ad ipsamque veritatem evehit. «Quid autem numerus et unum, quaerit, utro in genere esse videntur? Rem e dictis efficiamus. Si ipsum unum satis oculis aliisve sensibus percipitur, non *ὁλκὸν ἂν εἴη ἐπὶ τὴν οὐσίαν*, ut de digito diximus. Sin vero simul cum eo semper cernitur contrarium, ita ut non magis unum, quam contrarium videatur, 1) disceptatoris ac judicis jam indigeat, cogaturque in eo animus dubitare atque exquirere, et movens in semet ipso intellectum sciscitari, quid tandem ipsum sit unum: et sic quidem *ἡ περὶ τὸ ἓν μάθησις τῶν ἀγωγῶν ἂν εἴη καὶ μεταστρεπτικῶν ἐπὶ τὴν τρῦ ὄντος θέαν*. Caeterum si unum sic se habet, pariter se habebit omnis numerus; cumque omnis supputandi numerandique ars numerum spectet, concludere hinc licet, artium harum studia perquam esse *πρὸς ἀλήθειαν ἀγωγά*.» 2)

Arithmeticae quantum ad excolendum ingenium tribuerit Plato, hinc satis efficitur. Sententiam autem hanc in Epinomide sive ipse, sive ejus nomine exemploque alius fusius declaravit: ubi praeclarum hoc exstat ef-

---

1) Audiendo v. c. *unam* vocem audimus, sed simul *innumeros* sonos. Itaque unum sensu percipimus simulque multa et innumera, quae uni sunt *contraria*. Exemplum hoc ex ipso Platone duximus. *Phileb.* 17. B.

1) *De Rep.* VII. 523. A. — 525. A.

fatum: *εἴπερ ἀριθμὸν ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐξέλοιμεν, οὐκ ἄν ποτε τὶ φρόνιμοι γενοίμεθα· οὐ γὰρ ἂν ἔτι ποτὲ ψυχὴ τούτου τοῦ ζώου πᾶσαν ἀρετὴν λάβοι σχεδὸν, ὅτου λόγος ἀπείη· ζῶον δὲ ὅ, τι μὴ γιγνώσκοι δύο καὶ τρία, μηδὲ περιττὸν μηδὲ ἄρτιον, ἀγνοοῖ δὲ τοπαράπαν ἀριθμὸν, οὐκ ἄν ποτε διδόναι λόγον ἔχοι περὶ ὧν αἰσθήσεις καὶ μνήμας μόνον εἴη κεκτημένον· — στερόμενος δὲ ἀληθοῦς λόγου, σοφὸς οὐκ ἄν ποτε γένοιτο· — οὕτως ἀριθμὸν μὲν ἀνάγκη πᾶσα ὑποτίθεσθαι.* 1) Nec minus praeclare eodem in scripto de arithmetica cognatisque disciplinis praecipitur: *οὐ γὰρ ἄνευ γε τούτων μήποτε τὶς ἐν πόλεσιν εὐδαίμων γένηται φύσις· ἀλλ' οὗτος ὁ τρόπος, αὕτη τροφὴ, ταῦτα μαθήματα· εἴτε χαλεπὰ, εἴτε ῥᾴδια, ταύτῃ πορευτέον.* 2) Quae loca cum alii veterum laudarunt, tum mathematicus Platonicus, Theon Smyrnaeus. 3) Citantur vero hae sententiae fere, ut loci communes de arithmeticae praestantia et utilitate. Quodsi praestantiae illius caussam exquirimus, attendenda nobis maxime sunt, quae ex hiscc Socratis cum Glaucone sermonibus jam attulimus, tum etiam quae in iis deinceps occurrunt. Scilicet non vulgaris hîc intelligitur arithmetica, quae ad rerum familiarium administrationem, ad negotia pecuniaria, ad emendum vendendumque refertur: quamquam hujus item haud exigua est ad acuendum ingenium utilitas, sed eam Plato arithmeticam spectat, qua mens a rebus his corporeis ad ea, quae cogitando percipiuntur, erigitur, quo magis abstractas, quae vocantur, notiones magnitudinis, quantitatis, proportionis, similes, puras sincerasque assequamur: his autem nil magis ad recte cogitandum judicandumque utile ac necessarium est. Id porro Socrates apte diserteque exponit. «Deceat igitur, inquit, o Glauco, hanc disciplinam legibus inducere, iisque persuadere, qui maximis functuri sunt in civitate muneribus, ut computandi artem aggrediantur; nec vero leviter eam tractent, nec vulgari more, sed persequantur, donec *ἐπὶ θέαν τῆς τῶν ἀριθμῶν φύσεως ἀφίκωνται τῇ νοήσει αὐτῇ·* non eam emtionis venditionisque gratiâ, ut mercatores et caupones, tractantes, *ἀλλ' ἕνεκα πολέμου τε καὶ αὐτῆς τῆς ψυχῆς ῥᾳστώνης καὶ μεταστροφῆς ἀπὸ γενέσεως ἐπ' ἀλήθειάν τε καὶ οὐσίαν.*» Unde intelligitur quod porro animadvertit Socrates: «Atqui his ita, ait, de computandi disciplina dictis, reputo equidem, quam praeclara sit illa, quamque utilis nobis multis in caussis ad illud, quod spectamus, si quis eam cognoscendi gratiâ, non cauponandi, tractat: hoc ipso scilicet, *ὡς σφόδρα ἄνω ποι ἄγει τὴν ψυχὴν,*

---

1) *Epinom.* 977. C. D.

2) *Eod.* 992. A.

3) *Arithmet.* p. 5. Edit. quam nuper doctissimus juvenis *J. J. de Gelder*, solertissimo doctissimoque patre, meo olim praeceptore, dignus filius, Lugd. Bat. paravit 1827.

καὶ περὶ αὐτῶν τῶν ἀριθμῶν ἀναγκάζει διαλέγεσθαι, οὐδαμῇ ἀποδεχόμενον, ἐάν τις αὐτῇ ὁρατὰ ἢ ἁπτὰ σώματα ἔχοντας ἀριθμοὺς προτεινόμενος διαλέγηται.» 1) Erant scilicet, qui vulgaris unice arithmeticae periti, numeris fere res corporeas intelligerent, ipsos vero eorumque proportiones mente non explorarent. Quibus suam arithmeticam opponens Plato praeclarae disciplinae divinam vim utilitatemque celebrat. « Nosti enim, sic pergit apud eum Socrates, quemadmodum qui harum rerum peritissimi sunt, si quis ipsum unum ratione dividere conatur, rideant protinus, nec ferant; sed si tu secas, ipsi multiplicant, caventes, ne quando ipsum unum appareat, sed particulae plurimae. — Quid igitur existimas, o Glauco, si quis eos ita percontetur: o mirifici viri, quibus tandem de numeris disputatis, quibus unum inest tale, quale vos traditis, aequale unumquodque omne omni, neque minimo quovis discrepans, nullamque in se partem habens? Quid eos existimas ad haec responsuros? Cui Glauco, hoc equidem, inquit, de illis se loqui numeris, qui cogitari duntaxat possint, aliter autem attingi nequeant. Tum Socrates: cernis igitur, inquit, amice, necessariam nobis reapse videri disciplinam hanc, cum cogat *αὐτῇ τῇ νοήσει χρῆσθαι τὴν ψυχὴν ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν.»* 2) Quam postquam disciplinae praestantiam exposuit Socrates, vim ejus in hominum ingenia acute deprehendit. « Quid autem? quaerit, hoccine etiam animadvertisti? *ὡς οἵ τε φύσει λογιστικοὶ εἰς πάντα τὰ μαθήματα, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὀξεῖς φαίνονται, οἵ τε βραδεῖς, ἂν ἐν τούτῳ παιδευθῶσι καὶ γυμνάσωνται, κἂν μηδὲν ἄλλο ὠφεληθῶσιν, ὅμως εἴς γε τὸ ὀξύτεροι αὐτοὶ αὐτῶν γίγνεσθαι πάντες ἐπιδιδόασιν; eos, qui naturâ sunt arithmetici, in omnibus, ut ita dicam, disciplinis celeres apparere? quique tardi sunt, si huic se studio naviter dederint, quamvis alium inde fructum nullum capiant, tamen hoc assequi, ut celeriores acutioresque ingenio, quam antea, fiant?»* 3)

De geometria et astronomia.

Est vetus de Platone traditio, inscripsisse eum auditorii januae: *μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω.* Cujus quamvis desideretur auctoritas, origo sane non est incerta. Ducenda est e viri ingenio, e studio et ardore, quo doctrinam colebat, quae arctissime erat cum tota ejus philosophia conjuncta. Nam ut arithmeticam relinquebat cauponibus, quae ad emendum vendendumque addisceretur, ipse vero unam probabat, quae philosopham

1) *De Rep.* VII. 525. B. C. D.
2) *Eod.* 525. D. E. et 526. A.
3) *Eod.* 526. A. B.

excitaret informarctque indolem, pari proposito et omnium maxime *geometriam* colendam censuit. Socrates apud eum, ad finem perducta de arithmetica disputatione «id profecto, inquit, non vocabunt in dubium, quotquot vel aliquantulum geometriae sunt periti, hanc disciplinam plane repugnare iis, quae vulgo dicunt ejus studiosi. Loquuntur enim ridicule prorsus et illiberaliter: nam ut fabri et quasi fabricandi caussâ loquentes, de ducendis quadratis, de lineis producendis, similibusque dicunt: *τὸ δ' ἔστι που πᾶν τὸ μάθημα γνώσεως ἕνεκα ἐπιτηδευόμενον· haec autem disciplina tota est cognoscendi caussâ tractanda.»* Tum pergit. «Nonne id quoque concedendum? — Quid tandem? — *Ὡς τῆς τοῦ ἀεὶ ὄντος γνώσεως, ἀλλ' οὐ τοῦ ποτέ τι γιγνομένου καὶ ἀπολλυμένου· oportere eam addisci ad id cognoscendum, quod est, non rerum caussâ, quae oriuntur et pereunt.* — Concedendum plane: *τοῦ γὰρ ἀεὶ ὄντος ἡ γεωμετρικὴ γνῶσίς ἐστι· nam geometria ejus, quod est semper, cognitio est.* — *Ὁλκὸν ἄρα, ὦ γενναῖε, ψυχῆς πρὸς ἀλήθειαν εἴη ἄν, καὶ ἀπεργαστικὸν φιλοσόφου διανοίας πρὸς τὸ ἄνω σχεῖν, ἃ νῦν κάτω, οὐ δέον, ἔχομεν· trahit igitur, o bone, ad veritatem animum, effectrixque erit mentis philosophae, ut ad superiora attollamus, quae nunc, contra quam decet, in inferiora habemus demissa.* — Quam maxime. — Quam maxime igitur praecipiendum est, ut in optima civitate principes nullo modo geometriam spernant: nam, quae accedunt ad ejus propositum summum, non exigua sunt. — Quaenam illa? — Quae bellum spectant: *καὶ δὴ καὶ πρὸς πάσας μαθήσεις, ὥστε κάλλιον ἀποδέχεσθαι, ἴσμεν που ὅτι τῷ ὅλῳ καὶ παντὶ διοίσει ἡμμένος τε γεωμετρίας καὶ μή· quin etiam scimus, ad disciplinas omnes facilius perdiscendas interesse quam maxime, attigeritne geometriam aliquis, nec ne.»* 1)

Has autem breves, sed acutas gravissimasque sententias, quo diligentius perpenderimus, eo certius assequemur effati sententiam, quod Platoni tribuitur vulgo et declarare Plutarchus studuit: *ὁ θεὸς γεωμετρεῖ.* 2) Nam ut Deo tribuebat philosophus, quod ipsi in homine videbatur maximum, ita geometriam non tribuere divinae menti non potuit. Sed patet inde item, quo honore hanc disciplinam habuerit: nec mirabimur, his perspectis, geometriam postea Graecos *μάθησιν* vocasse, quippe quae una omnium disciplinarum maxime institutioni esset adhibenda et sola videretur *disciplina* appellanda, nosque, eorum exemplum secutos, et vocem ipsorum et hac eam significatione linguis nostris suscepisse. Verum

1) *De Rep.* VII. 527. A. B.

2) Plut. *Symposiac.* VIII. 718.

eadem de geometria, certe similia, usurpant mathematici nostri: quid vero iis Plato voluerit, quo maxime consilio imbuendos cà futuros reipublicae gubernatores existimaverit, id nobis in primis exquirendum. Pergamus igitur ad *astronomiam:* nam hac judicanda vim simul geometriae ad mentis promovendam philosophiam declaravit mirifice.

Est hac de re apud Platonem, quamvis seria et sublimi, festivissimus Glauconis cum Socrate sermo. Sic ille continuo: «tertio jam loco astronomiam ponamus; nam mensium et annorum vicissitudines acutius animadvertisse, non tantum agriculturae ac navigationi proderit, sed non minimum etiam rei militari. Hic Socrates, videris mihi, inquit, o bone, vulgus reformidare, ne inutiles te disciplinas inducere dicant: non enim aliam inde magnopere utilitatem percipiendam putant.» Orsus autem deinde de astronomia, meminit subito et Glauconem monet, disciplinam ab ipsis praetermissam esse, quae, inter geometriam et astronomiam media, ab illa ad hanc ducat. «Post planum, ait, statim solidum, quod circumfertur, aggressi sumus, anteaquam ipsum per se comprehenderemus; decet autem ordine post secundam auctionem tertiam suscipere: refertur vero illud ad cuborum auctionem, estque profunditatis particeps.» Significatam his verbis a philosopho esse *stereometriam*, patet manifesto; 1) sed in persequenda artium mathematicarum historia memorabile nobis videtur, hanc doctrinam Platonis tempore nondum repertam esse: quod Glauco apud eum disertis verbis fatetur: *ἀλλὰ ταῦτά γε, ὦ Σώκρατες, δοκεῖ οὔπω εὑρῆσθαι.* Unde profecto, quatenus hac aetate progressi sint Graeci in mathematicis et astronomia, quid de Platonis, quae feruntur, in stereometria inventis existimandum sit, tum etiam, quae propria fuerit Alexandrinorum mathematicorum laus, conjecturam nobis licet capere. Verum nihil hoc ad *philosophiae* Platonis initia. Persequamur cum Socrate astronomiam, veramque ejus attendamus cum instituendae tum tractandae rationem, ut quae in mente nostra deorsum spectant, sursum attollamus: quod commune est apud Platonem harum disciplinarum propositum. Id sibi videtur Glauco de astronomia ipse perspicere continuo. «Hanc quidem, inquit, mentem cogere, ut sursum spectet et hinc eam illuc convertere, omnibus esse manifestum videtur. Cui Socrates: omnibus fortasse, inquit, praeterquam mihi: mihi enim non item videtur. Ut nunc quidem eam tractant, qui philosophiae ipsam jungunt, ut deorsum mens spectet, efficere videntur. Tu quidem solerter informas sane disciplinam eorum, quae sublimia sunt: videris enim, si quis laquearia variis coloribus picta suspiciens, perceperit quidquam, existimare eum mente, non oculis spectare: ac fortasse recte existimas, ego vero inepte: nequeo autem mihi persuadere, aliud mentem sursum tollere, nisi illam disci-

1) Sic accepit Theon Smyrn. *Arith.* I. 12. p. 14.

plinam, quae id, quod est, nec percipi oculis potest, spectat. Quodsi quis sive sursum inhians, sive conversus deorsum, eorum, quae sensibus patent, aliquid percipere studet, nec discere eum dico — scientiam enim eorum esse nullam — nec sursum ejus mentem, sed deorsum spectare, etiamsi resupinus in terrae litore vel maris aequore jacens, quidquam perceperit.» Quibus monitus ac reprehensus Glauco, «*δίκην ἔχω, peccavi*, inquit, merito me reprehendisti; sed quae est ratio discendae astronomiae, praeter eam, quam isti sequuntur, si ejus nobis cognitio sit ad ea, quae dicimus, profutura? — Ad haec respondet Socrates: *ταῦτα μὲν τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ ποικίλματα, ἐπείπερ ἐν ὁρατῷ πεποίκιλται, κάλλιστα μὲν ἡγεῖσθαι καὶ ἀκριβέστατα τῶν τοιούτων ἔχειν, τῶν δὲ ἀληθινῶν πολὺ ἐνδεῖν, ὧν τὸ ὂν τάχος καὶ ἡ οὖσα βραδυτὴς καὶ ἐν τῷ ἀληθινῷ ἀριθμῷ καὶ πᾶσι τοῖς ἀληθέσι σχήμασι φοράς τε πρὸς ἄλληλα φέρεται καὶ τὰ ἐνόντα φέρει·* 1) *ἃ δὴ λόγῳ μὲν καὶ διανοίᾳ ληπτά, ὄψει δ' οὔ· ἢ σὺ οἴει; Οὐδαμῶς, ἔφη· existimandum est, has, quae in coelo lucent, species, ut in loco* ***visibili*** *informatas, pulcerrimas sane omnium esse, sed longe abesse, ut tales sint, quales* ***verae***, *quarum vera est celeritas veraque tarditas· et quae in vero numero verisque figuris ad se invicem feruntur, eaque, quae complectuntur, ferunt: quae quidem ratione et cogitatione percipiuntur, visu vero non item: an vero tu putas? Nullo modo, inquit.*» Haec ille. E quo toto sermone, quem fructum Plato ex astronomiae studio in primis esse capiendum, quaque eam ratione tractandam esse duxerit, patet unicuique; sed est nobis item aliud eadem de re animadvertendum.

Quod modo diximus, finxisse antiquos, praesertim Pythagoreos, multa, quae ad gravissima invenienda viam sternere recentioribus philosophis potuissent, hos autem adhibuisse eo Orientalium, maximeque Arabum inventa, 2) id haec nos docet philosophi de astronomia tractanda sive sententia sive suspicio. Mente is volutasse et quasi vaticinatus tale quid videtur, quale nobis *algebrae* disciplina in luce posuit. Legamus iterum adscriptum locum. Dixit, quae conspiciuntur in coelo ac moventur, multum ab iis differre, quae cum quod formam, tum quod motum attinet, *vera* sunt uniceque mente comprehenduntur. Rem deinde ex geometriae studio illustrat. «His igitur, inquit, quae in coelo mirâ varietate lucent, tanquam *παραδείγματι, exemplo*, utendum est ad illa, quae non videntur sed sunt, discenda, perinde ac si quis figuras videat a Daedalo vel alio artifice, aut a pictore eximie pictas et elaboratas. Nempe si esset is, qui eas videt, geometriae peritus, artificium laudaret, ridiculum vero esse censeret, se quis talia attentius consideraret, ut scilicet *verita-*

1) Adscripsimus haec de conjectura *Astii* ad h. l. p. 569.

2) p. 220.

tem in istis aequalium vel duplorum vel alius cujusdam proportionis reperturus.» 1) Et profecto, delineatis figuris, geometra non has cogitat arte confectas, sed veras, sed ipsas, quas mente tenet. Quod omnes intelligunt, qui vel leviter sunt, ut me esse confiteor, geometriae periti: sec docendo iidem id experiuntur maxime. Attendunt discipuli continuo triangulum, circulum, conum in tabula ductum; id autem ferunt aegerrime doctores: jubent illos haec mittere arte confecta, ipsum vero cogitare triangulum, ipsum circulum, ipsum conum. Mihi, institutioni harum rerum et probationibus praesenti, fere in mentem venit Platonis, pari prorsus ratione homines a pulcris, quae oculis conspiciuntur, ad ipsum pulcrum, a negotiis ὁρατοῖς ad negotia νοητὰ revocantis. Sunt plane haec similia: et hinc nobis omnium patet evidentissime, quare per geometriam Plato hominem esse evehendum in mundum νοητὸν existimaverit.

Sed procedendum nobis est: in ipsam astronomiam applicabat Plato hanc geometriae tradendae rationem. «Qui autem vere est astronomiae peritus, nonne hunc idem reputaturum censes ac geometram, ubi astrorum motus attendit? Arbitraturum scilicet, esse haec omnia, quoad ejus fieri in talibus operibus possit, pulcerrime a coeli conditore perfecta: absurdum vero esse, si quis noctis ad diem, horumque ad mensem, et mensis ad annum, itemque astrorum ad haec omnia et invicem rationem mutuam semper similiter procedere contenderet, ut nihil uspiam mutationis subirent, cum res sint corporeae et spectabiles, idemque omni modo in hisce veritatem quaereret? — Sic mihi certe, te nunc audienti, videtur. — Scilicet problematibus utentes, sic astronomiam, ut geometriam, tractabimus; quae vero in coelo apparent, missa faciemus, siquidem vere astronomiae studentes, quod naturâ menti nostrae φρόνιμον inest, id velimus utile ex inutili efficere.» 2) In his item, fateor, idem dominatur perfecti verique studium, quo uno maxime ducebatur Plato: quodque minus spectare solent astronomi vulgares, ut χρήσιμον τὸ φύσει φρόνιμον ἐν τῇ ψυχῇ ἐξ ἀχρήστου faciant, hoc maxime efficere Plato studuit; sed iidem, ut hoc utar, ubi defectus agitur solis lunaeve, sive cursus est definiendus cometae vel planetae, nonne primum avertunt mentem a rebus spectabilibus, ut verum motum, verum cursum et lunae et planetarum cometarumque cogitent menteque complectantur? Nonne verâ hac perspectâ et quasi constitutâ consignatâque naturae lege, tum demum mundum spectabilem attendunt, vicissitudines considerantes motus cursusque et aberrationis corporum coelestium per opportunitates varias, attractionis in primis vicinorum corporum coe-

---

1) *De Rep.* VII. 529. D.
2) *Eod.* 530. A.

lestium, qua in cursu ad haec accedunt identidem? Mirer equidem, si astronomus, his lectis Platonis sententiis, non descriptam se vidisse putet studiorum suorum rationem, nec desiderasse quidquam, nisi algebrae notas, quibus nos veros numeros, veras figuras, veram motuum rationem, celeritatemque et tarditatem, alia, nondum nobis cognita, sed exploranda, exprimimus. Sed legat is locum Platonis, bis jam descriptum nobis, sed tertium memorandum, quo astronomum exquirere jussit *τὸ ὂν τάχος, τὴν οὖσαν βραδυτῆτα ἐν τῷ ἀληθινῷ ἀριθμῷ καὶ πᾶσι τοῖς ἀληθέσι σχήμασι.* Iteramus, quod diximus: non fecit, vix adeo inchoavit Plato, quae recentiore aetate astronomi perfecerunt; sed quamvis ille ad acuendum in primis ingenium tam astronomiam, quam geometriam tractandam censeret, illuc eum, quo ardebat, perfecti verique amor provexit, ut veram astronomiae doctrinam, si minus perspiceret quodammodo, certe conjiceret et vaticinaretur. 1) Verum bujus rei diligentiorem disquisitionem non capit hic locus. Illud animadvertendum, discessisse in bis omnibus Platonem a trita via, qua procedebant fere ipsius aetate geometrae, astronomi, illi etiam, qui musicam sive barmoniam in astronomiam et pbysicam traducebant. Suum ille iter persequebatur, *verum* spectans solum, quod assequi incredibili studio nitebatur, despiciensque ex illa, quam attigerat, arce bomines inanes, inania consectantes, qui in numeris, in figuris baererent, deorsumque conversam mentem haberent, tum etiam, ubi de astris rebusque sublimibus ageretur.

De harmonia.

Tales erant harmonici maxime, in Pythagoreis frequentes. Colebaut illi disciplinam, minime Platoni improbatam; dicebat bic barmoniam esse astronomiae *ἀντίστροφον·* buic enim sic aures esse accommodatas, ut oculi sunt astronomiae. Sed ridebat vana istorum studia, quippe qui ipsos attenderent in fidibus sonos, eosque metientes auribus admotis, quasi a vicinis voces percepturi: dicentibus aliis, se in medio audire sonum quendam, et esse bunc minimum, quo sit metiendum: aliis dubitantibus, quippe simile sonare: utrisque, ait Glauco, *ὦτα τοῦ νοῦ προστησαμένοις, menti praeponentibus aures.* 2) Vidit aetas nostra,

1) Quod de Arabum inventis hic dixi, non ita accipiendum, quasi ipsam analyticam arithmeticam, quam vulgo algebram vocamus, iis tribuam: iuventa ea videtur a Diophanto Alexandrino; sed *notas* significavi algebraicas, quarum apta cum arithmetica et geometria conjunctione maxime haec disciplina ad tot et tanta invenienda apta est facta. Vid. Ruhnk. *Opusc.* I. 103.

2) *De Rep.* VII. 530. D. E. 531. A.

quod suspicatus est Plato, esse veram sonorum doctrinam: *acusticam* appellare consuevimus: huic autem, quod jussit ille, *νοῦς* praeëst, non aures: praesunt mathematicae disciplinae menti propriae. Huic, ut ait idem, non soni adhibendi sunt unice, qui audiuntur, sed problemata adhibenda sunt, ut mens videat, qui sint *ξύμφωνοι ἀριθμοί, καὶ τίνες οὔ, καὶ διὰ τί ἑκάτεροι.* 1) Admirabile est, ut excelluerit aequalibus Plato, ut, quamvis adminiculis, quibus nos utimur, destitutus, conatus sit tamen ad nostra inventa accedere. Sed, quod mihi in primis videtur admirandum, insignis est viri in cogitando scribendoque facilitas, plenas esse ejus disputationes, quamvis interioris indaginis, jocorum et facetiarum, ludere eum et jocari videri, ubi res serias in primisque abstrusas explicat, dubitare nos, legentes hos Socratis cum Glaucone sermones, magisne nobis placeant elegantiâ, festivitate, ironiae vi Socraticae, aequabiliter per eos diffusis, an prosint nobis magis ad acuendum ingenium nostrum, animumque excitandum optimarum rerum studiis, tum vero praesertim ad veri amorem in imis pectoribus inflammandum. Est sane hoc proprium philosophi ingenii, de difficillimis rebus cogitare et judicare facillime: sed, qui eâdem facilitate et scriberent de iis, et sic cum lectoribus, ut fecit Plato, suum communicarent ardorem, omni aetate reperti sunt paucissimi. Sed in viam.

Postquam haec de harmoniae disciplina monuerat Socrates, Glauco, rerum magnitudine et difficultate perculsus, *δαιμόνιον*, inquit, *πρᾶγμα λέγεις·* nec suspicari videtur, alia esse et majora etiam futuris rei publicae moderatoribus tractanda. Socrates vero, doctrinarum memorata necessitudine naturali «tum demum, ait, earum institutio illud, quod speramus, efficiet, *ἐὰν ἐπὶ τὴν ἀλλήλων κοινωνίαν ἀφίκηται καὶ ξυγγένειαν, καὶ ξυλλογισθῇ ταῦτα ᾗ ἐστιν ἀλλήλοις οἰκεῖα· postquam ad communionem mutuam et cognationem pervenerunt, eritque ratiocinando exploratum, qualis sit earum cognatio.*» 2) Quibus placitum respicit, ut omnes intelligunt, quod supra studuimus explicare, 3) a Cicerone probatum perspectumque maxime, de *vinculo doctrinarum;* sed novam item hisce doctrinam significat *dialecticam.* Quod minus etiam suspicatus Glauco «sic quidem, ait, et ego auguror; sed permagnum est, o Socrates, quod dicis, opus. Tum ille, prooemii dicis, inquit, an cujus tantum rei? An vero ignoramus, harum studium doctrinarum aditum esse et quasi prooemium legis, quam discere oportet? Hujus scilicet rei non tibi solertes esse videntur dialectici. — Non sane, per Jovem, inquit, paucis exceptis, quos ego conveni. — At enim, nisi

1) *De Rep.* VII. 531. C.
2) *Eod.* 531. D.
3) p. 210 sqq.

quis et accipere possit et reddere rationem, nunquam sciet quidquam eorum, quae esse dicimus cognoscenda. — Ne hoc quidem. — Atqui haec est, o Glauco, lex ipsa, quae disserendi artem continet. Id scilicet nemo nobis adversabitur dicentibus, nullam esse praeter hanc disserendi methodum, quae de singulis rebus, quid sit unaquaeque, viâ possit et ratione assequi: caeteras vero artes vel opiniones hominum cupiditatesque spectare, vel rebus contineri, quae fiunt et componuntur, 1) vel ad culturam eorum, quae e terra nascuntur vel composita sunt, referri: illas autem, quas diximus τοῦ ὄντος τι ἐπιλαμβάνεσθαι, *veritatis nonnihil assequi*, geometriam, quaeque hujus sunt comites, de veritate somniare quidem, sed ὕπαρ eam adspicere non posse, donec ὑποθέσεσι, *suppositionibus*, utentes, has ratas esse et immobiles sinunt, cum earum reddere rationem nequeant. Ὧι γὰρ ἀρχὴ μὲν ὃ μὴ οἶδε, τελευτὴ δὲ καὶ τὰ μεταξὺ ἐξ οὗ μὴ οἶδε συμπέπλεκται, τίς μηχανὴ τὴν τοιαύτην ὁμολογίαν ποτὲ ἐπιστήμην γενέσθαι; — Οὐδεμία, ἦ δ' ὅς *cui enim principium est id, quod quis nescit, finis autem et intermedia ex iis item, quae ignoramus, conflata sunt, collectam inde conclusionem quo tandem pacto scientiam vocemus? — Nullo, inquit.*» 2) Est hoc nempe fastigium, quo ducere nos dialectica debet. Habent disciplinae omnes axiomata quaedam, ut ὑποθέσεις, quibus, tanquam principiis, nituntur; haec autem ut ipsae intacta relinquunt, ita uni hoc proprium disserendi arti est, ut et agat de hisce et ad remotiora etiam, atque ipsa adeo principia reducere conetur. Quod hac tandem sententia enunciat Socrates, rem totam paucis verbis complectens: οὐκοῦν ἡ διαλεκτικὴ μέθοδος μόνη ταύτῃ πορεύεται, τὰς ὑποθέσεις ἀναιροῦσα ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀρχὴν, ἵνα βεβαιώσηται, καὶ τῷ ὄντι ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινὶ τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορωρυγμένον ἠρέμα ἕλκει καὶ ἀνάγει ἄνω, συνερίθοις καὶ συμπεριαγωγοῖς χρωμένη αἷς διήλθομεν τέχναις· *dialectica igitur sola sic procedit, ut suppositiones ad ipsum principium reducat, quo magis firmo pergat ingressu, et animi oculum, in coeno barbarico defossum, sensim placideque sursum trahat atque attollat, ministris atque adjutricibus ad convertendum utens illis, quas diximus, disciplinis.* 3)

De disciplinis mathematicis justo proposito tractandis.

Incidimus ita de repente, duce Platone, in mediam dialecticam. Sed

1) Artes ποιητικὰς intelligit. Vid. *Soph.* p. 219.

2) *De Rep.* VII. 533. B. C.

3) *Eod.* Vid. Wytt. *ad Plut. de S. N. V.* p. 95.

de mathematicis disciplinis quod dixit ille, neminem eas adhuc recte tractasse, quo plenius intelligatur, haec videntur de earum proposito addenda. Fuerunt subinde mathematici, qui abditi in bibliotheca sua excluderent inde omnes, quotquot non, ut ipsi, caeteras exosi artes et doctrinas, in solis haererent lineis et circulis, arcendique caussâ januae inscriberent, Platonem imitaturi scilicet, *μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω.* Isti quid spectarint, nescio: hoc constat, aberrasse eos procul a sententia Platonis, qui omnium esse disciplinarum et mutuam et communem cum mathematicis artibus conjunctionem statuebat. Sed doctrinae ipsi suae neque excellentiam nec vim divinam perspexerunt, quae, Platone judice, non solum ad astrorum universaeque naturae conditionem explorandam, verum omnium maxime *πρὸς τὴν τοῦ καλοῦ τε καὶ ἀγαθοῦ ζήτησιν*, ad pulcri bonique disquisitionem et valet et tractanda est. 1) Exemplo id comprobarunt suo maximi tam veteris, quam recentioris aevi mathematici, qui acerrimo iidem valuerunt pulcri bonique sensu, ipsis autem hisce mathematicis studiis eximie hunc sensum et acuerunt et excoluerunt. Scilicet quid pulcrum est, quid bonum, quid in qualicunque re excellens et praeclarum, nisi quod idem est verum? Ad verum autem investigandum pertinent hae disciplinae potissimum. Quapropter Plato tractandas eas censuit, non ipsarum caussâ, nec vero solum, ut rebus physicis explicandis adhiberentur, sed omnium maxime, ut erudirentur iis ingenia juvenum, ut, quod in artibus pulcrum, in officiis moribusque honestum esset et bonum, assequerentur facile, ut, excitato purgatoque animi oculo, *verum* in rebus omnibus, pulcris, bonis, justis, tamque divinis illis, quam humanis, quasi adspicerent mente. Hoc disciplinarum mathematicarum, de Platonis sententia, summum propositum est: id vero omnibus fere ipsius aetate novum accidebat et inauditum. Sed haec de studiis mathematicis sufficiant; nunc dialecticam persequamur.

---

1) *De Rep.* VII. 531. C.

DE DIALECTICA

Est dialectica apud Platonem, ut aliquoties jam memoravimus, princeps disciplinarum omnium: *lex* est, cujus caeterae quasi *prooemia* sunt: imo vero, quod deinde videbimus, arx apud eum est et sepimentum doctrinarum. Quae quemadmodum accipienda sint, patuit jam nobis quodammodo e dictis Socratis in libris de Republica; verum multum abest, ut, quae hujus sit disciplinae vis, amplitudo, ubertas, declaraverimus satis. Duce Platone incidimus in dialecticae partes summas longeque difficillimas, ipsam vero vix attigimus; quid efficere maxime debeat, vidimus, sed quae ejus ratio sit et progressio, ignoramus adhuc. Si qua vero disciplina est, cujus via et ratio apte ordineque et ab initio exquirenda videatur, dialectica est, quippe quae et mathematicis et nullis non disciplinis viam et rationem praescribit: unde merito sane a recentioribus disciplinarum regina vocata est. Et vero Plato, priusquam de ea in hoc de Republica opere ageret, in Phaedro jam praecipueque in Sophista et Politico totam ejus rationem declaraverat. Iccirco accuratius pleniusque nobis, nec profecto ex hoc uno philosophi opere, res exponenda videtur: haud sufficiet adeo, de uno egisse Platone. Praemittenda disquisitio est, quid Socrates fecerit hac in re, quidque Platoni perficiendum reliquerit: tum etiam, quid molitus sit post utrumque Aristoteles, cum ad dialecticae vindicandum in doctrinis principatum, tum ad novam huic adjungendam ipsius veri, αὐτοῦ τοῦ ὄντος, doctrinam, quam posteri *metaphysicam* appellarunt. His demum exploratis, Platonis nobis dialectica quasi in conspectu, pura et sincera, erit posita, ut qualis fuerit, quid sibi proprium habuerit et singulare, quamque item in Aristotelem et sectas deinceps omnes vim exercuerit, intelligatur. Nam nisi in hoc celeberrimo philosophorum triumviratu, Socratis, Platonis, Aristotelis, suus Platoni locus assignetur, dialectica philosophi, ipsa adeo philosophia penitus et tota cognosci nullo modo potest. Vident

lectores, quis sit quamque late pateat campus, in quem nunc nobis excurrendum sit. Et profecto, quod ab initio diximus, hanc esse in primis disciplinam, quae et prodesse maxime et obesse philosophiae doctrinarumque studiis possit, istiusmodi est, ut locus hic nobis in philosophorum, imo in usum omnium, qui doctrinas tractant, latius omnique ambitu tractandus videatur. Operam autem dabimus, ut in his exponendis, quae abstrusa vulgo et perobscura videntur, perspicuitati et quoad ejus fieri potest, suavitati consulamus. Quod ut nobis e voto cedat, adhibebimus continuo disquisitioni historiae lumen: *dialecticae* exquiremus in genere humano *originem* et *initia:* procedemus inde ad *Socratem* et propriam ejus methodum, *τὴν ἐπαγωγήν*, quae vulgo vocari *inductio* solet: huic *Aristotelis* opponemus rationem, quo accuratius ab utriusque dialectica *Platonicam* distinguamus, et haec qualis sit perspiciamus. Quibus expositis tandem, quae vis sit dialecticae Platonicae ad nullas non artes doctrinasque rite tractandas, et recludendum juvenibus ad veritatis scientiam iter, nos, auguror, non latebit.

Dialecticae apud Graecos initia.

Constat inter omnes, sic eluxisse apud Graecos philosophiam, ut novum videretur in genere humano studiorum genus exstitisse. Quodsi quaerimus, quid praesertim his studiis novitatis speciem commendationemque conciliaverit, fuerunt multa, quae eo valerent et varia; sed nihil id effecisse efficacius, quam *dialectica*, videtur. Nam tulit Oriens sapientes, rerum divinarum humanarumque studiosos et peritissimos, doctrinarum tulit tantum non omnium initia, et una cum hisce sententias de Deo, de homine, de mundo gravissimas et plenas philosophiae. Nec defuit Orientalibus perquirendi studium, cum diligentia et assiduitate conjunctum, quippe, si defuisset, tantum, quantum diximus, non invenissent. 1) Verum disserere apte diserteque de omni argumento, rem propositam in suas partes disponere et definiendo, discernendo, distribuendo illustrare, ratiocinandoque procedere ad prima rerum elementa, id Graeci fecerunt eoque viam sibi ad inveniendam veritatem repererunt, quod philosophiae proprium est, Orientales vix inchoarunt. Nec vero hanc facultatem ipsi Graeci continuo consecuti sunt. Qui primum apud eos prodierunt philosophi, vel erant poetae vel sententiarum inclaruerunt, ut Orientales, gravitate et sapientiâ, unde eodem, quo illi, nomine *sapientes* sunt appellati; vel, si scriberent, opiniones suas non disserendo persuadebant lectoribus, sed oraculorum instar pronunciabant simpliciter. Socratis demum aetate et paullo ante hunc philosophiae

---

1) *Initia* p. 220.

parentem, efflorescere in Graecia dialecticae studia coeperunt. Scribebant obscure etiamtum nonnulli, in quibus Heraclitus ille σκοτεινός; sed Hippocrates, Democritus, Pythagorei, quamvis naturâ magis quam arte excellentes, apte jam dilucideque scribendo philosophiam explicabant. Artem vero de industria tractare Eleatici et Megarici philosophi, tum etiam Sophistae studuerunt, hi dicendo, orationibus de nullis non rebus publice habendis, scriptis item de ipsa arte edendis: illi colloquendo magis, sive argumentando, invicemque disputando, sive potius captiosis interrogatiunculis sibi invicem ad confutandum quasi insidiis struendis. Sed quidquid in aliis quibuscunque Graeciae regionibus sive ultro sive arte tentarunt hac in re philosophi, omnium merita et superarunt et obscurarunt adeo Athenienses. Horum civitas post bellum Persicum theatrum esse coepit artium omnium et doctrinarum, quo et alii aliunde et undecunque Sophistae confluentes, hîc rerum peritiam, hîc eloquentiae facultatem, hîc maxime bene dicendi scribendique artem et ostentabant publice et docebant. Qui vero in hisce tam eloquentiae, quam dialecticae laude prae caeteris inclaruerunt omnibus, non advenae, sed ejusdem hujus civitatis inclytae cives fuerunt. *Una urbs Attica*, ait Vellejus Paterculus, *pluribus sanae eloquentiae, quam universa Graecia, operibus floruit.* 1) Principes oratores Attici fuerunt Pericles et Demosthenes: Attici eloquentiae doctores primarii Antiphon et Isocrates: Attici, quod maxime animadvertendum, dialecticae germanae auctores, Socrates et Plato. Et si qui aliunde oriundi his studiis excelluerunt, ut Aristoteles, dialecticus plane consummatus, quamquam non orator, hi fere et dicti sunt Attici et habiti, quippe ejusdem urbis Atticae disciplinis a tenera inde aetate imbuti et exculti. Quamobrem studiorum horum initia aliunde repetenda sunt, sed ipsa tam cogitandi bene quam dicendi ars Athenis demum ab ipsis Atheniensibus sic culta est, ut ab his unice et aequales et posteri exempla duxerint ad hodiernum usque aevum, quae non dico superare, sed aequare vix potuerunt. Nec temere dicamus, quantum Graeci caeteris populis praestiterint philosophiae studio, tantum eloquentiâ et dialecticâ caeteris Graecis praestitisse Athenienses.

Debuerunt hanc gloriam Athenae praeclaris oratoribus, quos protulerunt; sed dialecticae initia, quae et germana esset nec ad eloquentiam tantum informandam rite, sed ad ipsam colendam philosophiam valeret, hujus initia ab uno videntur Socrate maxime repetenda. Quid sibi vellet ille interrogando arguendoque, quod in gymnasiis, in foro et nullis

---

1) Vell. Pat. I. 18. de palmaria Ruhnkenii emendatione. Vulgo legitur: *pluribus annis eloquentiae, quam universa Graecia, operibusque floruit.* Vid. ejus *hist. crit. Orat. Graec.* p. 37.

non civium conventibus factitabat, non assequebantur aequales; quo accidit, ut peculiare hoc videretur *sophisticae* genus esse, atque ipse a comicis, tanquam unus Sophistarum, in scena traduceretur; posteri demum id intellexerunt, postquam cum alii Socratici, tum Xenophon et Plato hanc veram dialecticam, tradendis ejus sermonibus, exposuerunt. Id autem prae caeteris maxime patefacere Plato studuit, qui et rationem hujus dialecticae et vim, quam in audientium animos haberet, scribendis dialogis, exprimeret: idem adeo iisdem dialogis, quae vel ipse in hac arte invenerat, vel e Socratis aliorumque ratione duxerat, complexus est: ut nobis nunc quidem, si germanae dialecticae rationem veram assequi velimus, ex his maxime fontibus hauriendum sit. Patebit ita omnibus, quod nondum omnes vident, non confirmando, probando, demonstrando constare dialecticam, sed primum *quaerendo* procedere: non fructum ex ea unice hunc capiendum esse, ut, quae vera existimentur, nobis aliisque persuadeamus atque a dissentientium opinionibus defendamus; sed in primis, ut *inveniamus* vera: nec tantum nos per eam ad bene cogitandum, dicendum scribendumque proficere, sed, quod Platoni placebat potissimum, eo simul valere ejus studium oportere, ut ipsi totâ mente quasi *convertamur* ad veritatem. Sed de his singulis singulatim via et ratione agamus.

Socratica dialectica.

Non dicendo solum publice aut scribendo exercetur dialectica, sed praesertim, ut ipsum docet artis nomen, *τῷ διαλέγεσθαι*, *colloquendo*. Id autem Socratis sermonibus proprium fuit, ut, priusquam is juvenes ad verum assequendum duceret, purgaret eorum animos vanitate, tumore, praejudicatis falsisque opinionibus, quippe quas cogitandi censebat recteque dicendi scribendique gravissima impedimenta. Neglectum hoc omni aevo a plerisque est, qui dialecticam tradiderunt: methodos quaesiverunt, quibus, tanquam instrumentis, viam veritatis aperirent; ipsum vero cognoscendi principium summum, veri amorem, qui exserere sese, nisi sublatis impedimentis, non potest, vix attenderunt. Quo magis nos, in exquirendo hoc principio, *κάθαρσιν* illam Socraticam et *μαιευτικὴν* fuse diligenterque exposuimus. Verum Socratem adhuc consideravimus *Platonicum*, i. e. uti apud Platonem non suam solius, sed hujus simul sententiam declarat; hic vero quum *ipse*, ut cogitavit locutusque est, Socrates agatur, prodeat nobis e Xenophontis Memorabilibus, nil habens adsciti et alieni, sed sic, ut solebat, cogitans dicensque. Inciderat aliquando in Glauconem, Platonis fratrem, eundem, quem hic dicentem in Politia induxit; juvenem non malo ingenio, sed inflatum opinione praestantiae suae et nescio quid magni et praeclari cum spe praecipientem, tum jam-

jam in ipsa civitate suscepturum. Huic obviam factus Socrates «o Glauco, inquit, praeesse civitati nostrae cogitas? — Equidem, mi Socrates, inquit. — Profecto, ait, si quid in rebus humanis, hoc certe praeclarum est. Poteris enim, si hoc impetraveris, ipse consequi quaecunque concupiveris, amicos juvare, domum paternam extollere, patriam amplificare: clarus item eris primum in urbe, deinde in Graecia et fortasse etiam, uti Themistocles, apud barbaros: ubicunque autem fueris, nusquam non eris illustris.» Haec cum audivisset Glauco, efferebatur animo, libenterque manebat. Socrates vero deinde «planum est igitur, ait, mi Glauco, necessarium esse, siquidem esse in honore velis, ut aliquam reipublicae utilitatem afferas. — Omnino, ait. — Ne igitur rem celaveris per Jovem, inquit Socrates, sed dic nobis, unde incipies civitati prodesse?» Hic cum Glauco taceret, quippe considerans, unde potissimum inciperet «nonne, ait Socrates, perinde acsi, quum amici domum vis amplificare, locupletiorem eam reddere niteris, ita et civitatem conaberis opulentiorem reddere? — Omnino, inquit. — Eritne igitur opulentior, si proventus ei complures accesserint? — Consentaneum est, ait. — Dic igitur, quibus ex rebus civitas haec proventus habeat et quanti illi sint: nam planum est, haec te jam considerasse, ut, si qui in iis exigui sint, eos tu expleas; si qui vero deficiant, eos rursus compares. — Ego vero, ait Glauco, nunquam profecto haec consideravi. — Quodsi haec neglexisti, ait Socrates, saltem sumtus civitatis nobis expone. Nam certum est, animum te inducere, ut supervacaneos tollas. — Ne hos quidem, per Jovem, inquit, attendi. — Ergo, ait, differamus aliquantum rationem locupletaudae civitatis. Nam qui possit fieri, ut harum rerum curam habeat is, qui et sumtus et proventus ignorat?» 1)

Haec nativa Socratis fuit dialectica, qua efficere studebat, ut revocatus aliquis a vanis consiliis propositisque, quibus esset impar, videret, quid deesset sibi, nec susciperet majora illa et praeclara, antequam se ipsum iis perficiendis idoneum reddidisset. Erat autem haec colloquendi disserendique ratio ad τῦφον non tantum coercendum, reprimendamque arrogantiam, sed etiam, quod deinceps spectabat dialecticae parens, ad recte de rebus judicandum accommodata. Pertinebat eo porro, ut res, de qua ageretur, definiretur apte, ne temere vagaretur disputatio. «Socrates, ait Xenophon, putabat, eos, qui scirent, quid essent res singulae, posse aliis etiam eas explicare: qui vero nescirent, eos et falli et alios quoque fallere.» 2) Quae definiendi ratio non vulgaris illa erat, qua vocabula obvia aliis vocabulis declararentur: *res* ille, non voces spectabat. Veluti quum ageret cum Euthydemo de justitia, non vocem

1) Xen. *Mem.* III. 6. § 2—6.

2) *Memor.* IV. 6. § 1.

hanc, ut logici fere solent, longo verborum ambitu interpretari conabatur: sed homines quaerebat continuo, qui essent sapientes. « Sapientiam, inquit, quid esse dicamus? Dic mihi: utrum tibi sapientes in iis, quae norunt, sapientes esse videntur, an vero aliqui sunt in iis sapientes, quae nesciunt? — Nimirum in illis sapientes sunt, quae sciunt: nam quî possit aliqnis esse sapiens in illis, quae nescit? — Num igitur sapientes scientiâ sunt sapientes? — Quanam alia re sapiens aliquis fuerit, nisi scientiâ? — Num vero pntas, aliud quiddam esse sapientiam praeter illud, quo homincs sapientes sunt? — Non equidem. — Ergo sapientia est scientia? — Mihi quidem videtur. — Ergone tibi videtur homo res omues scire posse? — Ne vel partem quidem rernm aliquantulam. — Homo igitur in omnibus nequit esse sapiens? — Nequit profecto. — Ergo in eo est sapiens, qnod scit? — Mihi quidem videtur. » 1) Similiter de pietate, de fortitndine, de aliis virtutibus quaerens, ipsos homines respiciebat continuo, qni essent pii, fortes, aliis virtutibus praestarent. Sic maxime non verba verbis, sed res ipsas aptâ earum vel hominum consideratione declarabat.

Nativam hanc fuisse diximns Socratis facultatem. Nam artem in his omnibus non cogitasse videtur; imo vero hac naturae viâ artibus dicendi, quas excogitaverant publiceque crepabant et docebant sophistae, opponebat sese, quippe et ipsis vanis et ad vana omnia ac temeraria adducentibus. Sed quamvis naturam haberet ducem dialectica Socratis, artis tamen viam et rationem tenebat, eratque propria ei methodus, ut primum sic, ut diximus, res definiret, tum vero, quod nobis omnium est maxime animadvertendnm, a rebus obviis ad eas interrogando escenderet, quae ignotae essent, saltem minus sive paterent sive attenderentur. Exemplum nobis occurrit in iisdem ejus cum Glaucone, quos memoravimus, sermonibus. Tacebat hic, quaerente Socrate, unde ipsi esset inchoandum, si prodesse civitati studeret. Socrates vero, ut haberet, quod responderet, ille, amici domum memorabat. Hanc, rogabat, si juvare velis, nonne ditiorem reddere studeas? Notae sunt cuivis res domesticae suntque rebus politicis simpliciores: ex illis igitur declarare hasce nitebatur. Similiter idem in elegantissimo cum Charmide sermone. Contraria hnjus juvenis conditio erat: nam ut Glauco capessere summa in republica munera avebat, ita bic ad populum procedere prae verecundia non audebat. In hunc igitur incidens Socrates « dic mihi, inquit, mi Charmides, si quis, quum in ludis vincere possit, eaque re cum ipse honorem consequi, tum patriam in Graecia illustriorem reddere, decertare nolit, qualem existimas hunc hominem esse? — Mollem sane, inquit, atque ignavum. — At si quis, quum possit, rempublicam obeundo, cum civitatem amplificare,

1) Xen. *eod.* § 7. Cff. *Initia* p. 218.

tum ipse ob id honorari, hoc tamen facere reformidet, nonne is merito ignavus habeatur? — Fortasse, inquit; sed cur haec me interrogas? — Quod te, inquit, cum possis, nolle arbitror procurare ea, quorum participem te esse necesse sit, quum sis civis.» 1)

Illustre vero hujus methodi Socraticae exemplum est in notissima philosophi cum Aristodemo de providentia disputatione. Hunc enim quum accepisset neque Diis sacrificare neque divinatione uti, imo ridere omnes, qui haec facerent «dic mihi, ait, Aristodeme, suntne quos ob sapientiam sis admiratus? — Sunt sane, inquit. — Dic nobis eorum nomina. — Equidem Homerum in pangendis carminibus epicis admiratus sum maxime, in dithyrambo Melanippidem, in tragoedia Sophoclem, in statuaria Polycletum, in pictura Zeuxin. Hic Socrates, utri vero videntur tibi, inquit, majore digni esse admiratione, qui simulacra mentis motusque expertia perficiunt, an qui animalia mente et motu praedita?» 2) Et sic quidem a rebus cuivis patentibus, quaeque sensibus percipiuntur ad res divinas Deique providentiam escendit. Sed hospes sit necesse est in scriptis Socraticorum, qui, vel verbo monitus, non hanc continuo rationem animo repraesentet. Quoscunque habebat Socrates cum quibuscunque hominibus sermones, tum quoque, quum judices alloquebatur publice, ut persuaderet illis, a rebus tenuissimis et vilissimis exempla petebat: sutores loquebatur, fabros, rusticos, eorumque artes et instrumenta. Haec scilicet omnibus erant nota, non cultis tantum, sed rudibus etiam et agrestibus, pueris adeo: sed ordiens ille a sordidis his et abjectis sermones, res declarabat facillime, de quibus cultissimi viri omni tempore vix quidquam proferre, quod probabile esset, potuerant. Ab Aristotele haec ratio ἐπαγωγή dicta est, 3) a Cicerone et Latinis *inductio.*

Haec docendi ratio quam sit simplex, quam item ad persuadendum efficax, nemo est, quin sua sponte videat: sed esse eandem, quod diximus, naturae congruam, eo patebit manifestius, quo magis nativam hominis in disquirendo rationem attenderimus. Nam homo, quamvis universas mente ideas teneat, sine quibus judicare de rebus non potest, tamen a singulis ad universa, a simplicibus ad composita, ab iis, quae videt, audit, manibus contrectat, sensibus omnino percipit, ad ea, quae non patent sensibus, progreditur: quo fit, ut haec declarentur vocibus ab illorum notionibus et imaginibus ductis. Sic a pueritia suscepimus animo rerum sensibilium notiones, et has notiones in res sensibus non patentes, divinas in primis, traduximus: unde Diis fere mortales hominis formam, certe ingenium, tribuerunt. Hanc naturalem animadvertendi

1) Xen. *Mem.* III. 7. § 1. 2. Cf. Auct. ad Her. IV. 3, 4.
2) *Eod.* I. 4. § 2. 3.
3) Arist. *Analyt. post.* I. 1. *Top.* I. 10 et passim. Cic. *Top.* c. 10.

inquirendique rationem sequebatur monendo praecipiendoque Socrates: quin etiam ducem se praebebat et comitem discendi studiosis, ut una secum animadverterent illi omnia, ipse submonstraret, illi attenderent: ipse quaereret, quid effici e singulis posset, illi id efficerent. Id Graeci προαγαγεῖν vocare solebant, et vero, esse hanc dialecticae rationem unam maxime naturae consentaneam, linguae docent. In his ipsis scribendis saepenumero jam *viae* et *itineris* usurpavimus notionem: διηγεῖσθαι veteres de *ducendo* proprie, sed item de *narrando*, *exponendo*, *docendo* usurparunt: μέθοδος vocabulum est in lexicis legitimum. Quid dicam de nostro *onderwijzen?* 1) Respondêt non tantum Socraticae methodo, sed, quae docendi optima ratio sit, quae sola sit ratio, qua is, qui docetur, quoad ejus fieri possit, ipse per se progrediatur, hanc propria linguis Germanicis vox, aliaeque similes voces, exprimit. Quo miror magis, verae institutionis principia ex interiore fere psychologia ducta esse, quae est incerta, non vero, certe raro, ex ipsis esse explicata linguarum elementis. Nam si qua, haec sunt certa, quippe ex ipsa hominis mente sponte orta, omninmque consensu usuque comprobata. Nec vero respondet tantum verbum illud nostrum Socraticae dialecticae, sed explicat eam simul, certe illustrat. Sic enim viâ suâ cum aliis procedebat ille, sic συζητεῖν cum illis solebat, ut mentem eorum in ea intenderet, quae negligebant fere ut levia et futilia: haec iis monstrabat identidem, imo vero *submonstrabat*, i. e. leviter monendo, gestu, digito in memoriam revocabat: ipsi autem haec attendentes, cum ipso ex hisce, quamvis levibus et futilibus, ad maxima omnia explicanda conjecturam ducebant.

Dialectica Aristotelis.

Ἐπαγωγῇ huic Socraticae dissimilis est et opposita quodammodo Aristotelis συλλογιστικῇ. Nam ut quaercre, interrogare Socrates solebat, ita Aristotclicae erat disciplinae proprium, ut poneretur, probaretur, demonstraretur. Quam esse syllogismi Aristotelici naturam, omnes norunt, qui unquam arte disputarunt. Cumque Socrati sufficeret, si quis ipso duce ad probabilitatem pervenisset aliquam, contra contendebat Aristoteles, agendum esse dialectico, ut, positis, quae certa essent, ad certam rerum scientiam procederet. Unde intelligitur, quemadmodum constructa a philosophis sint, quae vulgo dicuntur, *systemata:* intelligimus item, systemati condito facile alterum prorsusque contrarium opponi potuisse. Ipse praecipit Aristoteles, ut quaeramus continuo, quae si non certa, maxime videantur manifesta, hinc autem et argumentationem et conclusionem petamus. Quocirca cum agatur in his *verisimilitudo* summa,

1) Germanice *unterweisen*, Gallice *enseigner*.

postquam suis aliquis hypothesibus disputationem inaedificavit, aliis licet contrariam quaerere de eodem argumento sententiam universam non minus verisimilem, ex eaque contrariam efficere conclusionem. Hac nsurpanda dialectica ratione, siquidem hypotheses pro arbitrio ponebantur fere, quod verum esset, abscondebatur magis quam patefiebat, suscepit autem inde philosophia summum prudentium hominum contemtum. Quamquam non diffitendum est, eandem methodum ad artem exercendam dicendi valuisse plurimum. Nam dedit opportunitatem facultatemque auxit in utramque partem de eodem argumento disputandi: unde disputationes manarunt copiosissimae elegantissimaeque philosophorum veterum, in primis Academicorum: ipsius fluxerunt Ciceronis orationes palmariae in disputationibus Academicis, de finibus, de natura Deorum, aliis, illis si non pares certe simillimae, quas in Senatu, ad Quirites, pro rostris, in ipso eloquentiae regno, habuit. Et hic nobis patet maxime *dialecticae* apud veteres et *eloquentiae* conjunctio: quarum artium alteram dixit Aristoteles alteri esse *ἀντίστροφον*. Adhibebant oratores dialecticam, quo magis sententiam suam civibus persuaderent: philosophi autem, cum nihil in civitatibus illis eloquentiâ haberetur majus et illustrius, adjuvare oratores studebant, ut in tantae gloriae societatem pervenirent quodammodo, et ipsi scribendo dicendoque cum illis de eloquentiae palma concertabant. Veruntamen factum ita simul est, ut tanto splendore elucentes hae artes obscurarent plane simplicem veritatis investigationem: haec negligeretur, illa vero istis adhiberetur argumentis maxime, quae maxime veritati repugnarent. Ea enim dialectici, ea oratoris summa laus habebatur, si, quae essent falsa, haec dicendo efficeret ut vera viderentur.

Ita erat Aristotelis *συλλογιστικὴ* methodo, consilio, in primis effectui Socraticae *ἐπαγωγῆς* perquam dissimilis. Quod ipsum Aristotelem non latuit. Duo sunt, ait, *διαλεκτικῶν λόγων* genera, *ἐπαγωγὴ* et *συλλογισμός*· illa *ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου* procedit, estque *πιθανώτερα, καὶ σαφέστερα, καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμωτέρα, καὶ τοῖς πολλοῖς κοινή*· *συλλογισμὸς* vero *βιαστικώτερος καὶ πρὸς τοὺς ἀντιλογικοὺς ἐνεργέστερος*. 1) Operae autem pretium est animadvertere, rediisse ita post Aristotelem dialecticam ad incunabula, ut ita dicam, sua. Nam ut ante Socratem bujusque aetate in eristica secta inanium fuerat contentionum plena, utque adhibita a sophistis fuerat ad eloquentiam, maxime ad caussam inferiorem dicendo superiorem reddendam, par denuo ejus usus apud Academicos, Stoicos, Epicureos esse coepit. Contendebant denuo Alexandrina aetate philosophi de verbis magis quam de rebus, et abusi sunt pariter eloquentiâ. Pariter Romae

1) *Top.* I. 10. p. 281.

in justitiam dicebat Carneades, ac duobus saeculis ante sophistae Athenis ne ipsi quidem virtuti justitiaeque pepercerant, ut prudentiae politicae facundiaeque gloriolam scilicet aliquam captarent. Thrasymachum apud Platonem, cui Socrates et Plato germanam philosophiam opposuerant, imitari et superare adeo cavillando conatus videtur. 1). Sic tempora mutata erant: imo vero ad pristinas ineptias sophisticasque cavillationes redibatur. Sed hac aetate eloquentia et minus, quam antea, commendationis habebat et plus detrimenti afferebat. Nam fuerant sophistarum tempora moralis doctrinae et politicae infantia. Sophistae igitur, ut fit, a calliditate continuo, non ex justi principiis cum hominis cujusque tum politicorum virorum praestantiam repetebant: quod et serio faciebant eorum principes et miro acumine parique eloquentiae copia et elegantia. Nam vim et quasi maturitatem consecutae hae doctrinae per Socratis et Platonis philosophiam et Demosthenis eloquentiam, ut turpe esset vehementerque noceret moribus, sic ad ludicra negotia eloquentiâ abuti. Cousenescebat item hac aetate apud Graecos eloquentia, ut gratiae pristinae atque ubertatis vix levia referret vestigia: dialectica vero nunc demum praeceptis legibusque disputandi erat confirmata, ac per eloquentiam, quamvis decrepitam, quamvis apud Stoicos quidem ad infantiam redeuntem, tamen per eam, qualemcunque tandem, vim suam studebat exserere, mater fiebat contentionum futilium, falsasque opiniones non veri ignorantiâ temere, sed datâ operâ, sed rixandi caussâ elaboratis argumentationibus conclusionibusque probare aggrediebantur. Hac dialectica specie medio aevo in Europaeis populis prodiit. Scholastica ut erat, ita etiam ab illis et habita et appellata, qui, ad humani generis emolumentum summum, substituere ei Socraticam et Platonicam aggressi sunt.

Socraticae dialecticae et Aristotelicae discrimen.

Sed licet Aristotelis συλλογιστική, ut usurpata a posteris est, inductioni Socraticae repugnaret plane nocueritque perquam veritatis virtutisque studio, tamen non ita existimandum de illa est, quasi rejicienda sit omnino ut naturae contraria. Cavendum est maxime, ne Aristotelicae dialecticae auctorem cum syllogisticis sive scholasticis veteris recentiorisque aevi philosophis confundamus. Socratis dialecticam cum Aristotelis comparantibus, utriusque nobis tenenda est cum consilii tum utilitatis diversitas. Ambae *verum* spectant, sed Socratica *invenire* illud, Aristotelica *probare* nititur. Habent ita ambae utilitatem magnam, sed suam utraque, nec, quod altera efficit in studio veritatis, idem efficere altera

1) Plat. *de Rep.* I. 343. D.

potest. Syllogismis connectendis nemo unquam mortalium quidquam invenit novi: hoc est Socraticae methodi. Quodsi, quod inventum est, probare aliis et demonstrare, vel, si sit rejiciendum illud, confutare volumus, syllogismis utendum est. Haud peperit Socratica methodus Euclidis Στοιχεῖα· tum demum haec edi in lucem potuerunt, postquam Aristotelis syllogistica sive ab ipso, sive ab aliis, in mathematicas artes applicari coepit. Horum autem nullam esse ad discendum utilitatem, stultus sit necesse est, qui contendat. Et tantum abest, ut naturae adversetur methodus haecce, ut in familiari vitae sermonisque consuetudine, in vulgari scribendi docendique ratione, fere syllogismis homines ad declarandam sententiam suam, raro et vix unquam inductione utantur. Probando scilicet quam inveniendo, ut possunt, ita solent etiam magis operam navare. Nec vero tam stndiose omni aevo puerorum institutioni adhibitum fuisset Euclidis opus, si *synthesis* non aeque hominum menti atque *analysis* conveniret.

Sed ut vindicanda a multorum contemtu Aristotelis est ratio, ita, ipse Aristoteles quis fuerit quidque fecerit, recte est dijudicandnm. Ut auctor fuit methodi hujus, ita a multis homo haberi syllogisticus, imo vero scholasticus solet. Quod de eo judicium ferunt, qui ipsum nnnquam legerunt, e solo eum judicant hominum rumore, e discipulis, ut vulgus, de magistro conjecturam capiunt, confunduntque divinum virum cum scholasticorum hominum, qui ipsius nomine se sustinuerunt appellare, multitudine. Qui legit Aristotelem, parum abest, quin tantâ eum, quantâ ipsum Platonem admiratione prosequatur, ac Ciceroni assentiatur facile, utrumque in omnibus scriptis, excepto uno Socrate, caeteris praeferenti philosophis omnibus. Novum Aristoteles excogitavit elaboravitque dialecticae ὄργανον, quo syllogisticam admirabili quadam ingenii subtilitate exposuit legibusque adstrinxit: nec tamen eodem Socratis neglexit ἐπαγωγήν. 1) Paravit hoc *organum* ille posteritati magis, quam sibi suaeve aetati. Usi sunt syllogismis Stoici, 2) ut aliorum confutarent doctrinam, suam confirmarent, usi sunt eodem consilio scholastici: ipse Aristoteles vix est illis usus. Eadem ejus ratio ac Platonis fuit. Ut ille inventam a Socrate ἐπαγωγήν, ita hic analyticam rationem, a Platone in lucem prolatam, scriptis usurpavit suis. Sed haec tum demum poterunt intelligi, postquam, quod nunc aggredimur et nunc demum aggredi recte possumus, Platonis methodum declaraverimus.

---

1) Aristot. *Analyt.* I. 1. et passim.
2) Cic. *de Fin.* IV. 4.

Platonis dialectica. Quid Socrati debuit Plato?

Haec de Socratis nobis et Aristotelis sufficiant dialectica. Medius inter utrumque Plato fuit, quippe illius discipulus, hujus magister; sed pariter ejus dialectica inter Socraticam et Aristotelicam medium tenet locum. Multa is debuit Socrati: *ἐλεγκτικὴν* sive *μαιευτικὴν*, artem plane Socraticam, utpote cum amoris conjunctam disciplina, nec minus animo moribusque quam menti salutarem: tum *definiendi artem*, quà res, de qua agitur, ex ipsius natura declaratur: in primis vero, quam modo exposuimus, quaeque et definiendo procedit et ipsius est *μαιευτικῆς* progressio, *ἐπαγωγὴν* sive *inductionem* Sed haec fuerant a Socrate cum inchoata tantum, tum naturae magis instinctu, quam arte et consilio prolata. Plato vero eadem et attendit diligenter, et judicio exploravit, et auxit aliorum adhibendis, Eleaticorum, Megaricorum, ipsorum Sophistarum inventis: novo auxit dialecticae genere, quod modo memoravimus, *analytico*, ut vulgo vocatur, sive quod *cernendo jungendoque*, *διαιρέσεσι καὶ συναγωγαῖς* procedit. Sic autem viam munivit Aristoteli, qua hic progressus, analytico scribendi disserendique genere res omnes divinas et humanas explicare studuit. Sed alia sunt item, quae Socrati debuit Plato, quibusque tractandis superavit magistrum suum: ipsum ei debuit certum et constans dialecticae propositum.

Idem est apud Platonem dialecticae, quod arithmeticae, geometriae, ceterarumque disciplinarum finis. Valet haec pariter et vero maxime valet ad animum his rebus mutabilibus, dubiis et incertis eximendum, convertendumque ad ea, quae certa sunt et immutabilia. Ab iis, quae sensibus percipiuntur, abducit nos geometria. Non loquuntur germani geometrae circulos illos et triangula, qui imperfectà specie in tabulis exstant picti, vel manu sunt elaborati, vel apparent alicubi in rerum natura: hos vulgo relinquunt ac pueris: ipsi circulum ipsum, ipsum triangulum mente intuentur. Sic dialecticae Plato hoc tribuit officium, ut ad pulcrum, bonum, justum, ipsum per se, non quale apparet, trahat mentem et adducat, missis, quae vulgo his nominibus dicuntur, nec imperfectà sunt tantum, sed falsà, sed contrarià subinde specie: isque demum, de ejus judicio, verus et dialecticus est et philosophus, qui omnium rerum tam puras animo, quam figurarum perfectus geometra ideas contueatur. Quod ut effici per dialecticam posset, per geometriam cognatasque disciplinas a teneris praeparandos censuit adolescentum animos, quo magis suscitaretur in iis ac purgaretur, quod diximus, veritatis ὄργανον. Sed dialecticae ad hoc perficiendum, ut idem docet, major etiam vis est, quam caeterarum disciplinarum: imo vero, ut hae illud

perficiant, dialectica utuntur. Nulla res est profecto, qua magis a teneris mentem nostram explicamus acuimusque, quam sermo mutuus: nulla, qua facilius efficaciusque a sensibus nos ad ea, quae sola cogitatione assequimur, revocamus. Ὄργανον vero illud, quod memoravimus, ipsius ille *animi oculus*, *sexcentis oculis potior*, quo tandem modo per mathematicas artes ad verum cernendum purgari acuique posset, si mutae hae essent, nec vox accederet sive docentis sive discentium, sive etiam tacita illius, qui ipse secum in discendo colloquitur? Sed ut sermocinando assequimur maxime bene cogitandi dicendique artem, ita utramque hanc artem complectitur dialectica, estque illa una disciplinarum omnium maxime efficax cum ad veri assequendam scientiam, tum ad hanc scientiam cum aliis communicandam. In his quidem Platonem altius spectasse quam Socratem, nemo est, quin sponte videat. Socrates res illas sublimes et difficiles sapientibus cedebat; ipse sua curabat aliorumque negotia, i. e. animum suum et veram civium suorum salutem. Veruntamen et Socratem propius ad Platonem accessisse, et magis Platonem a Socrate profecisse, quam soleat existimari, ex utriusque efficitur philosophia. Relinquebat, fateor, Socrates res sublimes, quae hominem non spectarent, doctis hominibus, qui his explicandis delectarentur; cujus rei testis nobis Xenophon est in Memorabilibus. Sed eodem opere, eodem loco Xenophon spectasse testatur Socratem *τί εὐσεβὲς, τί ἀσεβὲς· τί καλὸν, τί αἰσχρὸν· τί δίκαιον, τί ἄδικον.* 1) Ecquid autem Plato in omnibus scriptis persecutus est diligentius, quam pulcrum, justum, sanctum, honestum? Sunt haec ipsa ideae Platonis. Plato vero ut has duxit e Socratico fonte, sed suâ nobis sublimitate proposuit, ita non sic discessit a magistro, quin magna haec et sublimia hominum accommodaret societati. Omnes ejus de numeris, de geometria, de astronomia, harmonia, de hac ipsa, quam nunc spectamus, sublimi sane dialectica disquisitio, omnium maxime ad civitatem refertur, ut, qui praefuturi sunt civitati aliquando eamque beatam redditurі, optimis excolantur disciplinis. Ergo, si Socratis quaeritur et Platonis in dialectica propositum, hujus videtur majus sublimiusque fuisse, a Socratico vero proposito vereque homini salutari non diversum.

De methodo Platonis, quae cernendo jungendoque procedit, sive de analysi.

Ad hanc item excolendam perficiendamque methodum, cum aliis, tum vero Socrati debuisse multum videtur Plato. Conjuncta illa quam proxi-

1) Xen. *Mem.* I. 1. § 16.

me est cum Socratis *ἐπαγωγῇ*· imo vero priusquam apud eum ad cernendum jungendumque proceditur, res adducuntur vulgares, sensibus patentes, unicuique obviae ac notae, a quibus ad ea, quae exquiruntur, producimur. Complectitur item veram definiendi rationem, quae, Socrate auctore, non voces, sed ipsas res spectat. Quodsi ad inveniendum potissimum spectat Platonis methodus, a Socratica illud inductione, ut vidimus, non alienum est. Veruntamen quidquid aliis debuit Plato, sic ille hanc cernendi jungendique artem et descripsit et factitavit, ut novum dialecticae genus induxisse visus sit, fueritque illud per totam antiquitatem celebratum. Ipse hanc methodum in scriptis suis eo fere ardore praedicat, quo inventa sua inventores amplecti fere solent. Cum Phaedrum scriberet juvenili aetate, *ἐραστὴν* se esse hujus methodi profitebatur, eumque, qui usurparet illam, ut Deum venerari. *Τούτων δὴ ἔγωγε αὐτός τε ἐραστὴς, ὦ Φαῖδρε, τῶν διαιρέσεων καὶ συναγωγῶν, ἵν' οἷόστε ὦ λέγειν τε καὶ φρονεῖν· ἐάν τέ τιν' ἄλλον ἡγήσωμαι δυνατὸν εἰς ἓν καὶ ἐπὶ πολλὰ πεφυκόθ' ὁρᾶν, τοῦτον διώκω*

κατόπισθε μετ' ἴχνιον ὥστε θεοῖο.

Hujus ego, o Phaedre, discernendi jungendique artis et ipse amator sum, ut et dicere et cogitare possim, et, si quem alium posse existimaverim unum et multa pro rerum natura perspicere, illius ego prosequor, tanquam Dei cujusdam, vestigia. 1) Dubitabat adhuc illa aetate, quo nomine appellaret, qui eam tractarent: tantum abest, ut cum vulgari eam dialectica confuderit. *Καὶ μέντοι καὶ τοὺς δυναμένους αὐτὸ δρᾶν, εἰ μὲν ὀρθῶς ἢ μὴ προσαγορεύω, θεὸς οἶδε· καλῶ δὲ οὖν μέχρι τοῦδε διαλεκτικούς· et sane illos, qui id facere possunt, rectene an secus, Deus noverit; appello autem eos adhucdum dialecticos.* 2)

Sed in Phaedro divinam methodum dicendi scribendique arti adhibebat: postea vim ejus et ubertatem interius perspicere coepit. Socratem in Philebo sic inducit cum Protarcho de ea disserentem: «*οὐ γάρ ἐστι καλλίων ὁδὸς, οὐδ' ἂν γίγνοιτο· ἧς ἐγὼ ἐραστὴς μέν εἰμι ἀεὶ, πολλάκις δέ με ἤδη διαφυγοῦσα, ἔρημον καὶ ἄπορον κατέστησε· nec vero est neque esse potest pulcrior via ac ratio, cujus ego semper amator sum, saepius autem me illa fugit et destituit.* — Quaenam illa tandem? dicatur modo. — *Ἣν δηλῶσαι μὲν οὐ πάνυ χαλεπὸν, χρῆσθαι δὲ παγχάλεπον· πάντα γὰρ, ὅσα τέχνης ἐχόμενα ἂν εὑρεθῇ πώποτε, διὰ ταύτης φανερὰ γέγονε· quam declarare non ita difficile est, usurpare vero perquam difficile: omnia enim, quaecunque in artibus inventa unquam sunt, per hanc in lucem sunt prodita.* Vide autem, quam dicam. — Dic vero tandem. — *Θεῶν-*

---

1) *Phaedr.* 266. B. Cf. *Phileb.* 16. B.
2) *Phaedr.* l. l.

μὲν εἰς ἀνθρώπους δόσις, ὥς γε καταφαίνεται ἐμοὶ, ποθὲν ἐκ θεῶν ἐῤῥίφη διά τινος Προμηθέως ἅμα φανοτάτῳ τινὶ πυρί· *donum Deorum, ut mihi videtur, divinitus ad homines per Prometheum quendam una cum lucidissimo igne delapsa est.»* 1) Unde intelligitur, quam late pateat apud Platonem per omnes artes artiumque inventiones vis dialecticae. Et vero fructum inde posteri uberrimum ceperunt. Dicitur Aristoteles primus fuisse, qui artes doctrinasque et distingueret a se invicem rite et singulis propriam constitueret rationem: idem vero ante eum jam inchoaverat Plato, certe quomodo id esset perficiendum, hac tradenda cernendi jungendique arte docuerat. Quin etiam quae scholae mathematicorum Platonicae tribui fere inventa solent, a nova hac Platonis methodo repetenda magnam partem videntur. Quod Proclus animadvertit, quum agebat de Leodamantis mathematici inventis: *καλλίστη μὲν μέθοδος ἡ διὰ τῆς ἀναλύσεως ἐπ' ἀρχὴν ὁμολογουμένην ἀνάγουσα τὸ ζητούμενον· ἣν καὶ ὁ Πλάτων, ὥς φασι, Λεωδάμαντι παρέδωκεν, ἀφ' ἧς καὶ ἐκεῖνος πολλῶν κατὰ γεωμετρίαν εὑρετὴς ἱστόρηται γενέσθαι.* 2)

Quae cum sit hujus methodi universaeque dialecticae Platonicae vis et ubertas, nos quidem de *divisione* et *partitione* non, ut de communi quodam logicae loco, agemus. Proferremus ita vulgares centiesque repetitas dialecticae sententias, in nullis non compendiis obvias. Proferre et quasi in lucem revocare ipsius Platonis methodum nobis propositum est, eamque ita producere, ut ab ipso descripta auctore est, cum definiendi arte et Socratica inductione conjuncta, uniceque valens ad rite et cogitandum et dicendum et scribendum, omninoque ut *donum divinitus*, quod ipse ait, *per Prometheum quendam ad hominum genus delatum.* Ut vero id recte instituamus, peto a lectoribus, ut, missis vulgaris dialecticae praeceptis, quibus a teneris sumus imbuti, ex uno mecum Platone haurire velint, eàdemque, qua ille, viâ et ratione procedant.

Tres sunt dialogi Platonis, quorum alius ex alio fluxit, ut disserendi in iis quasi continuatio quaedam cernatur, *Theaetetus*, *Sophista*, *Politicus*. Recte hos *dialecticos* voces. 3) Nam, ut quaerendi interrogandique sive potius obstetricandi in philosophia artem *Theaetetus* continet, ita hanc cernendi jungendique methodum in *Sophista* et *Politico* exposuit Plato. De primo hujus trilogiae dialogo jam diximus. 4) Occurrit in eo

---

1) *Phileb.* 16. B. C. Manifeste huc respexit Cicero *de Rep.* III. 2. *quorum animi altius se extulerunt, et aliquid dignum dono deorum aut efficere aut excogitare potuerunt.*

2) Vid. Casaub. *ad Diog. L.* III. 24. Cf. Dionys. Hal. *art. Rhet.* XI. 8. p. 66, et Stallbaum *ad Plat. Phileb.* Prol. p. LIV.

3) Vid. Ast *Plato's Leben* p. 53.

4) *Initia* p. 124 sqq. 141 sqq.

nobis Theaetetus, philosopha adolescens indole praeditus, cui Socrates continuo quaestionem, quid sit scientia, proponit, ut, qnae insunt ejus ingenio tanquam foetus, cum veras, tum falsas praejudicatasque opiniones eliciat, illas probet alatqne, has rejiciat ac deleat, quo magis iis liberatum adolescentis ingenium, recte deinde et cogitet, et judicet. Non scientiae datâ operâ definiendae caussâ sermones illi procedunt, sed illo proposito praesertim, ut *ars* quaerendi interrogandique Socratica, omnino ἔλεγχος sive μαιευτικὴ in luce ponatur. Simillimum *Sophistae* et *Politici*, de quibus jam nobis agendum, cum propositum tum argumentnm est. Idem in iis occurrit Theaetetus: adsunt item Socrates et Theodorus; sed accedit hospes aliquis Eleates, qui sic interrogando artem cernendi jungendique declarat, ut μαιευτικὴν antea declaraverat Socrates. Ingressus igitur Theodorus « ut heri, inquit, inter nos convenit, cum ipsi huc redimus, tum hunc adducimus hospitem Eleatem, virum plane philosophum. » Socrates eum mira continno urbanitate, nec vero sine ironia excipit. « Tune vero, inquit, Theodore, non hospitem, sed Deum fortasse quendam, secundum Homerum, inscius, ad nos duxisti? Dicit enim ille, cum alios Deos hominibus, qui quidem justi pudoris participes sunt, tum Hospitalem non minime Deum, comites se praebere, ut hominum cum injurias, tum aequitatem inspiciant. Fortasse igitur et tibi aliquis superorum comes est, ut nos, qui in disputando nihil magnopere valemus, et inspiciat et redarguat, ipse scilicet redargutionis aliquis Deus. 1) Hic Theodorus, non mos hic, o Socrates, inquit, hujus hospitis est, sed modestior est illis, qui contentionibus student, et videtur mihi vir Deus quidem minime, veruntamen *divinus* esse: omnes enim ego philosophos hoc nomine voco. Ad haec Socrates, recte tu quidem, amice, respondet; sed horum genus videtur mihi non facilius ad discernendum, quam Deorum, esse. Nam viri illi, qui quidem non ficte sed vere philosophi sunt, propter caeterorum inscitiam, omni forma ac specie apparentes, urbes circumeunt, desuper inferiorum vitam despicientes: et aliis quidem nullo, aliis omni honore colendi videntur: modo antem politicorum specie, modo sophistarum apparent: interdum etiam nonnullis plane videntur insani.” 2) Hinc ille orsus petit deinde ab hospite, ut exponat sibi, quo tandem hi modo apud Eleates distinguantur, sophista, politicus, philosophus. Nobis autem ex hoc exordio intelligere licet, Platonis fuisse propositum, non, quae communis est sententia, ut sophistas politicosque homines irrideret: quamquam id fecit reapse nec minus festive, quam in *Nubibus* aliisque comoediis Aristophanes; sed, ut a sophistis et politicis *philosophos* distiugueret, vel po-

1) *Soph.* 216. A. B. Cf. Hom. *Odyss.* ρ'. vs. 485.

2) *Soph. eod.*

tius, quod spectasse magis etiam videtur, ut hoc distinguendi studio ipsam cernendi jungendique artem, quasi dramatice, lectoribus proponeret. Quamquam propositum non plane explevit. Nam sophistae et politico non adjecit philosophum. 1) Philosophus vero quis sit, alio deinceps opere, in *Politia*, minus dialectice, sed non minus philosophice, ut ipsi jam vidimus, expressit. Sed pergamus.

Hospes igitur, ut gratificetur Socrati, et sophistam exprimit continuo, qualis sit, nec facit longa oratione, ut solebant Eleatici, sed ratione Socratica, interrogando ac respondendo: idemque, ut heri Socrates, ita nunc ipse, Theaetetum ad sermones invitat. «Age, inquit, Theaetete, quid sid sophista, quaeramus: nam nunc quidem nomen solum habemus commune, rem vero, quae nomine appellatur, uterque facile nostrum propriam sibi habeat: oportet autem semper, rem magis ipsam, cum rationibus, quam nomen solum sine rationibus, utrinque tenere. Genus autem illud, quod nunc exquirere in animum induximus, non omnium facillimum est ad assequendum, quid sit, *sophista* scilicet. Quae autem magno cum studio exquirenda sunt, de his vetus est ac communis omnium sententia, prius ea oportere in parvis et facilioribus, quam in ipsis maximis, meditandi caussâ considerari. Nunc igitur equidem, o Theaetete, nobis id suadeo, ut, cum difficile ad assequendum venandumque sit sophistae genus, primum in alio quodam faciliore assequendi ejus rationem praemeditemur: nisi tu fortasse commodiorem habes, quam indices, viam. — Ego vero non habeo. — Visne igitur vile quid quaeramus, idque conemur exemplum ponere majoris illius negotii? — Omnino. — Quid igitur proponamus, quod notum sit omnibus et parvum, rationem autem non minorem, quam quidvis majorum, habeat? Veluti *ἀσπαλιευτής, piscator hamularius:* nonne et omnibus id notum et non magni momenti negotium est? — Certe. — Viam illum et rationem habere ad id, quod quaerimus, aptam spero. — Id si ita esset, res se optime haberet. — Age, hinc exordiamur: dic mihi, artisne eum peritum, an expertem artis, aliâ vero facultate valentem ponemus? — Minime sane expertem artis. — Artium omnium duo sunt genera. — Quaenam illa? — Agricultura et quaecunque cultura quodvis mortale corpus spectat, tum vero etiam quidquid compositum est et fictum, quod supellex vocatur, arsque imitandi, haec universa uno nomine recte dicantur. — Quomodo et quo nomine? — *Πᾶν ὅπερ ἂν μὴ πρότερόν τις ὂν ὕστερον εἰς οὐσίαν ἄγῃ, τὸν μὲν ἄγοντα ποιεῖν, τὸ δὲ ἀγόμενον ποιεῖσθαί πού φαμεν· quodcunque aliquis, cum antea non fuisset, postea eo adduxit ut esset, is, qui id eo adduxit, fecisse, id autem, quod eo adductum est, factum dicitur.* — Recte. — Cuncta, quae modo retulimus, illuc naturâ ipsa

1) Dubitat Plato, num hoc facturus sit *Soph.* 253 E. 254 B.

suâ valent. — Valent omnino. — *Ποιητικὴν* igitur, *faciendi artem*, summatim illa dicamus. — Sit ita. — *Τὸ δὴ μαθηματικὸν αὖ μετὰ τοῦτο εἶδος ὅλον καὶ τὸ τῆς γνωρίσεως, τό τε χρηματιστικὸν καὶ ἀγωνιστικὸν καὶ θηρευτικὸν, ἐπειδὴ δημιουργεῖ μὲν οὐδὲν τούτων, τὰ δὲ ὄντα καὶ γεγονότα, τὰ μὲν χειροῦται λόγοις καὶ πράξεσι, τὰ δὲ τοῖς χειρουμένοις οὐκ ἐπιτρέπει, μάλιστ᾽ ἄν που διὰ ταῦτα ξυνάπαντα τὰ μέρη τέχνη τις κτητικὴ λεχθεῖσα ἂν διαπρέψειε· genus autem deinde omne, quod ad discendum et cognoscendum pertinet, quodque refertur ad quaestum, ad certamina, ad venationem, quum horum nihil faciat quidquam, sed ea quae adsunt et facta sunt, partim sermonibus factisque sibi vindicet, partim vindicantibus non concedat, propter has omnes ipsius partes optime κτητικὴ, ars acquirendi, dicta, eas omnes complectatur ac definiat.* — Sic deceat omnino. — Cum igitur omnes vel ad *κτητικὴν* vel ad *ποιητικὴν* referantur, utri earum, o Theaetete, *ἀσπαλιευτικὴν* tribuamus? — *Κτητικῇ* sane. — *Κτητικῆς* autem nonne duae sunt species? altera, quae voluntariâ permutatione fit, dono, venditione, mercede: reliqua species vel facto vel sermone sibi vindicans, *χειρωτικὴ* sit. — Patet e dictis. — *Χειρωτικὴν* autem nonne bipartito dividamus? — Qua ratione? — Si palam sibi vindicat, certando, si clam, venando eam procedere atque esse *θηρευτικὴν* ponamus. — Omnino. — *Θηρευτικὴν* autem absurdum esset non bipartito dividere. — Dic, qua ratione? — Discernentes alteram speciem rerum non animatarum, alteram animatarum. — Quidni? Sunt enim ambae hae species. — Sunt sane, et decet nos non animatorum speciem, quippe nomine carentem, dimittere, praeterea nec natantium quasdam partes et alia istiusmodi exigua; sed alteram speciem, quae viventium est animalium venatio, *ζωοθηρικὴν* appellare oportet. — Esto. — *Ζωοθηρικῆς* autem nonne duplex species jure dicatur, altera pedestris generis, variis formis nominibusque distincta, *πεζοθηρικὴ*, altera natantium animalium, *ἐνυγροθηρικὴ*; — Omnino. — Natantis generis partem natare per aërem, sive volare, partem per aquam natare videmus. — Quidni? — Et volantis quidem generis omnis venatio *ὀρνιθοθηρευτικὴ* dicitur. — Dicitur sane. — Aquatilium vero universe fere *ἁλιευτική*. — Omnino. — Quid? Hanc rursus venationem nonne in duas maximas partes dividimus? — Quaenam istae? — Partim hîc retinaculis, partim percussione venamur. — Qua utrumque ratione distinguis? — Alterum, quoniam quidquid coërcendi gratiâ aliquid comprehendendo cohibet, retinaculum vocatur. — Recte. — Nassas, retia, laqueos, verricula, caetera hujusmodi nonne retinacula vocanda sunt? — Sunt omnino. — Hanc igitur venationis partem *ἑρκοθηρικὴν* vel simili nomine appellabimus? — Omnino. — Altera vero species, quae hamis et fuscinis captat, *πληκτικὴ* universo nomine dicenda

est, nisi quis aliud pulcrius nomen invenerit. — Nomen mittamus, hoc enim sufficit. — *Πληκτικῆς* autem ratio, quae noctu ad ignis lumen ab iis, qui sic venantur, fit, *πυρευτικὴ* appellanda videtur. — Videtur omnino. — Altera autem ejusdem ratio, quae interdiu fit, cum in extremitatibus fuscinae etiam uncos habcant, tota *ἀγκιστρευτικὴ* vocatur. — Recte. — Hujus autem modus, qui a superiore parte in inferiorem procedit, quoniam tridentibus utitur maxime, *τριοδοντία* dicitur. — Sic appellant nonnulli. — Reliqua autem una nobis species est. — Qualis illa? — Percussio quaedam hamo facta, contraria superiori, neque in qualibet piscium parte, veluti fuscina, sed in capite et ore duntaxat, ab inferiore parte ad superiorem virgis et calamis attrahens: hujus quod potissimum, o Theaetete, nomen esse dicemus? — Existimo equidem, quod modo proposuimus exquirendum, nunc jam perfectum esse. — Nunc igitur *ἀσπαλιευτικῆς* non modo nomen ego et tu communi sententia, sed rationem etiam ipsumque opus accepimus sufficienter. Nam universae artis dimidia pars erat *κτητικὴ· κτητικῆς* autem *χειρωτικὴ· χειρωτικῆς θηρευτικὴ· θηρευτικῆς ζωοθηρικὴ· ζωοθηρικῆς ἐνυγροθηρικὴ· ἐνυγροθηρικῆς* pars, quae sursum procedit, *ἁλιευτικὴ· ἁλιευτικῆς πληκτικὴ· πληκτικῆς ἀγκιστρευτικὴ·* hujus autem pars, quae ab inferiore loco sursum attrahit, nomine ab ipso attrahendo assimilato, *ἀσπαλιευτικὴ*, quam quaesivimus, vocatur. — Id quidem omnino declaratum nobis est.» 1)

Inductionem complectitur apud Platonem analysis.

Legenda haec lectoribus apposui, ut ipsi inde de Platonis dialectica judicarent. Et primum quidem inductionem, *ἐπαγωγὴν* Socraticam, quis est, quin in hisce animadvertat continuo? In ipso principio a re quadam faciliore ac manifestiore inchoandum dixit hospes, ut hinc ad difficiliora atque obscuriora conjectura duceretur. Est autem res illa facilior ac manifestior, ut hinc, itemque ex *Politico* patet *παράδειγμα, exemplum. Χαλεπὸν*, in Politico hospes ait, *μὴ παραδείγμασι χρώμενον, ἱκανῶς ἐνδείκνυσθαί τι τῶν μειζόνων· difficile est, sine exemplis aliquid eorum, quae majora sunt, recte declarare.* 2) Itaque ut hîc piscatore, ita illic texendi arte tanquam *exemplo* utitur. Sed ex eodem illo dialogo, quo politicus sive rex, ut hîc sophista, exquiritur, ipsam hanc disquirendi per exempla rationem explicare hoc loco juvat. Illustrat eam hospes e literarum disciplina. «Pueros novimus, inquit, ubi literarum fieri periti incipiunt, literarum unamquamque in brevis-

1) *Soph.* 218 — 221.
2) *Politic.* 277. D.

simis facillimisque syllabis recte assequi, in aliis antem syllabis easdem nec assequi et dubitando haesitandoque falli. Quae igitur facillima, quae pulcerrima ratio est, qua eos ad illas, quas nondum cognoverunt, adducamus? Nonne haec est? *Ἀναγαγεῖν πρῶτον ἐπ' ἐκεῖνα στοιχεῖα, ἐν οἷς ταὐτὰ ταῦτα ὀρθῶς ἐδόξαζον· ἀναγαγόντας δὲ, τιθέναι παρὰ τὰ μήπω γιγνωσκόμενα· καὶ παραβάλλοντας, ἐνδεικνύναι τὴν αὐτὴν ὁμοιότητα καὶ φύσιν ἐν ἀμφοτέραις οὖσαν συμπλοκαῖς· μέχριπερ ἂν πᾶσι τοῖς ἀγνοουμένοις τὰ δοξαζόμενα ἀληθῶς παρατιθέμενα δειχθῇ· δειχθέντα δὲ, παραδείγμαθ' οὕτως γιγνόμενα, ποιήσῃ τῶν στοιχείων ἕκαστον πάντων ἐν πάσαις ταῖς συλλαβαῖς, τὸ μὲν ἕτερον, ὡς τῶν ἄλλων ἕτερον ὄν· τὸ δὲ ταυτὸν, ὡς ταυτὸν ἀεὶ κατὰ ταυτὰ ἑαυτῷ προσαγορεύεσθαι· educere eos primum ad illas literas, in quibus haec eadem recte opinati fuerint: educentesque apponere his literis eas, quas nondum cognoverint, ut, comparando, in utrisque ostendamus eandem similitudinem ac naturam, donec omnibus, quas nondum cognoverunt, illae, quas jam opinione assecuti sunt, appositae, ostensae illis fuerint: ostensae scilicet hae, quippe quae e x e m p l a erunt ad ignotas cognoscendas, efficient, ut omnium literarum unamquamque in omnibus syllabis, si diversa est, tanquam a caeteris diversam, si eadem est, tanquam eandem sibique constantem pronuncient.* Sic pueri literas discunt, et sic exsistit exemplum, quum, quod idem est in alterutro sejuncto, recta opinione conceptum, hoc utrique accommodatum, unam amborum communiter rectam opinionem parit. Quae cum ita sint, ad res ignotas cognoscendas exemplis utimur, et ipsis exemplis, quo rectius intelligantur, exempla adhibemus ex minoribus etiam rebus, ut, sic patefactis rebus, ὕπαρ ἀντ' ὀνείρατος, pro somnio veritatem consequamur.» 1)

Haec sane diligenter attendisse, si interius velimus Socraticam methodum perspicere, non pigebit. Sed patet ita nobis, quod proprie hinc efficiendum rati sumus, cum methodo illa apud Platonem *analysin* conjunctam esse, hanc autem similiter per exempla procedere. Sunt vero nobis alia etiam et quam plurima ex iisdem hospitis in *Sophista* sermonibus, ad Socraticae illius inductionis rationem percipiendam, animadvertenda. Et primum quidem hilaritatem attendamus, quae nulla fere est in recentiorum disputationibus dialecticis, sed per sermones hosce aequabiliter diffusa est. Nam quod in Socraticis Platonis dialogis saepenumero cernimus, in rebus eum seriis joco subinde et facetiis uti, quae exhilarant inter legendum animum, nec tamen accuratae rerum disquisitioni et explicationi officiunt, id in primis in hac tota de sophista disceptatione animadvertere licet. Exemplum piscatoris, quod ad

1) *Politic.* 277. E. 278. A. B. E.

sophisticam artem explicandam adhibetur, ut inductioni convenit, ita ad artem illam festivissima ratione exagitandam unice valet. Ex iis, quae adscripta sunt, auguramur jam facile, quali quamque ridicula specie e comparatione proditurus sit sophista; sed attendamus, quae proxime sequuntur: «Age vero, sic pergit hospes Eleates, secundum hoc exemplum sophistam, quid tandem sit, invenire conemur. — Conemur. — Illud scilicet primum fuit, quod quaesivimus, utrum expertem artis, an peritum esse statueremus, qui hamo piscatur, piscatorem, τὸν ἀσπαλιευτήν. — Fuit omnino. — Et nunc quidem sophistam, Theaetete, expertemne artis aliquem, an vero omnium maxime peritum vereque *sophistam* dicemus? — Minime sane expertem: intelligo enim, quid dicas, omnino hunc talem esse oportere, qui quidem hoc nomen habet. — Artis igitur alicujus peritum esse dicemus? — Cujusnam tandem? — Proh Deos, ignoramusne virum cum viro cognatum esse? — Quemnam illum? — Piscatorem hamularium cum sophista. — Qua in re? — Venatores quidam esse mihi ambo videntur. — Cujusnam venationis alter? de altero enim diximus. — Bipartito divisimus venationem omnem, natantium animalium et pedestrium. — Omnino. — Natantium species persecuti sumus, pedestria vero non divisimus: multiplicia illa esse dicebamus. — Diximus. — Hactenus igitur sophista et piscator simul ἀπὸ τῆς κτητικῆς τέχνης progressi sunt. — Sunt, ut videtur. — Discesserunt vero a se invicem ἀπὸ τῆς ζωοθηρικῆς· piscator ad mare et flumina ac lacus, quae in his sunt animalia venaturus. — Quidni? — Sophista autem in terram et alia flumina, veluti in prata quaedam divitiis et juventute abundantia, quae in his sunt animalia subacturus. — Quo illud pacto? — Πεζοθηρίας duae maximae partes sunt. — Qualis utraque? — Altera cicurum, agrestium altera. — Estne vero cicurum etiam venatio quaedam? — Est omnino, siquidem homo cicur animal est. Pone vero, uti placet, vel non cicur esse animal hominem, sed agreste quoddam, vel cicur esse, nullam vero esse hominum venationem. Haec, utrocunque modo tibi placeat, definito. — Ego vero et nosmet esse, o hospes, cicur animal arbitror et hominum esse venationem dico. — Duplicem igitur esse τὴν ἡμεροθηρικὴν dicamus. — Qua ratione? — Praedatoriam, ἀνδραποδιστικὴν, tyrannicam, bellicam omnem, cuncta haec violentam venationem appellamus. — Recte. — Quae vero judicando fit vel concionando vel conciliando, uno verbo πιθανουργικὴν quandam artem dicimus. — Bene. — Πιθανουργικῆς autem duae partes sunt. — Quales illae? — Altera privatim, publice altera fit. — Exstat utraque species. — Ἰδιοθηρευτικῆς autem pars μισθαρνευτικὴ est, altera δωροφορική. — Non intelligo. — Amatorum venationem nondum attendisse videris. — Qua in re? — Quod illis, quos venando ceperunt, munera insuper adhibent. — Vera narras. — Haec igitur amatoriae artis

species esto. — *Μισθαρνευτικὴ* vero partim gratiâ fit et voluptatem unice escam habet, ut inde alimenta sibi pro mercede paret: hanc autem omnes facile, opinor, *κολακικὴν* quandam sive *ἡδυντικὴν* artem appellemus. — Quidni? — Cum autem partim profiteatur etiam, se virtutis caussâ alios sibi conciliare, pro mercede pecunias parantem, nonne hoc genus hominum alio nomine vocabimus? — Quidni? — Quonam igitur? dic, quaeso. — Patet sane: *sophistam* invenisse videmur. Hoc autem dicentem, aptissimo me eum nomine appellasse puto. — Secundum hanc igitur disceptationem nostram, o Theaetcte, quae juvenum, divitum, illustrium est venatio, quaeque fit per artem conciliandi, subigendi, venandi, per *ζωοθηρίαν*, *χερσαίαν*, *ἀνθρωποθηρίαν*, *πιθανοθηρίαν*, *ἰδιοθηρίαν*, *νομισματοπωλικὴν*, *δοξοπαιδευτικὴν* venationem, hanc, inquam, ut nostra evincit disceptatio, appellari decet *σοφιστικὴν*.» 1)

Sed festivum alicui fortasse, nec tamen dignum philosopho negotium videatur, sic in sophistam quasi venationem instituere venandoque eum capere. Quod ipsam hanc *venationem* attinet, convenit Socraticae et Platonicae philosophiae, quae tota *quaerendo*, *indagando*, *investigando* procedit. Unde maxime laudat Plato *τοὺς εὐφυῶς δυναμένους ἰχνεύειν τὴν τοῦ καλοῦ τε καὶ εὐσχήμονος φύσιν*. 2) Quae *investigandi* notio apud recentiores etiam a philosophis usurpatur, ubi exquirunt veritatem: latet in nostro *het ware opeporen*, item *bespeuren*. Plene autem, ut Plato, nos dicimus: *najagen*, *het goede najagen*. Quamobrem hac ipsa sophistae investigatione et venatione expressisse Plato cum dialecticae suae tum ipsius adeo philosophiae rationem videtur. Sed ejusdem in hoc ludicro, ut multis visum est, negotio altius spectavit consilium. Similiter in *Politico* politicum exquirens, fuse de textoria arte disceptaverat. «Atqui, ait, *τὸν τῆς ὑφαντικῆς γε λόγον αὐτῆς ταύτης ἕνεκα θηρεύειν οὐδεὶς ἂν ἐθελήσειε νοῦν ἔχων· ἀλλ', οἶμαι, τοὺς πλείστους λέληθεν, ὅτι τοῖς μὲν τῶν ὄντων ῥᾳδίως καταμαθεῖν αἰσθηταί τινες ὁμοιότητες πεφύκασιν, ἃς οὐδὲν χαλεπὸν δηλοῦν, ὅταν αὐτῶν τις βουληθῇ τῷ λόγον αἰτοῦντι περί του, μὴ μετὰ πραγμάτων, ἀλλὰ χωρὶς λόγου ῥᾳδίως ἐνδείξασθαι· τοῖς δ' αὖ μεγίστοις οὖσι καὶ τιμιωτάτοις οὐκ ἔστιν εἴδωλον οὐδὲν πρὸς τοὺς ἀνθρώπους εἰργασμένον ἐναργῶς, οὗ δειχθέντος, τὴν τοῦ πυνθανομένου ψυχὴν ὁ βουλόμενος ἀποπληρῶσαι, πρὸς τῶν αἰσθήσεων τινὰ προσαρμόττων, ἱκανῶς πληρώσει· διὸ δεῖ μελετᾷν, λόγον ἑκάστου δυνατὸν εἶναι δοῦναι καὶ δέξασθαι· τὰ γὰρ ἀσώματα, κάλλιστα ὄντα καὶ μέγιστα, λόγῳ μόνον, ἄλλῳ δὲ οὐδενὶ σα-*

---

1) *Soph.* 221. C. — 223. B. Totum locum ex probabili Heindorfii interpretatione verti.

2) *De Rep.* III. 401. C.

φῶς δείκνυται· τούτων δὲ ἕνεκα πάντ' ἐστὶ τὰ νῦν λεγόμενα· *textoriae artis rationem hujus ipsius causâ nemo prudentior exquirere velit; sed latet plerosque, opinor, rebus quidem, quae facile cognosci possint, imagines quasdam esse proprias, sensibus percipiendas, quas indicare non difficile est, quoties quis illarum aliquam exquirenti non aegre et cum molestia, sed sine ratiocinatione facile vult monstrare; rebus vero maximis praeclarissimisque non esse imaginem ullam ad hominum captum effictam, quâ monstratâ is, qui exquirentis animum explere cupit, sensui cuidam accommodans, satis expleat. Quapropter operam dare oportet, ut rationes de singulis et dare et accipere possimus. Nam incorporea, quae pulcerrima sunt et maxima, ratiocinatione soluni, alia vero re nulla evidenter demonstrantur. Horum gratiâ haec nobis omnia dicta sunt.»* 1) Ex qua memorabili in primis sententia vim et rationem simul inductionis Socraticae plenius licet cognoscere. Sic illa procedit, prouti nos docuerunt Socratici apud Xenophontem sermones, et modo, quum de *exemplo* agebamus, vidimus, ut rebus obscurioribus manifestiores apponantur, quarum comparatione illustrentur; sed hîc videmus, illuc eam praesertim valere, ut, quae sensibus non patent, sed unâ cognosci mente et cogitatione possunt, *τὰ ἀσώματα*, rerum spectabilium comparatione intelligantur, omnino ut, ex mundo ὁρατῷ conjecturis captis, sic judicare de mundo *νοητῷ* studeamus. Quae ratio sic naturae consentanea est ingenii humani, ut linguis adeo omnium gentium comprobetur. Nam, quod a compluribus animadversum philosophis est, quaecunque in linguis vocabula res indicant a sensibus remotas, vel ducta sunt, vel colorem certe habent a rebus, quae videntur, audiuntur, tanguntur, sensibus omnino percipiuntur. Et vero, nisi ex hisce cogitando imagines sumamus ad illa nobis repraesentanda, ne cogitare quidem nobis de illis liceret. Quod nostrae linguae Belgicae vocabulum *denkbeeld* et probat et eximie illustrat.

Haud iccirco vel miremur vel aegre feramus, ubi hospes ille nobis viliores artes, ut piscatoriam et textoriam, proponit. Imagines sunt, e quibus ad res gravissimas in primisque sublimes assequendas conjecturam ducamus. Negotia memorat deinceps in *Sophista* longe etiam viliora. Nam, capto sophista, sic porro hospes illic Eleates: « vides igitur, inquit, verum esse quod dicitur, ποικίλον esse hoc animal, utque proverbio fertur, non alterâ manu comprehendendum. — Ergo utrâque opor-

1) *Politic.* 285. D. E. 286. A. Sic locum interpretando expedivi, ut conjecturis non opus sit, quas juvenis proposui, *Spec. crit. in Plat.* p. 137. *Μὴ μετὰ πραγμάτων* est *sine molestia* e vulgari dictione πράγματα ἔχειν, vel παρέχειν τινί. Proximo id ῥᾳδίως exprimitur.

tet. — Oportet sane et pro viribus sic agamus, hujusmodi ejus vestigium persequentes. Dic mihi, servilium nominum usurpamus nonnulla? — Et multa quidem; sed hornm multorum quaenam quaeris? — Talia, qualia sunt quae dicimus *percolare*, *excribrare*, *vannare*. — Quidni? — *Carminare* praeterea, *deducere*, *pectere*, infinita alia, quae in artibus usurpari scimus. Nonne? — Vero: sed quid tandem inde declarare cupiens, his propositis exemplis, de iis omnibus quaesivisti? — *Διαιρετικά· ad discernendum apta* sunt, quae diximus, omnia. — Sunt omnino. — Universa illa, ut unam quandam continentia artem, uno nuncupanda nomine, meâ quidem sententiâ, videntur. — Quonam illo? — *Διακριτική*, *discernendi ars*. — Esto. — Vide, num hujus rursus duas alicubi species cernere possimus. — Subitam pro meo mihi captu considerationem imponis. — Enimvero in dictis discretionibus partim pejus a meliore, partim simile a simili discrevimus. — Ut nunc id ita a te dictum est, fecisse videmur. — Hujus quidem discretionis nomen non habeo; illius vero, quae relinquit melius, pejus autem abjicit, habeo. — Dic, quodnam? — Omnis hujuscemodi discretio ab omnibus, ut conjicio, *καθαρμός τις, purgatio quaedam* vocatur. — Vocatur omnino. — Atqui purgationis duplicem esse speciem quisque videt. — Sane, otium quidem ad considerandum nactus; ego vero nondum video. — Quae ad corpora referuntur multae purgationis species, has uno continere nomine decet. — Quasnam illas et quonam nomine? — Partim animalium sunt: ad sordes pertinent, quae cum intus gymnasticae et medicae artis ope¹, tum extrinsecus, quae balneorum usu recte discernuntur atque abluuntur: vilia harum nomina usurpantur: partim sunt rerum inanimatarum purgationes, quarum curam habent fullonum omninoque illorum artes, qui eas singulas singulatim nitidas reddunt et ornant: harum item multa feruntur et ridicula, ut videntur, nomina. — Et perquam quidem ridicula. — Perquam sane, o Theaetete: verum *disserendi ars* nec minorem habet nec majorem purgationis rationem, sive illa per spongia, sive per medicamentorum haustum fiat, sive item parvam nobis vel magnam utilitatem praebeat. *Τοῦ κτήσασθαι γὰρ ἕνεκα νοῦν πασῶν τεχνῶν τὸ ξυγγενὲς καὶ τὸ μὴ ξυγγενὲς κατανοεῖν πειρωμένη τιμᾷ πρὸς τοῦτο ἐξ ἴσου πάσας, καὶ θάτερα τῶν ἑτέρων κατὰ τὴν ὁμοιότητα οὐδὲν ἡγεῖται γελοιότερα· nam cum cogitandi recte ac sapiendi causâ in omnibus artibus id attendere, quod cognatum aut non cognatum est, conetur, huc respiciens, pari universas honore habet, aliaque aliis secundum similitudinem nihilo magis ridicula censet:* quin etiam nihilo honestius putat venandi artem declarare, qui per artem eam militarem, quam qui per pediculorum venationem declaret, sed inflatius id fere ac tumidius agere. Et nunc quidem, quod quaerebas, quonam nomine cunctas facultates, quaecunque corpus sive animatum, sive inanimatum purgandum nactae

sunt, appellaturi simus, nihil utique refert artis dialecticae, quale illud pronunciatum honestius videatur: dummodo nomen habeat, quod, exclusis animi purgationibus, illas includat vinciatque omnes, quae aliud quid purgant. Mentis enim purgationem a caeteris aggressa est discernere, si, quo tendat, didicimus. — Ego vero et didici et concedo, duas esse purgationis species, alteramque illam, quae mentem spectat, a corporis purgatione secretam esse. — Optime omnium: in hoc autem insuper mihi obsequere, quodque dicturus sum, rursus bipartito dividere tenta. — Quocunque duxeris, tecum partiri conabor.» 1)

Hic cernendo jungendoque procedens Eleates, casu, ut videtur, in *κάθαρσιν* et *μαιευτικὴν* incidit, proque sophista in hac venatione philosophum capit. Quod quomodo accipiendum sit, tum declarabimus, quum de *inventione*, Platonicae in primis dialecticae propriâ, acturi sumus. Nunc animadvertamus, vilissimarum rerum consideratione, ut sunt profecto servilia ista pectendi, carminandi, similia negotia, ad res sublimes nos educere dialecticam. Nam ad animum deinceps transfert rerum corporearum ipsiusque corporis humani purgationem, animique et morbis et turpitudine sordibusque disceptando expositis, ad illam escendit longe utilissimam praestantissimamque hominis medicinam, quam nos ex hoc ipso declaravimus loco, quum de Socratica *μαιευτικῇ* agebamus. «De corporibus, ait hospes, medici judicant, non posse corpus allato cibo nutriri, anteaquam impedimenta quis nutritionis ejecerit: pari ratione, qui animum student purgare, de animo judicant, non prius hunc ex allatis disciplinis fructum esse capturum, quam redarguens quis eum, qui redarguitur, postquam ad pudorem adegit, sublatis opinionibus vanis, disciplinarum impedimentis, purum effecerit, haec se scire putantem sola, quae novit, plura vero se non scire.» 2)

De analytica apud Platonem definiendi ratione.

Sed, ut Socraticae *ἐπαγωγῆς* vim omnem, una cum ejusdem gratia et festivitate, haec methodus Platonis continet, ita definiendi rationem Socraticam, quam supra attigimus, eadem continet et mirifice illustrat. Spectat eo haec ratio, ut in disquirendo non tantum de nomine rerum, sed etiam de earum natura et conditione apud nos constet. Nunc quidem de sophista, dixit Eleates, *nomen* et tu et ego commune habemus, praestat autem in singulis de re ipsa cum rationibus, quam de nomine solo sine rationibus consentire. Monuimus jam, recentiores fere philo-

1) *Soph.* 226. A. — 227. D.
2) *Soph.* 230. C. D. Cff. *Initia* p. 147, 148.

sophos sic illud in disputando efficere studuisse, ut nomina aliis nominibus verbisque explicarent. Quod quidem nec prorsus spernendum videtur, et usurpatum aliquoties ab ipso Platone est. Exstat hujus rei in ejus Phaedro exemplum, ubi *ἔρως*, de quo erat accuratius, quam Lysias fecerat, agendum, longa oratione definitur. *Ἡ γὰρ ἄνευ λόγου δόξης ἐπὶ τὸ ὀρθὸν ὁρμώσης κρατήσασα ἐπιθυμία, πρὸς ἡδονὴν ἀχθεῖσα κάλλους, καὶ ὑπὸ αὖ τῶν ἑαυτῆς συγγενῶν ἐπιθυμιῶν ἐπὶ σωμάτων κάλλος, ἐῤῥωμένως ῥωσθεῖσα, νικήσασα ἀγωγὴ, ἀπ' αὐτῆς τῆς ῥώμης ἐπωνυμίαν λαβοῦσα, ἔρως ἐκλήθη.* 1) Nen est id, inquam, spernendum; necessarium adeo negotium est. Nam nc temere in disputando vagetur oratio, id primum agendum disputantibus est, ut de nominum verborumque sententiâ et significatione inter ipsos conveniat: caeteroquin, iisdem usi nominibus, de diversis rebus agant necesse est, nec esse poterit probabilis aliquis totius disputationis exitus. Verum, quamvis id in disceptando utile, imo necessarium sit, cavendum tamen, ne his definitionibus arbitremur ipsam rerum *naturam* explicari satis. Id cum arbitrarentur tam antiquae, quam recentioris aetatis philosophi multi, scripta subinde ediderunt verborum referta, rebus destituta; aut, si vel maxime syntheticâ ratione definientes, res ipsas nominibus explicare conarentur, tam jejunae inde natae dissertationes sunt, ut obscurare magis legentium ingenia, quam explicare et illustrare viderentur. Non ita Plato, ut ex hac ipsa de sophista disquisitione intelligitur. Definiturus apud eum Eleates, quis sit sophista, non longa usus verborum serie verba verbis declarare nititur, sed ad *res* convertit continuo mentem nostram, in medias nos artes traducit, has universas nobiscum discernit in partes, discretasque identidem partes tamdiu denuo discernit, donec sophistae ars, quae et qualis sit, appareat. Est haec, fateor, non brevis, non compendiaria via, ut ad rerum definitiones perveniamus, sed una efficax maxime est ad res ipsas una cum nominibus mente percipiendas, ad rerum concipiendas claras distinctasque notiones: efficit adeo, ut ipsi inveniamus, perque synthesin componamus definitiones. Nam analytica haec definiendi ratio, quod ex ipso Platone nobis dein erit demonstrandum, *syntheticas* peperit definitiones.

Sic igitur continet apud Platonem haec cernendi jungendique ars illustratque simul egregie Socraticam cum *ἐπαγωγὴν*, tum definiendi artem. Ut autem descripsit philosophus, ita usurpavit utramque in scriptis suis. Cujus rei exempla cum ex aliis ejus dialogis, tum e *Politia* afferre multa licet: sed unum adduxisse sufficiet e Diotimae apud eum de pulcro sermonibus. Tradidimus cos in superioribus, sed hic operae pretium est, dialecticum in iis iter attendere, quo ad res omnium gra-

1) *Phaedr.* 238. B. C.

vissimas, ad ipsas ideas proceditur. Agitur de *pulcro*, quod Socratem docet mulier illa in primis philosopha, non inductione tantum, sed etiam analytica, quam diximus, methodo. Nam, ut meminimus, a rebus, quae sensibus patent, a formis pulcris initio ducto, ad ea, quae unâ meute percipiuntur, ad animos pulcros, escendit: inde ad pulcra, quae in moribus officiisque patent, procedit, ut tandem ad ipsum pulcrum accedat. Huc autem postquam processit, quo magis pulcrum ipsum, quale sit, demonstret, secernit ab eo quidquid cum sensibus conjunctum, ab eoque alienum est, donec ipsum tandem pulcrum purum intaminatumque, pura in luce, appareat. 1) Sic artis praecepta Plato, si attendere velimus, ipse scribendo explicuit: et hoc quidem de pulcro exquirendo exemplum planum nobis in primis illud reddit, quod de dialecticae usu praecipit apud eum in *Politia* Socrates. *Οὐκοῦν καὶ περὶ τοῦ ἀγαθοῦ ὡσαύτως· ὃς ἂν μὴ ἔχῃ διορίσασθαι τῷ λόγῳ, ἀπὸ τῶν ἄλλων πάντων ἀφελὼν τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν, καὶ ὥσπερ ἐν μάχῃ διὰ πάντων ἐλέγχων διεξιὼν, μὴ κατὰ δόξαν ἀλλὰ κατ᾽ οὐσίαν προθυμούμενος ἐλέγχειν, ἐν πᾶσι τούτοις ἀπτῶτι τῷ λόγῳ διαπορεύηται, οὔτε αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν φήσεις εἰδέναι τὸν οὕτως ἔχοντα, οὔτε ἄλλο ἀγαθὸν οὐδέν· ἀλλ᾽ εἴ πῃ εἰδώλου τινὸς ἐφάπτεται, δόξῃ, οὐκ ἐπιστήμῃ ἐφάπτεσθαι, καὶ τὸν νῦν βίον ὀνειροπολοῦντα καὶ ὑπνώττοντα, πρὶν ἐνθάδ᾽ ἐξέγρεσθαι, εἰς ᾅδου πρότερον ἀφικόμενον τελέως ἐπικαταδαρθάνειν· de bono similiter se res habet. Quicunque non potest ratiocinando boni ideam, amotis ab eo caeteris omnibus,* d e f i n i r e, *nec, tanquam in pugna, amovendo redarguendoque per omnia procedens, non opinione, sed re arguens ac refellens, in his omnibus stabili et inconcussa ratione progredi, hunc neque ipsum bonum dices cognoscere neque aliud quodcunque bonum; verum, si quod forte simulacrum attigerit, opinione bonum, non scientiâ, assequi, atque hac in vita dormitantem fere ac somniantem, priusquam hic expergiscatur, ad inferos descendentem, extremo sopore occupatum iri.* 2) Sed ad *Sophistam* redeamus. Sunt nobis inde alia item ducenda, quae Platonis hac cernendi jungendique arte efficiuntur.

De artium doctrinarumque per analysin Platonicam distributione.

Sponte partae sunt e studiis, generi humano insitis, artes omnes et doctrinae: sed ut natae inde in lucemque editae distinguerentur recte,

---

1) *Symp.* 209. B. — 211. C. Cff. *Initia* p. 133 sqq.

2) *De Rep.* VII. 534. B. C. D. Animadvertenda autem in his propria τοῦ ὁρίζειν, *definiendi*, significatio.

suumque singulis tribueretur et assignaretur propositum, dialecticâ opus erat. Vulgo id effecisse Aristoteles putatur: nec dubitare sane licet, quin post Platonem maxime praecipueque per hunc, ut dicitur, dialecticorum principem perfectum illud sit. 1) Sed hospes sit necesse est in scriptis Platonis, nec legerit illam in *Sophista* Eleatae hospitis disputationem, qui Platonem non videat idem illud jam tentasse nec mediocriter provexisse. In *Gorgia*, in sexto *de Republica* libro, in aliis scriptis accurate eas studuit a se invicem distinguere; 2) in *Sophista* autem, ut vidimus, suam illam cernendi jungendique methodum datâ operâ eo adhibuit. Loca illa jam percurrimus magnam partem; sed quae in *Sophista* similiterque in *Politico*, qui illius continuatio est, universa artium doctrinarumque distributio occurrit, ita et naturae conveniens est et inventionis novitatisque indicium habet, ut hîc videatur paullo diligentius consideranda. In duo genera illic, uti vidimus, *artes* distribuit: sunt illae cum ποιητικαὶ, tum κτητικαὶ· illis μιμητικαὶ continentur, his quae ad cognoscendum pertinent. Sed utrarumque in discernendo naturam simul et propositum definit. Ducto ab agricultura initio, qua res efflorescunt quae antea non fuerunt, ταῖς ποιητικαῖς universe dicit res *fieri*, *effici* ut res *sint*, ad οὐσίαν ducantur quae nondum fuerunt. «Quodcunque quis, ait, cum antea non fuisset, postea eo adduxit ut esset, is, qui id eo adduxit, *fecisse*; id autem, quod eo adductum est, *factum* dicitur. Quamobrem ποιητικὴν illa omnia, uno nomine comprehendentes, appellemus.» 3) Esse sane simplicior itemque accuratior non potest artium illarum descriptio. Alterius generis artes, quae ad cognoscendum referuntur, ut κτητικὰς vocaret, hac ratione, ut item monuimus, adductus est. Quodcunque ad discendum et cognoscendum, item ad quaestum, ad certamina, ad venationem refertur, quum horum nihil *faciat* quidquam, sed ea, quae adsunt et facta sunt, partim sermonibus factisque sibi *vindicet*, partim vindicantibus non concedat, propter has omnes ipsius partes *ars acquirendi* dicta, eas omnes complectitur ac definit. 4) Quibus harum item artium vis et natura exprimitur. Nam ut ambitiosorum hominum ac foeneratorum, maxime venatorum studium rerum acquisitionem spectat, ita cognoscendi studiosis hoc in primis est proprium, ut persequantur vera et acquirere nitantur. Cernimus inde, quid ante Aristotelem Plato jam hac in caussa tentaverit. Sed apponenda his *doctrinarum* distributio est, quae in ejus *Politico* exstat. Hae pariter illic in duo genera distribuuntur, quorum alterum est γνωστικὸν,

1) Vid. v. c. Aristot. *Ethic.* I. 1. VI. 4. *Rhet.* I. 1, 12. 2, 1.
2) Vid. Diog. Laert. *vita Plat.* III. 83, 84.
3) *Soph.* 219. A. B.
4) *Eod.* 219. C. Cff. *Initia* p. 253.

πρακτικὸν alterum. Videamus autem, quibus rationibus ad hanc item divisionem adductus sit. « Nonne arithmetica, hospes quaerit Eleates, et aliae quaedam huic cognatae artes, ut cognoscamus, efficiunt, non item, ut faciamus? — Sic est. — Architectura autem et quaecunque manibus perficiuntur ὥσπερ ἐν ταῖς πράξεσιν ἐνοῦσαν σύμφυτον τὴν ἐπιστήμην κέκτηνται, *scientiam continent tanquam naturâ cum actionibus conjunctam*, corpora ab ipsis confecta, quaeque antea non fuerant, perficiunt? — Quidni? — Hac igitur ratione omnes doctrinas discerne: hanc *πρακτικὴν* vocans, illam *γνωστικὴν* tantum. Sint hae tibi tanquam unius universae scientiae species duae. » 1)

Non ausim equidem plus inde ad artium et doctrinarum distributionem efficere, quam cogitasse auctor videtur. Veruntamen id non puto quemquam, haec considerantem, latere, dissimilitudinem hac distinctione simulque vinculum utrarumque recte his contineri. Artium proprium est, ut *procreent*, in lucem prodant quae non fuerant, doctrinarum, ut *cognoscamus*. Enimvero non ita distinguuntur, quin aliquid habeant commune: est autem illud ipsum, quo utrarumque procreatrix, philosophia, valet maxime, pulcri verique studium, quo nos illa ad sapientiam ducit.

Aegre tulerunt fere philosophi, in partes divisam esse post Platonem philosophiam: accidisse enim ita, ut multi, quid ipsa philosophia esset et quo proposito tractanda, nec tenentes nec magnopere curantes, partes illas singuli singulas vel nullo vel perverso consilio tractarent: quo certe majus detrimentum vix capere philosophia potuit. Cavendum vero est, ne cernendi distribuendique studio, quod Platonicae est dialecticae proprium, id factum putemus. Fons est apud Platonem philosophia et quasi parens omnium artium et doctrinarum. Quid igitur dialecticum reprehendamus, qui artes doctrinasque tanquam rivulos e communi fonte prolapsos, cum a philosophia ipsa, tum a se invicem apte discrevit? Emolumentum hinc cepit, non detrimentum philosophia; illi nocuerunt studiis optimis, qui verissimae hujus dialecticae expertes, philosophiam, ut ait Seneca, 2) tanquam corpus *dissecuerunt* in membra et partes, ut ipsa adeo vitâ et vigore destitueretur. Quo sane lubentius Platonem sequimur, ubi is artes doctrinasque discernens, illis, ut vidimus, efficiendi procreandique, his cognoscendi studium tribuit, jungit vero utrasque communi philosophiae vinculo. Caeterum idem cernendi illam artem, ut ad sophistam definiendum adhibuit, ita in exquirendo politico plenius etiam et accuratius explorat et describit. Nam tramitem apud eum Eleates quaerens, quo politicam sit scientiam inventurus « δεῖ γὰρ αὐτὴν

1) *Politic.* 258. D. E.
2) Cff. *Initia* p. 38, 40; 117.

ἀνευρεῖν, inquit, καὶ χωρὶς ἀφελόντας ἀπὸ τῶν ἄλλων, ἰδέαν αὐτῇ μίαν ἐπισφραγίσασθαι, καὶ ταῖς ἄλλαις ἐκτροπαῖς ἓν ἄλλο εἶδος ἐπισημηναμένους, ἁπάσας τὰς ἐπιστήμας, ὡς οὔσας δύο εἴδη διανοηθῆναι τὴν ψυχὴν ἡμῶν ποιῆσαι· *oportet eam a caeteris discernere, discretaeque ei quasi formam quandam et signum imprimere, cueterisque, quae ab ea discedunt, aliâ insignitis formâ, efficere, ut omnes doctrinas mens nostra, tanquam duo genera, sibi informet.»* 1) Hac autem ille et cernendi et notandi arte usus, politicam cum a reliquis universis, tum a singulis similibus cognatisque distinguit, ut qualis ipsa sit, quamque vim et quem finem sibi propositum habeat, intelligatur: simulque ita dialecticis dedit exemplum, quod secuti, singulas similiter tam artes quam doctrinas cernendo notandoque clara in luce ponerent. Verum id illis nos peragendum relinquimus: ipsi inde, philosophiae Platonicae caussâ, hoc colligimus, philosophiam hancce non tantum, quod supra monuimus, verissimam esse artium doctrinarumque encyclopaediam; sed methodum item et quasi instrumentum continere, quo artes doctrinaeque cum distinguantur recte, tum suo quaeque proposito destinentur.

Ad inveniendum valet potissimum dialectica Platonis. Quid est invenire?

Quaenam sint apud Platonem, quas vocat, διαιρέσεις καὶ συναγωγαί, satis jam nobis Eleates ille demonstravit. Vulgo haec cernendi jungendique ars, quam *analyticam* solemus *methodum* appellare, a dialecticis dicitur *ab universalibus initium ducere et ad peculiaria progredi, dividendo genera in suas quaeque formas et formas in minores formas atque individua.* Quod Platonicae item arti tribuit Dionysius Halicarnassensis: ἡ γὰρ τέχνη τῆς διαιρέσεως, ὥς φησιν ὁ Πλάτων, διαιρέσεις καὶ συναγωγαί, δεῖξαι τὰ εἴδη πόσα ἐστὶ καὶ πόσας ἔχει τομάς, καὶ πάντα συναγαγεῖν εἰς ταὐτό. *Τοῦτο γάρ ἐστι διαιρέσεως τέχνη, ἓν πολλά, πολλὰ ἕν.* 2) Plato autem disertis id verbis enunciat in Sophista: τὸ κατὰ γένη διαιρεῖσθαι καὶ μήτε ταὐτὸν εἶδος ἕτερον ἡγήσασθαι, μήτε ἕτερον ὂν ταὐτὸν, μῶν οὐ τῆς διαλεκτικῆς φήσομεν ἐπιστήμης εἶναι; — Οὐκοῦν ὅ γε τοῦτο δυνατὸς δρᾶν μίαν ἰδέαν διὰ πολλῶν, ἑνὸς ἑκάστου κειμένου χωρίς, πάντῃ διατεταμένην ἱκανῶς διαισθάνεται, καὶ πολλὰς ἑτέρας ἀλλήλων ὑπὸ μιᾶς ἔξωθεν περιεχομένας, καὶ μίαν αὖ δι' ὅλων πολλῶν ἐν ἑνὶ ξυνημμένην, καὶ πολλὰς χωρὶς πάντῃ διωρισμένας. 3) Unde Cicero, Hortensii celebrans eloquentiam,

1) *Politic.* 258. C.

2) Dion. Hal. *Art. rhet.* p. 66. (XI. 8. p. 407. Reisk.)

3 *Soph.* 253. C. D.

attulerat, ait, *minime vulgare genus dicendi: quas quidem res, quas nemo alius: partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones.* 1) Sunt scilicet *partitiones* illae et *collectiones* διαιρέσεις Platonicae et συναγωγαί, quas post Platonem rhetores et dialectici ad argumentandi artem retulerunt. Dictae item συναγωγαὶ aliis nominibus sunt, ut *complexiones*, *conductiones*. 2) Recte autem ad Platonis sui exemplum Cicero *philosophorum* hanc esse *disciplinam* ait. *Nec vero sine philosophorum disciplina, genus et speciem cujusque rei cernere neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus, nec judicare, quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere.* 3) Sed pertinent haec omnia ad res, de quibus agitur, *illustrandas*, quoque aptius de iis sive dicendo sive scribendo sententiam nostram declaremus. Verum Platonica dialectica id habet in primis, quod verbo jam significavi in superioribus, ut discernendo investiget et quasi *venetur* veritatem. 4) Hoc vero non satis video dialecticos recentiores spectare: aut, si vel maxime spectant, latere tamen eos suspicor, quod datâ operâ explicuit Plato, totam hanc disciplinam ad *inveniendum* valere potissimum. Patet hoc facile, ut partim jam animadvertimus cum ex aliis ejus dialogis tum e *Sophista* et *Politico*; sed *Philebus* Platonicus id nos plenius etiam docebit.

Omnis in his singulis dialogis disquisitio re verâ *disquisitio* est. Non demonstratur, sed quaeritur, disquiritur, invenitur. Illa vulgaris est dialecticae, haec Platonicae, ratio propria. Iccirco rogando et respondendo disputationes illae procedunt: quod verae dialecticae tribuit Plato. «Non sines, ait apud eum Socrates, gubernatores nostros ἀλόγους εἶναι, ὥσπερ γραμμάς. Νομοθετήσεις δὴ αὐτοῖς ταύτης μάλιστα τῆς παιδείας ἀντιλαμβάνεσθαι ἐξ ἧς ἐρωτᾷν τε καὶ ἀποκρίνεσθαι ἐπιστημονέστατα οἷοί τ' ἔσονται· *lege igitur praecipies illis, ut in illam potissimum disciplinam incumbant, e qua maxime interrogandi respondendique facultatem ac peritiam consequantur.*» 5) Ἀδολεσχία a comicis haec Socratis interrogandi ac sermocinandi consuetudo dicebatur. Sic autem Parmenidem Plato hac de re Socrati juveni praecipientem facit, ut dicat: καλὴ μὲν οὖν καὶ θεία, εὖ ἴσθι, ἡ ὁρμή, ἣν ὁρμᾷς ἐπὶ τοὺς λόγους· ἕλκυσον δὲ σαυτὸν καὶ γύμνασον μᾶλλον διὰ τῆς δοκούσης ἀχρήστου εἶναι καὶ καλουμένης ὑπὸ τῶν πολλῶν ἀδολεσχίας, ἕως ἔτι

1) Cic. *Bruto* c. 88.
2) Id. *de Invent.* I. 40. et Ern. *ad Brutum* l. l.
3) Id. *Orat.* c. 4.
4) *Initia* p. 257.
5) *De Rep.* VII. 534. D.

νέος εἶ· εἰ δὲ μή, σὲ διαφεύξεται ἡ ἀλήθεια· *pulcer sane et divinus, mihi crede, impetus ille est, quo ad sermones tendis: protruhe vero te magis etiam et per hanc te, quae inutilis videtur et vulgo sic vocatur, garrulitatem exerce, dum juvenis es etiumnunc: quod ni feceris, fugiet te veritas.* 1) Quibus addit deinceps: ἀγνοοῦσι γὰρ οἱ πολλοί, ὅτι ἄνευ ταύτης τῆς διὰ πάντων διεξόδου τε καὶ πλάνης ἀδύνατον ἐντυχόντα τῷ ἀληθεῖ νοῦν σχεῖν· *ignorat enim vulgus, absque hoc per omnia discursu et errore fieri non posse, ut quis, veritatem assecutus, sapiat.* 2) Unde in primis repetenda est dialogorum Platonicorum ubertas. Ponebant sententiam sophistae ac rhetores, quam sive dicendo sive scribendo librisque condendis probarent. Sed in dialogis Platonis nihil fere ponitur; quaerit vero et interrogat sive Socrates, sive hospes Eleates, sive alius quicunque principes in sermone partes habet: instituitur, ut vidimus, inveniendi caussâ quasi *venatio* quaedam: veluti in quarto *de Republica* libro, ubi justitia quaeritur, quo tandem in civitate loco lateat. « Age, ait Socrates, o Glauco, nunc nos, tanquam venatores, decet, ubivis circumcirca cespitibus positis, attendere, ne quà effugiat nos justitia. Illam autem ut cernit, ἰοῦ, ἰοῦ, exclamat, ὦ Γλαύκων· κινδυνεύομέν τι ἔχειν ἴχνος, *vestigium quoddam assecuti videmur.* » 3) Sic et referunt venationem et inventorum pleni sunt dialogi Platonis. Fit adeo, ut prout venatores subinde leporem investigantes cervum capiunt, sic, qui in iis sermones miscent, plura ac majora inveniant, quam quaesiverunt. Non semel id in *Sophista* obtinet, quod supra attigimus, hîc autem declarare nos oportet. Nam sophistam hospes ille cum Theaeteto indagans, ecce! pro sophista philosophum, et, in alios deinceps tramites devertens, dialecticum consequitur. Scilicet ipse auctor, dialogos hujusmodi exploratorios scribens, duci se sinebat, quo πνεῦμα φέρῃ, 4) *fors ipsum et quasi ventus ferret:* non probandi demonstrandique quod posuerat, sed inveniendi consilium habebat: non commentationes, sed *disquisitiones* scribebat.

Abhorret haec sane ratio a saeculi nostri consuetudine, sed ingenio felici et foecundo, quale Platonis erat, conveniebat mirifice, ut hinc summa illa in omnibus Platonis scriptis, quae hac dialogi ratione procedunt, ubertas, ut rerum gravissimarum inexhausti putandi fontes sint. Et mihi quidem, fateor, illa, quae hoc modo, aliud agendo, casu, ut

1) *Parm.* 135. D.

2) *Eod.* 136. D. E.

3) *De Rep.* IV. 432. B. D.

4) *Eod.* III. 394. D. *Nondum id ego scio,* ait, ἀλλ' ὅπῃ ἂν ὁ λόγος ὥσπερ πνεῦμα φέρῃ, ταύτῃ ἰτέον. Cff. *Initia* p. 260.

videtur, invenit Plato, in primis placuerunt fere. Philosophum tanquam *μαιευτικὸν*, item tanquam *διαλεκτικὸν*, nusquam in scriptis plenius accuratiusque, quam in *Sophista*, descripsit: 1) nusquam idem philosophi studium, quo is a sophista dignoscitur maxime, dilucidius, quam in eodem hoc dialogo proposuit atque expressit. « Reperiundi, ait, philosophi non minor, quam sophistae, difficultas est, quamquam dissimilis videtur. Sophistam, quippe qui *εἰς τὴν τοῦ μὴ ὄντος σκοτεινότητα, in ejus, quod non est, obscuritatem* aufugit et consuetudine has amat tenebras, propter loci obscuritatem difficile est animadvertere; *ὁ δέ γε φιλόσοφος, τῇ τοῦ ὄντος ἀεὶ διὰ λογισμῶν προσκείμενος ἰδέᾳ, διὰ τὸ λαμπρὸν αὖ τῆς χώρας, οὐδαμῶς εὐπετὴς ὀφθῆναι· τὰ γὰρ τῆς τῶν πολλῶν ψυχῆς ὄμματα καρτερεῖν, πρὸς τὸ θεῖον ἀφορῶντα, ἀδύνατα· contra vero philosophus, qui illius, quod est, ideam persequitur perpetuo, propter loci splendorem non facile conspicitur: nam apud vulgus hominum mentis oculi, ubi id quod divinum est suspiciunt, lumen perferre non possunt.* 2) Haec vis est, hic effectus dialecticae Platonicae: plura majoraque invenit, quam quaerit: idemque maximis fere ingeniis evenit, quae naturali se ratione explicant, ut tentent, quae non possint perficere, perficiant autem praeclare, in his ipsis disquisitionibus, quae non tentaverint. Et sic quidem Plato in hoc utroque dialogo, quamvis miro fere acumine sophistam ac politicum exploraverit perspiciendumque nobis dederit, tamen quod non spectabat, quod in aliud ipse tempus rejecerat, ut *philosophum* in luce poneret, hoc ipsi in his sermonibus longe etiam melius cessit. Inventionis omnino pleni sunt hi dialogi: iidemque, quod non negligendum est, quae in Socratica sit *ἐπαγωγῇ* inveniendi ratio, egregie declarant. Ut Socrates, ita Eleates hicce a notis ad ignota procedit: *ἀσπαλιευτικὴν*, rem nemini ignotam, ad sophisticam, quae qualis esset quaerebatur, explicandam usurpat. Pariter in *Politico* telam adhibet politicae declarandae causså. Quod quo consilio fecerit, et ipse declarat disertis verbis loco, quem adscripsimus, 3) et nos e disputationibus maxime de perfecta republica colligimus. Fecit, ut *comparando* ad rerum scientiam perveniret.

Est locus sane in dialectica perquam gravis, qui est de *comparationibus*. Quantopere hae valeant ad res accurate cognoscendas, maxime ad recte docendum, paullo ante vidimus, quum de *exemplorum* usu in Socratica inductione agebamus. 4) Et sane vetustissimi humani generis

1) *Initia* p. 64. *Soph.* p. 147.
2) *Soph.* 254 A.
3) *Initia* p. 257. Cf. 252.
4) *Eod.* p. 254.

doctores, poëtae, quae vel ingenio conceperant vel animo sentiebant, *comparando* potissimum cum aequalibus et posteris communicarunt. Sed ad *inveniendum* etiam magnopere valet comparatio: quod ut Socratica et Platonica dialectica probat, ita illustri sane documento et probat et illustrat analytica nostra arithmetica, quam *algebram* solemus vocare. Constat haec tota aequationibus sive comparationibus, quibus plane, ut in Socratica disquirendi via, a notis ad ignota progredimur: estque illa, cum analysi conjuncta, vero nomine dicenda *inventionis disciplina.* 1) Et profecto ita demum geometria et astronomia stupendos illos saeculis decimo sexto et septimo progressus fecerunt, postquam haec comparandi inveniendique disciplina cum illis conjungi coepta est: imo vero hujus ope illae ad inveniendas mundi physici leges valuerunt: ut vere nobis pronunciasse videamur, si dixerimus, et antiquo aevo per Socraticam ac Platonicam methodum *moralem*, et recentiore pariter per algebram *physicum* mundum a philosophis et physicis reclusum esse.

Sic valet ad *inveniendum* potissimum dialectica Platonis. Qua in re, ut ex his omnibus patet, quaerendo, investigando et vero comparando, omnium autem maxime *cernendi jungendique* studio ac diligentiâ proficimus. Uti autem hoc ipse perspexit philosophus, ita, quid sit *invenire* et quemadmodum parta sint gravissima inventa, de industria exquisivit. Quod ex ejus *Philebo* operae pretium est cognoscere.

Argumentum hujus dialogi proprie, ut vulgo dicitur, metaphysicum est. Sublimis exstabat in Philolai scriptis sententia: *θεός τις ἀπέδειξε τὸ ἄπέρωντον, τὸ πέρας καὶ συγκεχυμένον· deus aliquis commonstravit infinitum, finitum et mixtum.* 1) Non potuit haec non advertere Platonis mentem, res omnes sic, ut vidimus, secernentem, cernendoque definientem et sepientem, quo sibi unice videbatur veritatem posse assequi. Quo facile adducebatur, ut, quod ipsius inesset ingenio, id in rerum naturam transferret: prouti suo nobis loco patebit. 2) Nunc exordium spectamus dialogi, quippe dialecticum et artis adeo fastigium nobis indicans, *inventionem.* « Est haec, ait Socrates, perversa hominum ratio, ut *unum* ponant et *multa*, non vero distinguant, *quot* sint numero. Hoc dialecticae est, illud eristicae: unde pueriles exsistunt litigantium contentiones. Quodsi, germanâ usi dialecticâ, recte distinguere didicerimus, tum demum et eristicam pueris relinquemus, et ipsi cum inve-

1) Vidd. Euleri *initia algebrae.* II. 1. Nullum facile in hoc genere opus majorem et perspicuitatis et philosophae *ἀκριβείας* laudem habet. Memorabile etiam est, quod recens prodiit, *Mahri* scriptum: *die Algebra in heuristischer Methode.* Eisenach. 1837.

2) *Phileb.* 23. C.

3) Duo hac de re ante hos paucos annos praeclara prodierunt scripta, alterum *Philolaüs*, auctore *Boeckhio*, alterum *Stallbaumii* in Platonis *Philebum* commentatio.

niemus, tum qua ratione maxime orta sint inventa, intelligemus. Una inveniendi ratio est *cernere*, *distinguere*, *numerare*, i. e. in multis et infinitis attendere, *quot* sint.» 1) Id exemplis deinceps Socrates in primis illustribus declarat.

De artis musicae ac literarum inventione.

«Manifestum hoc, ait, o Protarche, in literis est: itaque in his, quas didicisti, id accipe. — Quonam modo? — Vox nobis *una* est ex ore prodiens, eademque apud omnes et unumquemque *in infinita multitudine.* — Quidni? — Neutro antem horum docti efficimur, nec quod *infinitum* ejus, nec quod *unum* cognovimus; *ἀλλ᾽ ὅτι, πόσα τέ ἐστι καὶ ὁποῖα, τοῦτ᾽ ἔστι τὸ γραμματικὸν ἕκαστον ποιοῦν ἡμῶν· sed quod cognovimus, quot in ea sint et qualia, hoc est, quod literarum peritum unumquemque nostrum efficit.* — Verissima loqueris. — Et vero quod *musicae peritum* quem efficit, idem illud est. — Quomodo? — Vox est in hac item arte *una* quaedam. — Quidni? — Duo ponamus, *grave* et *acutum* et tertium *medium.* — Ponamus. — Veruntamen nondum peritus musices eris, si haec sola cognoveris; ista vero ignorans, nihil, ut ita dicam, de his intelliges. — Nihil sane. — *Ἀλλ᾽, ὦ φίλε, ἐπειδὰν λάβῃς τὰ διαστήματα ὁπόσα ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν τῆς φωνῆς, ὀξύτητός τε πέρι καὶ βαρύτητος, καὶ ὁποῖα, καὶ τοὺς ὅρους τῶν διαστημάτων, καὶ τὰ ἐκ τούτων ὅσα ξυστήματα γέγονεν· (ἃ κατιδόντες οἱ πρόσθεν παρέδοσαν ἡμῖν τοῖς ἑπομένοις ἐκείνοις, καλεῖν αὐτὰ ἁρμονίας) ἔν τε ταῖς κινήσεσιν αὖ τοῦ σώματος ἕτερα τοιαυτα ἐνόντα πάθη γιγνόμενα· (ἃ δὴ δι᾽ ἀριθμῶν μετρηθέντα, δεῖν αὖ φασὶ ῥυθμοὺς καὶ μέτρα ἐπονομάζειν, καὶ ἅμα ἐννοεῖν, ὡς οὕτω δεῖ περὶ παντὸς ἑνὸς καὶ πολλῶν σκοπεῖν·) ὅταν γὰρ ταῦτά τε λάβῃς οὕτω, τότε ἐγένου σοφὸς, ὅταν δὲ ἄλλο τῶν ὄντων ὁτιοῦν ταύτῃ σκοπούμενος ἕλῃς, οὕτως ἔμφρων περὶ τοῦτο γέγονας· sed postquam, amice, intervalla acceperis, quot numero circa acutum et grave et qualia sint, ac terminos item intervallorum, quaeque ex his leges et modi exsistant: (quae majores nostri conspicati nobis, ipsorum sectatoribus, ut harmonias illa appellaremus, tradiderunt) tum etiam quae motibus corporis similia insint: (haec numeris distincta rhythmos et metra vocanda esse dixerunt, reputandumque simul, sic considerare omnia, in quibus unum et multa insunt, oportere.)* 2)

1) Vid. *Stallb.* ad h. l.

2) Inesse scilicet omnibus *numerare* et *metiri:* itaque *ῥυθμοὺς* et *μέτρα* quasi *δι᾽ ἀριθμῶν μετρηθέντα* dixerunt. Cf. *Stallb.* ad h. l.

Nam et haec si ita acceperis, eorum peritus eris factus, et alia quaecunque tandem si hac ratione consideraveris perceperisque, sic horum quoque gnarus evaseris; τὸ δ᾽ ἄπειρόν σε ἑκάστων καὶ ἐν ἑκάστοις πλῆθος, ἄπειρον ἑκάστοτε ποιεῖ τοῦ φρονεῖν, καὶ οὐκ ἐλλόγιμον οὐδ᾽ ἐνάριθμον, ἅτ᾽ οὐκ εἰς ἀριθμὸν οὐδένα ἐν οὐδενὶ πώποτε ἀπιδόντα. » 1)

Haud facile haec legerit aliquis attentius, quin *artis* inde *musicae* inventionem, quemadmodum exstiterit, efficiat. Canere et saltare naturâ studet homo, quippe inditus ipsius animo est harmoniae et rhythmi sensus. Quod in libris de *Legibus* praeclare exposuit Plato, nosque inde attulimus, quum de artibus artiumque principe, musica, agebamus. 2) Verum, ut canerent non tantum in choris saltarentque mortales, sed ipsam invenirent canendi saltandique *artem*, cernendi opus fuit numerandique facultate. Vocis, quae una est, cernendi distinguendique varii erant soni, acuti, graves, medii: attendendaque sonorum intervalla, quot essent et qualia, eorumque termini constituendi, ut hinc leges modique efficerentur: similiterque in motibus corporis talia animadvertenda erant, quae numeris distincta rhythmi vocata sunt. Sic demum exstitit, neque alio inveniri modo potuit musicae et saltationis ars.

Sed eidem illi cernendi numerandique facultati, ut hoc ipso loco acute animadvertit Plato, cum caeteras debemus artes majores omnes, tum illam quoque, qua nulla facile mortalium generi ad ingenii cultum utilior efficaciorque fuit: literarum dico inventionem, unde *γραμματικὴ*, ars scribendi; sive, quam nos vocamus, *alphabetica scriptura* nata est. Id neminem esse arbitror, quin in primis accipere a Platone et perspicere aveat. Audiamus denuo Socratem. Praecipit primum ille hoc universe: *ὥσπερ γὰρ ἓν ὁτιοῦν εἴ τίς ποτε λάβοι, τοῦτον, ὥς φαμὲν, οὐκ ἐπ᾽ ἀπείρου δεῖ φύσιν βλέπειν εὐθὺς, ἀλλ᾽ ἐπί τιν᾽ ἀριθμόν· οὕτω καὶ τοὐναντίον, ὅταν τις τὸ ἄπειρον ἀναγκασθῇ πρῶτον λαμβάνειν, μὴ ἐπὶ τὸ ἓν εὐθὺς, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ ἀριθμὸν αὖ τινα πλῆθος ἑκάστων ἔχοντά τι κατανοεῖν, τελευτᾶν τε ἐκ πάντων εἰς ἕν· prouti enim si quis unum quid accipit, is, ut diximus, non mox in infiniti naturam, sed in numerum aliquem mentem attendere debet: sic vicissim, si quis primum infinitum sumere cogitur, nequaquam in unum continuo, sed in numerum quendam, qui multitudinem aliquam habeat, mentem debet convertere, ex omnibusque tandem in unum desinere.* 3) Illius exemplum rationis in musicae inventione habemus: hanc rationem, quae ab infinitis numero ad unum procedit, literarum

---

1) *Phileb.* 17. A — E.

2) *De Legg.* II. 653. E. 664. E. 672. C. Cff. *Initia* p. 82.

3) *Phileb.* 18. A.

dabit exemplum. *Πάλιν δὲ*; sic pergit Socrates, *ἐν τοῖς γράμμασι τὸ νῦν λεγόμενον λάβωμεν· — ἐπειδὴ φωνὴν ἄπειρον κατενόησεν, εἴτε τις θεὸς, εἴτε καὶ θεῖος ἄνθρωπος, ὡς λόγος, ἐν Αἰγύπτῳ Θεῦθ τινὰ τοῦτον γενέσθαι λέγων, ὃς πρῶτος τὰ φωνήεντα ἐν τῷ ἀπείρῳ κατενόησεν, οὐχ ἓν ὄντα, ἀλλὰ πλείω· καὶ πάλιν ἕτερα, φωνῆς μὲν οὒ, φθόγγου δὲ μετέχοντα τινὸς· ἀριθμὸν δέ τινα καὶ τούτων εἶναι· τρίτον δὲ εἶδος γραμμάτων διεστήσατο, τὰ νῦν λεγόμενα ἄφωνα ἡμῖν· τὸ μετὰ τοῦτο διῄρει τά τε ἄφθογγα καὶ ἄφωνα, μέχρι ἑνὸς ἑκάστου, καὶ τὰ φωνήεντα καὶ τὰ μέσα, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον· ἕως αὐτῶν ἀριθμὸν λαβὼν, ἑνί τε ἑκάστῳ καὶ ξύμπασι στοιχεῖον ἐπωνόμασε· καθορῶν δὲ, ὡς οὐδεὶς ἡμῶν οὐδ' ἂν ἓν αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἄνευ πάντων αὐτῶν μάθοι, τοῦτον τὸν δεσμὸν αὖ λογισάμενος, ὡς ὄντα ἕνα, καὶ ταῦτα πάντα ἕν πως ποιοῦντα, μίαν ἐπ' αὐτοῖς ὡς οὖσαν γραμματικὴν τέχνην ἀπεφθέγξατο προσειπών· iterum e literis quod nunc diximus efficiamus. — Postquam infinitam vocem animadvertit sive Deus aliquis sive homo divinus, qualis apud Aegyptios Theuth quidam fuisse fertur, qui primus in ipsa vocis infinitate vocales literas consideravit, quae non una, sed plures: rursusque alias, quae non vocis sed soni cujusdam participes essent, earumque item numerum quendam esse vidit, et tertiam deinde speciem literarum distinxit, earum, quas nunc mutas vocamus: is igitur, postquam haec animadvertit, deinceps cum soni expertes mutasque discrevit singulatim, tum vocales et medias eodem modo; donec, earum numero in singulis speciebus et in universis reperto, elementa appellaret. Cumque videret, neminem nostrum horum quidquam seorsim percepturum, nisi universa percepisset, vinculum hoc rursus reputando considerans, ut unum, et omnia haecce unum efficiens, grammaticam artem, ut unam omnibus communem, hoc nomine vocavit.* 1)

Campum hîc sane philosophis immensum aperuit Plato, in quem excurrerent: et operae est profecto pretium, quae paucis ita ille de rerum inventione monuit, diligenter in omnibus inventis singulatim persequi. Tam late patet haec disquisitio, ut omnem hominis a tenerrima inde aetate ad cognoscendum judicandumque progressionem complectatur. Nam ut cuncta infantis sensibus confusa, *συγκεχυμένα*, apparent primum, ita ipse dein cernendo, distinguendo, numerando ad res cognoscendas, imo videndas recte, procedit: unde *cernere* ipsam apud Latinos *videndi* significationem habet. Invenit autem ita ipse per sese, quot sint et qualia, quaecunque oculis, auribus, caeteris sensibus percipiat. Quo fit, ut propria, ut innata homini videatur ars numerandi, quae

1) *Phileb.* 18. B. C.

ipsa cernendo jungendoque procedit. Nos id philosophis peragendum relinquimus, qui profecto, quo diligentius hanc nativam hominis inveniendi et rationem et facultatem exploraverint, eo efficacius nos cum ad totum explicandum Philebum, tum ad has interpretandas Platonis de musicae et literarum inventione sententias adjuvabunt. Quam enim infantum esse diximus conditionem, ut, quae ipsis primum videntur confusa, cernendo numerandoque accurate cognoscere discant, eandem Theuth illi Aegyptio, sive literarum, quicunque tandem fuerit, inventori, tribuit Plato. Primum ille in infinita illa sonorum multitudine et varietate cum vocales attendit, tum consonas, item quas nos vocare mutas literas solemus. Tum consonas et mutas, pariterque vocales, quaeque mediae dicuntur, discrevit a se invicem, donec singularum singulatim numerum nactus, communi universas nomine *elementa* sive *literas* appellavit. In quo toto negotio mens ejus cernendo jungendoque, omnino numerando procedens, inventorum peperit longe pulcerrimam scribendi per literas alphabeticas rationem.

Quatenus Aristoteli, ad syllogisticam tractandam, viam munivit Plato?

Haec habui, quae de vi et ubertate dialecticae Platonicae, ex ipsis Platonis scriptis, in lucem proferrem: unde cum alia, quae de hac arte pronunciavit philosophus, intelliguntur, tum hoc ejus explicatur effatum: *donum eam esse divinitus ad homines delatum: nam quaecunque ad artes pertinent, hac esse inventa.* 1) Novam deinde methodum induxit Aristoteles, quam ipse συλλογιστικὴν appellavit: eratque haec, ut supra monuimus, tota a Socratica et Platonica diversa, quippe ad probandum, quod positum erat, non ad inveniendum, quod quaerebatur, accommodata. Abusi sunt eâ tam antiqui, quam recentioris aevi philosophi, et vero sic sunt abusi, ut, quâ disciplinâ nulla esset ad excitanda ingenia reperiendamque veritatem aptior, eâdem nulla videretur ipsi philosophiae, i. e. sapientiae studio, contraria magis. Nam ad nullas non opiniones, quantumvis et absurdas et veritati repugnantes, syllogismorum vi et auctoritate tuendas usurpata est. Veruntamen ipsa methodus, ut exposita ab Aristotele fuerat, non minus, quam inductio et analysis, naturae erat consentanea, recteque adhibita ingeniis juvenum, ad firmanda illa et corroboranda, imo vero ad veritatem propugnandam naviter atque ab inanibus cavillationibus tuendam valebat egregie. Attigimus haec supra, quum, appositâ syllogisticâ, declarare

1) *Initia* p. 250. Cf. p. 70.

Socraticam inductionem conabamur: 1) nec hujus est loci, ea longius persequi. Sed, explicita analysi Platonica, exquirere nunc juvat, quid Platoni Aristoteles cum universe ad tractandam dialecticam, tum vero etiam ad hanc ipsam explanandam syllogisticam rationem debuisse videatur.

Ubivis Aristoteles in scriptis suis refutat Platonem: unde haec exstitit multorum eruditorum opinio, esse ejus doctrinam prorsus omnique parte Platonicae contrariam. Qui error eo et latius serpsit et invaluit magis, quo vehementius se invicem aliquando impugnare utriusque philosophi sectatores, Platonici et Aristotelici, coeperunt. Fatendum omnino est, dissensisse in caussis gravissimis a magistro Aristotelem, quod tum patebit nobis maxime, ubi de ideis Platonis et mundo *νοητῷ* datâ operâ sumus acturi. Quodsi quis, nullo ductus partium studio, perlecto Platone perpensâque ejus philosophiâ, Aristotelem legerit deinceps, mirer equidem, si non perspexerit, inchoasse multa Platonem, quae Aristoteles perfecit postea: viam discipulo monstrasse ac patefecisse doctorem, quam nisi tenuisset Aristoteles, tanta hic praestare philosophiae, quanta praestitit, haud facile potuisset: omninoque, ut Socraticus proprie Plato fuit, ita eum in modum ab hoc informatum Aristotelem fuisse, ut vere dici Platonicus possit. Ex ipsa, quam modo instituimus, disquisitione, haec continuo intelliguntur. Nam quod hic agitavit magnum sane et vastum consilium, ut artes omnes doctrinasque philosophando complecteretur, repositum hoc est, ut vidimus, in Platonis philosophia, qui a nullo earum genere alienum esse verum philosophum contendebat, quodque ab aliis postulabat, ipse in plerisque dialogis, in primis in *Timaeo*, facere aggressus est. Tum etiam, quod vulgo dicitur primus fuisse Aristoteles, qui disciplinas apte distingueret, ad hoc item vidimus signum ante eum sustulisse Platonem. 2) Sed hoc debuit in primis magistro discipulus, ut disserendi ratione analytica uteretur, qua maxime doctrinis omnibusque, quae tractavit, argumentis lumen affudit: ipsam syllogisticam, ut verbo jam monuimus, analytice exposuit. 3)

Quod autem novam illam, quam invenisse dicitur, methodum attinet, hoc constat, ut inventio praecedit probationem, sic syllogisticam sive synthesin analysi succedere. Nisi cernendo jungendoque multa et alii philosophi et Socrates ac Plato, et ipse Aristoteles invenissent, probare

---

1) *Initia* p. 245.

2) Imitatus adeo hac in re Platonem Aristoteles est. Veluti in distinguendis dialectica, rhetorica et politica, *ὑποδύεται*, ait, *ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς ἡ ῥητορικὴ, καὶ οἱ ἀντιποιούμενοι ταύτης.* *Rhetor.* I. 2, 7. — Quod sumsit e Platonis *Gorgia* 464. B. ubi de his ipsis artibus distinguendis agit. Vidd. *Initia*, p. 165, 250.

3) *Initia* p. 246.

hic illa argumentando non potuisset. Cujus rei documentum insigne est, quod jam aliquoties memoravimus, Euclidis opus, syntheseos mathematicae monumentum immortale. 1) Quae in eo ad demonstrandum problemata proponuntur, haud potuissent proponi, nisi inventa praecessissent cum aliorum, tum in primis Pythagoreorum; ab inventoribus adeo nonnulla eorum nomen habent, problema v. c. de quadratis et hypotenusa, quod Pythagoreum appellatur. Sed Aristoteles Platoni aliisque inventa non solum debuit, quae, quemadmodum essent probanda, demonstraret, verum a magistro suo dialecticam item accepit inveniendi rationem, unde ipse probandi demonstrandique methodum efficeret. Rem exemplo ex ejus scriptis sumto illustremus. Eximium nobis Aristotelis supcrest *de arte rhetorica* opus, in quo argumentationis accuratae atque ordine definiendo distribuendoque procedentis norma exstat. Primum rem, de qua acturus est, definit. Sit nobis rhetorica *facultas in quaque re perspiciendi τὸ ἐνδεχόμενον πιθανὸν, id, quod ad persuadendum idoneum est.* Secundum quam definitionem distinguit dialecticam ab aliis doctrinis. Veluti ars medica *περὶ ὑγιεινὸν καὶ νοσερὸν* est: geometria *περὶ τὰ συμβεβηκότα πάθη τοῖς μεγέθεσι·* arithmetica *περὶ ἀριθμὸν·* ita rhetorica *περὶ τοῦ δοθέντος, ὡς εἰπεῖν, δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανὸν.* His positis, discernit continuo *τὰς πίστεις·* sunt vel *ἄτεχνοι* vel *ἔντεχνοι·* illae, quae non nobis auctoribus exsistunt, sed ante fuerunt, ut testes, quacstiones, syngraphae: *ἔντεχνοι* vero sunt *πίστεις τῶν διὰ τοῦ λόγου ποριζομένων.* Horum tria sunt genera: vel in moribus positae sunt dicentis, vel valent, ut audientes aliquo modo afficiantur, vel sunt *ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι.* Quae autem *ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ* sunt, duplicem habent speciem: *ἐπαγωγὴν* sive exemplum, i. e. inductioncm oratoriam, vel *ἐνθυμήματα.* Et sic quidem eo procedit sponte auctor, ut cum a dialectica rhetoricam distinguat: ut enim illa *syllogismos*, ita haec *enthymemata* ad fidem faciendam adhibet: tum ad *enthymemata*, quae *σῶμα τῆς πίστεως* 2) appellat, perveniat.

Rhetoricam igitur, nt satis a cognata disciplina discrevit, ita nunc porro in tria genera dividit, in quibus tractandis pariter *τὸ πιθανὸν* spectatur: sunt illa secundum varia audientium genera, *συμβουλευτικὴ, δικανικὴ, ἐπιδεικτικὴ·* nam, ut ex tribus constat oratio, *ἔκ τε τοῦ λέγοντος, καὶ περὶ οὗ λέγει, καὶ πρὸς ὃν*, ita tria sunt etiam audientium, ad quos dicitur, genera: *ὁ κριτὴς* et *ὁ θεωρὸς· κριταὶ* vero duplicis sunt speciei: vel de futuris, vel de praeteritis judicant: illi *ἐκκλη-*

1) Quamquam idem, si recte ad docendum adhibetur, inveniendi item instrumentum continet. Cff. *Initia* I. I.

2) *Rhetor.* I. 1.

σιασταὶ sunt, hi *κριταί*· ut audientes hi tres sint: *ἐκκλησιαστής*, *κριτὴς* et *θεωρός*. Quibus ita dispositis, de singulis his dicendi generibus ita agit, ut *ἐκ τίνων δεῖ προτρέπειν καὶ ἀποτρέπειν*, *ἐκ τίνων κατηγορεῖν καὶ ἀπολογεῖσθαι*, *ἐκ τίνων ψέγειν καὶ ἐπαινεῖν* exploret ac probet: quibus adhibet maxime, quae explicuerat in praecedentibns, *τὰ ἐνθυμήματα*. Etenim, quod addit, *περὶ γὰρ τούτων καὶ ἐκ τούτων τὰ ἐνθυμήματα λέγεται*. 1)

Documento nobis baec operis Aristotelici argumentatio est, perfecisse auctorem id, quod in *Sophista* et *Politico* Plato cum inchoaverat, tum faciendum praeceperat. Ut hic sophisticam, ita rhetoricam Aristoteles cernendo jungendoque explicuit. Quamquam ratio utriusque philosophi diversa est. Plato quasi nobiscum quaerit, indagat, invenire studet: non ita Aristoteles; sed quae secum ipse antea et quaesivit et indagavit et invenit, aptâ nobis discretione et dispositione proponit. Itaque comparantibus haec nobis utriusque philosophi scripta, in Platonis dialogis *inventio* ubivis, in Aristotelis vero disputatione *inventorum expositio* ac *demonstratio* occurrit. A demonstrando aliena in his disquisitionibus Platonis ratio est: Aristoteles vero, quamvis non per syllogismos procedat, tamen probare nobis et demonstrare sententiam suam studet: ut ex *definiendi* modo intelligitur. Nam, rei, de qua agitur, definitio, uti apud Platonem cernendo jungendoque invenitur tandem, ita apud Aristotelem continuo ponitur: incipit ab ipsa definitione disputatio. Omnino, ut in legendo Platone una cum Eleate vel Socrate quasi *venamur*, ita legentibus Aristotelem auctor nobis, quod *cepit*, ostendit: sic autem ostendit, ut simul, qua illud ratione i. e. quibus partitionibus et conductionibus assecutus fuerit, intelligamus. Sic plane haec ordine procedens Aristotelis disceptatio Platonicae rationis continuatio est: perficit discipulus, quod magister inchoavit.

Verum propius etiam Plato ab Aristotelis synthetica sive syllogistica ratione abfuit. In hac methodo, ut ex laudata Aristotelis argumentatione patet, *definitionis* in primis agitur diligentia. Fundamentum illa est sive fons universae disputationis. In *Phaedro* autem Plato, quod modo commemoravimus, syntheticae definitionis et rationem et exemplum dedit. 2) De dialectica eloquentiae adhibenda proprie agitur in hoc dialogo: disquisitio de amore exempli adducitnr caussâ. Lysias sic de hoc argumento scripserat, ut nullus extaret in oratione ordo. Socrates autem a definitione ordiendum praecipit, ipseque de eodem argumento dicturus, sic, uti meminimus, amorem definit. Est ille, ait, *ἡ ἄνευ*

1) Continentur haec *Rhetor*. I. Cf. II. 1.

2) *Initia* p. 261.

λόγου δόξης ἐπὶ τὸ ὀρθὸν ὁρμώσης κρατήσυσα ἐπιθυμία κ. τ. λ. 1) Quae prorsus *synthetica* definitio est, ex eaque plane, ut ex dialeetieae definitione Aristoteles, proximam omnem disputationem ducit. Occurrunt autem in eodem dialogo *partitiones*, quas plane dixeris Aristotelieas. Nam, ut audaciae poenituerat Socratem, qui dicere in amorem sustinnisset, palinodiam canit, reprehenditque se ipsum, quod non recte distinxerat. Furorem enim amorem esse, at non unum exstare furoris genus: esse duo genera *μανίας, τὴν μὲν ὑπὸ νοσημάτων ἀνθρωπίνων· τὴν δὲ ὑπὸ θείας ἐξαλλαγῆς τῶν εἰωθότων νομίμων γιγνομένην.* Tum hoc genus in species distribuit quatuor, in *μαντικὴν ἐπίπνοιαν, τελεστικὴν, ποιητικὴν*, atque *ἐρωτικὴν*, de quibus deinceps singulatim disserit. 2) Continet ita dialogus hicce omnino disputationis Aristotelicae normam; sed operae pretium est animadvertere, non continuo Platonem, quod mos fert Aristotelis et dialecticorum, definitionem ponere: *analytica* nos ille ratione ad definiendum adducit. Hoc scilicet fuerat disputationis exordium. Duo nobis insunt, inquit, quibus paremus: alterum *ἔμφυτος οὖσα ἐπιθυμία ἡδονῶν*, alterum *ἐπίκτητος δόξα, ἐφιεμένη τοῦ ἀρίστου*, 3) quorum hoc neglecto, illud respiciens solum, definitionem inde, qnam descripsimus, efficit. Sed inde etiam, ex eadem illa analytica disceptatione postremo rectum dueit de amore judieium. Unde intelligimus faeillime eum originem et naturam syntheticae definitionis, tum vero etiam analyticae rationis ad reete instituendam synthesin, imo vero ad verum assequendum vim et opportunitatem.

Quemadmodum Platonis analysis viam muniverit Aristoteli, ut syllogistieam instrueret, ex his eonjiei exemplis potest. Verum praesertim quaerendum nobis proposuimus, quatenus disciplinam perduxerit magister, quid discipulo peragendum reliquerit. Est illud potissimum *mathematicae*, quae vocatur, *demonstrationis* ratio, quam *ἀπόδειξιν κατ' ἐξοχὴν* et *μαθηματικὴν ἀκριβολογίαν* vocat Aristoteles. 4) Non diversa quidem illa est a syllogistica et synthesi, sed, ut nomen indicat, ad mathematicorum, ad Euelidis postea argumentandi severitatem exacta est. Hujus ut normam legesque descripsit Aristoteles, 5) ita viâ et ratione usi sunt philosophorum recentiorum multi, in quibus Wolfius hac methodo contendit disciplinas omnes tractandas esse. Id Plato in scriptis suis ne inchoavit quidem.

---

1) *Phaedr.* 238. C.
2) *Eod.* 242. B. — 245. A. et 265. B. Cff. *Initia* p. 70.
3) *Eod.* 237. D.
4) *Metaph.* II. 3.
5) Ernest. *Opusc. Phil.* p. 183.

Characterismus dialecticae Socraticae, Platonicae, Aristotelicae: quis proprius est Platonicae character?

Et haec quidem, ipsius Platonis causså, cum de Socratica dialectica, cui debuit ille multum, tum de Aristotelica, in quam ipse vim magnam habuit, paullo latius persequi juvabat. Suffecerint ea, opinor, ut Platonicae dialecticae claram quodammodo mente notionem conciperemus. Sed efficacem hanc esse maxime ad acuendum ingenium, quo acutior, quo εὑρετικώτερος, ut ait Plato, fiat homo, quoque convertatur magis mente animoque totus ad veritatem, id nunc, ni fallimur, ex harum methodorum comparatione efficere nobis licet. Quibus in comparandis, accurate a Socratica ratione Platonicam distinguere, difficile negotium est. Nam apud Platonem analysis proxime est, ut exposuimus, cum ἐπαγωγῇ conjuncta, nec ulla est sive ἐπαγωγὴ sive omnino dialectica, quae a cernendi jungendique studio et arte plane sit sejuncta. Quo accidit, ut per hanc rationem suam Socrates in morum disciplina tot ac tanta invenerit. Συλλογιστικὴ autem Aristotelis, quaeque proprie synthesis dicitur, ipså continetur Platonis ratione, quae partim constat συναγωγαῖς· et sane nec Socrates comparando, nec cernendo Plato invenisset quidquam, nisi *junxisset* uterque, quod idem est atque συλλογίζεσθαι. Nos vero harum methodorum nunc maxime *characterem* animadvertere studentes, id notare in singulis oportebit, non quod unum unicuique proprium est, sed quo uno praesertim singulae, quamvis multa habeant cum aliis communia, a caeteris distinguuntur.

Simplicitate se commendat Socratis ratio. Sponte ille suå ad veritatem cum ipse procedebat, tum alios adducebat. Quam naturae facilitatem in Platonica item dialectica non desideramus; sed accedit *acumen*, quo haec est insignis. Artem multo magis in analysi Platonis, quam in Socratis inductione agnoscimus, refertque illa eam mentis sagacitatem, felicitatem, εὐστοχίαν, quam vocant, quae invenit et nova in lucem profert. Aristotelis vero ratio, quamquam nec ipsa a natura aliena neque acumine destituta, *diligentiam* tamen magis studiique assiduitatem requirit. Quo accidit in historia philosophorum, ut, qui Aristotelis rationem sequerentur, numero fere infiniti essent: pauciores, qui Platonis analysi uterentur; qui vero Socratem referrent, omni aevo essent rari. Acumen enim non ita infrequens est in genere humano, pluresque iccirco exstiterunt philosophi, qui acute cernendo jungendoque nova proferrent, quam qui, ut Socrates, nil visi perficere, perficerent quam plurima et optima. Rationem autem sequi, quam Aristoteles induxit, nec singularium plane est nec paucorum hominum. Nam, ut in probando, quod inventum est, atque ex aliorum inventis conficiendo aliquid

et quasi construendo versatur, ita sagacitate minus, quam diligentiâ procedit. Est autem diligentia non omnium quidem philosophorum; sed, ut quis merito dici hoc nomine possit, necessario requiritur.

In hac autem methodorum, aurea illa philosophiae aetate, successione, ut singularum patet vis propria et ratio, ita cernere mihi videor ipsius ingenii humani in studio veritatis progressionem. Nam sponte primum homo facileque res cognoscit: succedit naturali facilitati mentis acumen, quo accuratius discernit jungitque ac nova invenit: tum vero quod cognovit, quod acute invenit, id sibi plene persuadere, id probare diligenter ac demonstrare conatur. Quamobrem non audiendi sunt illi, qui harum methodorum aliam in coelum laudibus ferunt, aliam vero sive spernunt sive negligunt: prouti fuerunt, qui Aristotelis syllogisticam alto supercilio despicerent. Nihil spernere licet, quod naturae est consentaneum, et singulis aetatibus singulae hae methodi conveniunt. *Pueris* adhibenda ἐπαγωγή est, ut Socrates fecit, methodi auctor: estque haec proprie *docendi instituendique ratio* justa: nos nostrâ linguâ ipsam institutionem vocare *opleiding*, ut Graeci ἐπαγωγὴν, solemus. Analysis vero, sive acute cernendi jungendique studium et ars, *adolescentum* est, cui maxime aetati acumen atque inveniendi sagacitas propria est. Aegre illi ad probandi demonstrandique severitatem adducuntur, et nocent ingeniis magistri, qui maturius quam natura fert, dialecticam iis Aristotelicam addiscendam proponunt; sed *exquirere, divinare, conjicere, invenire*, id adolescentiae naturale studium est, idemque si aptâ methodo, ut ars illa Platonis est, regitur, eo simul valet, ut postea ordine disserere ac probare accurate et demonstrare homo possit. Quod vidit Plato, quum solertiam illam et sagacitatem simulque levitatem hujus aetatis respiciens, adolescentes χαίρειν diceret, ὥσπερ σκυλάκια, τῷ ἕλκειν τε καὶ σπαράττειν τῷ λόγῳ τοὺς πλησίον ἀεί· *delectari, catulorum more, distrahendis disputando lacerandisque proximis quibusque semper.* 1) Haec plane juvenum consuetudo est, qui priusquam per Socraticam disciplinam purgati, perque Platonicam instituti recte sunt, de rebus omnibus continuo disputare, suamque unice propugnare sententiam aggrediuntur. Quamobrem idem ille *intelligendi*, ut a Cicerone vocatur, *gravissimus auctor et magister* maturiorem exspectandam aetatem censuit, qua juventus ad severiora haec studia adduceretur. Nondum ille mathematicam istam demonstrandi rationem, cujus leges dedit Aristoteles, quaeque in Wolfiana schola ad omnes doctrinas adhibita est, cognovit; si vero cognovisset, hanc in primis adultae virilique aetati destinavisset. Nam is omnino in studio dialecticae extremus labor est, ut, quae vel ipse inveneris vel ab aliis inventa acceperis, cum

1) *De Rep.* VII. 539. B. Vid. Wytt. *ad Plut. de S. N. V.* p. 11.

ordine disponas atque explices, quod fecit Aristoteles in palmariis, quos memoravimus, de *rhetorica* libris, tum etiam, quod idem in *Organo*, quemadmodum perficiendnm esset, demonstravit, ab inanibus adversariorum cavillationibus recte vindices. Sic sua cuique aetati est dialecticae methodus, nec minorem habet Aristotelica ratio, quam Socratica aut Platonica, ad excolenda ingenia vim et opportunitatem. Quamobrem tantum abest, ut spernenda sit syllogistica Aristotelis, ut, non satis eam provectioribus juventutis studiis in Academiis adhiberi, dolendum videatur. 1) Nam si quid ad accurate dicendi scribendique facultatem acuendam, ad firmanda corroborandaque ingenia, ad caussam veritatis naviter propugnandam valet: valent eo in primis hae dialecticae exercitationes. Sed abusi sunt syllogistica philosophi, indeque, ut jam aliquoties monuimus, summum cepit philosophia detrimentum. Si, quod praecepit Aristoteles faciuntque mathematici, ea hac methodo exponere et demonstrare studuissent, quae vel vera vel certe in primis evidentia ac probabilia essent, optime meriti de philosophia fuissent. Nunc vero, quod et Stoici et Scholastici maxime medio aevo fecerunt, temere posuerunt quaecunque, sive vera, sive falsa, assumere lubebat, imo vero falsa ponere, quae demonstrarent, malebant, quo majorem scilicet ingenii laudem ac gloriam caperent.

Cum vero haec sit trium illarum methodorum natura et ratio, de earum jam porro cum usu, tum utilitate dispiciamus singulatim. Valent cunctae ad cognoscendum verum; sed, ut Socraticae est rationis, *ad inveniendum nos praeparare*, Aristotelicae, *inventa nobis persuadere*, ita Platonicae est id ipsum, quo tetendit Socrates, undeque Aristoteles profecit, *invenire verum*. Simplici illa interrogandi consuetudine purgabat Socrates audientium animos praejudicatis opinionibus, eliciebatque et excitabat in iis et studium et facultatem inveniendi, ut *niterentur*, quod diximus, 2) invenire: unde recte ejus disciplina *μαιευτική*, *ἔλεγχος*, *κάθαρσις*, *ἐπαγωγή* vocatur. Aristotelicae usus disciplinae egregius item est, quamquam diversum propositum habet: pertinet ad persuadendum hominibus, quod inventum est: valuitque iccirco hujus in primis ratio ad eloquentiae explendum munus, quod persuadendo cernitur. Quodsi methodum quaerimus, qua maxime uti philosophos decet, siquidem summum attingere in philosophia, i. e. *verum* in rebus omnibus velint, est sane Platonica analysis. Inductio enim proprie est ad recte hanc instituendam praeparatio quaedam; syllogistica autem, ut synthesin parit, ita suâ ipsa naturâ cum finibus arctis includitur,

1) Dolet *Heerenus*, quidque ipse juvenis his exercitationibus debuerit, fatetur ingenue in elegantissima vitae suae descriptione. (*Opp.* I. 25.)

2) *Initia* p. 151, 243, 246.

tum coarctat in rebus cognoscendis philosophi mentem. Nam efficit ex inventis quam plurimis et quasi construit doctrinae formulam quandam, *systema* a componendo et construendo appellatam, quod quamvis ordine, quamvis partium conjunctione aptâ et eleganti habitu se commendet, tamen suis est limitibus circumscriptum. Hos autem limites nec fert philosophia, et gestit naturâ superare philosophorum ingenium. Quo accidit, ut, quidquid post Socratem et Platonem philosophi in condendis systematibus moliti sunt, et quamvis, quae condiderunt, aequalibus placuerint, repudiata haec tamen a posteris fuerint: unde, apud recentiores, historiâ systematum, quae sibi identidem successerunt, ipsa historia philosophiae magnam partem continetur. Huic autem naturali philosophorum studio et ardori convenit plane ac satisfacit Platonica methodus. Analysis enim nullos habet, nisi ipsius ingenii humani, terminos. Nam uti cernendo jungendoque progreditur, ita cernere desinit nunquam, sed quae conjunxit identidem, novam ea gignunt cernendi explorandique materiam, unde novae iterum συναγωγαὶ, *conductiones*, quas Cicero vocat, quaeque nobis dicuntur *combinationes*, oriuntur: ut infinita in his sit ingenii humani progressio, quatenus quidem in hac conditione sua progredi potest. Quid efficere per hanc methodum homo queat, augurari nobis et haud sine probabilitate exspectare licet, definire non licet; veruntamen naturalis philosophia, quae hodie unâ hac analyticâ ratione tractatur, quot quantosque inde fructus et ipsa perceperit et generi humano percipiendos praebuerit, scimus: eademque et exemplum nobis est, quod secuti theoreticam universamque philosophiam tractemus, et vero documentum, quos quantosque in hac etiam progressus simus facturi, si, rejecto systematum condendorum consilio, verum cernendo unice jungendoque, id est, analyticâ et vere philosophâ inquirendi ratione, assequi studeamus. Sed quidquid hac in re sive factum sive neglectum est adhuc, hujus effectum methodi praestantiâ est, ut, cum multi philosophi Socraticam methodum, quae proprie sit, ignorent, spernantque alii syllogisticam Aristotelicam, omnes tamen cernendi jungendique artem, analyticam rationem et probent laudentque, et in primis in omni doctrinarum genere usurpandam commendent.

Sed adhuc diximus de singularum natura usuque methodorum, quarum inventores celebrantur philosophorum omnium triumviri celebratissimi, Socrates, Plato, Aristoteles. Ut proprium aliquando Platonicae dialecticae *characterem* assequamur, non distinguenda haec tantum ab aliorum inventis est, sed attendere item decet, quo *modo* quoque *proposito* usurpaverit eam Plato. Utrumque eo facilius assequemur, quo rectius ab Aristotelis posteriorisque aetatis analysi Platonicam distinxerimus.

Eum in modum apud Aristotelem aliosque haec procedit cernendi jungendique methodus, ut doceat lectores auctor, in quas partes divi-

dendum distribuendumque argumentum sit, quaeque porro sit singularum partium partitio. E qua docendi ratione ortum praeceptum est: *qui bene distinguit, bene docet.* Apud Platonem vero non docentem Eleatem hospitem vidimus: interrogat semper Theaetetum unaque cum eo quaerit. Hoc autem modo invenit analysis, illo inventa nobiscum communicat. Recessit quidem postea ab illa ratione Plato. In *Timaeo*, in *Critia*, in libris *de Legibus* principem dialogi personam distinguentem inducit, ut legere nobis subinde Aristotelem, rerum naturam explicantem, videamur. Sed non de his, de iis hîc agimus dialogis, in quibus methodi ipse suae naturam expressit: quos si cum Aristotelis disceptationibus contulerimus, has non inepte *analyticas demonstrationes* vocabimus: in illis vero ipsam *analysin*, quaerendi inveniendique methodum, inventricis omnino dialecticae normam agnoscemus. Sed de modo, quo analysin usurpavit Plato, alia sunt item animadvertenda nobis. Est illa ratio, quod ipse fatetur, ut pulcerrima, ita simul perquam difficilis. « Saepius me illa, ait apud eum hospes Eleates, in quaerendo et disserendo destituit. » Qua accidit difficultate, ut pauci omni aevo ea recte usi sint. Nam Aristoteles, ut hoc utar, inventi Platonici haeres proximus, quum cernendi diligentiâ res omnes divinas atque humanas explicare institueret, discrevit quidem studiose alia ab aliis; sed non satis apte identidem discreta conjunxit. Stoici contra et Epicurei, qui proficere ex Aristotelis syllogistica studuerunt, jungere mirâ arte cum placitis suis antiquiorum placita philosophorum, Heracliti, Democriti, Socratis, Platonis conati sunt; sed non satis in philosophando discreverunt: quocirca judicium fere in eorum systematibus desideramus. Plato vero sic methodum hanc suam et usurpandam esse censuit et usurpavit fere, ut aequabiliter uteretur utroque, imo vero, quae naturae ratio est, tam jungeret cernendo, quam jungendo cerneret. Unde in primis repetendam explicandamque censeo, quae in ejus tam oratione quam philosophia exstat, perspicuitatis cum copia et concinnitate conjunctionem. Quod tum explicare juvabit, quum ad *rhetoricum* philosophi pervenerimus. Hunc autem in modum cum analysi in philosophando uteretur Plato, ducem se nobis praebuit, quem, sive philosophiam, sive artes doctrinasque tractare instituimus, lubenter sequamur. Non, quasi ipse tramitem, quem nobis indicavit, recte semper secutus sit, vel placita, quae hac cernendi jungendique methodo invenit, verissima sint omnia. Et homo fuit divinus Plato, et humani aliquid identidem passus est. Sed ipsam philosophandi rationem, quam probavit, nos quoque unice probandam censemus. Qui post eum exstiterunt philosophi, sic placita fere sua sive analyticis sive syntheticis demonstrationibus exposuerunt, ut docerent alios, generique humano sapientiam scilicet suam traderent. Non ita Plato: quaerendo procedit semper: estque ejus philosophia non

formula doctrinae, non *sylloge* sive *aggregatum*, ut vulgo loquuntur, placitorum gravissimorum; sed viam monstrat maxime, qua sit philosophis progrediendum. Nam uti cernendo simul jungendoque procedit, ita nobis, ipsum sequentibus, hujus rationis ubivis exemplum tradit, ut adducti quo ipse pervenit, inde ipsi eadem ratione progrediamur. Rerum naturalium perscrutatores, qui hodie sunt, magnam partem philosophos despiciunt, quippe omnes arbitrantur sui quosque systematis cancellis naturam comprehendere: qui si legerent Platonem, si methodum philosophi ad inveniendum resque omnes plene accurateque cognoscendas ex ejus scriptis assequi studerent, aliter profecto existimare de philosophis et de philosophia discerent. Quodsi iidem, quo ardore rerum naturam, eodem semetipsos et res humanas perscrutari aggrederentur, perceptâ illi rite philosophiâ Platonis, utrique huic studio pariter et dialecticam et omnem philosophiam adhibendam esse faterentur. Verum, ut suum plane dialecticae Platonicae characterem assignemus, non tantum modum, sed *propositum* etiam, quo disciplinarum hanc principem philosophus tractandam censuit, attendere oportet.

Non est apud Platonem dialectica ars inveniendi quaedam, quae eo duntaxat valeat, ut sagaciores, acutiores, εὑρετικώτεροι fiamus. Complectitur, prouti exposuimus, Socraticam inductionem: quo efficax in primis facta ejus ratio est ad totum hominem mente animoque excolendum. Ut ingenio et institutione Socraticus fuit Plato, ita sponte suâ in factitanda dialectica spectavit idem, quod in philosophando disserendoque ejus magister spectaverat, ut ad virtutem et honestatem homines adduceret. Quin etiam, quod inchoaverat Socrates, diligentius hic persequi studuit. Simile quid animadvertimus modo in Aristotelis dialectica. Ut Plato Socraticam, ita hic Platonicam methodum studiosius etiam, quam magister, ad res omnes cernendo explicandas adhibuit. Id scilicet in illa philosophorum successione obtinuit, ut discipulus fere magistri methodum non tantum philosophando scribendoque exprimeret, sed plenius etiam ad propositum finem adhiberet. Quod idem postea quoque obtinuit, ut verbo jam supra attigimus. Syllogisticam et vero mathematicam demonstrandi rationem, ab Aristotele proditam, multo elaboratius recentioris aetatis philosophi ad doctrinas singulas tradendas, quam ipse Aristoteles, usurparunt. Nec sane abhorret ab ingeniorum rerumque humanarum conditione haec ratio. Quod quisque excogitavit, id post maxime et factitatur et qua late patet in omnes res applicatur. Fructum ex inventis posteri uberiorem fere, quam aequales, capiunt. Et sic quidem Plato methodo ipse suâ Socraticam complexus, quae interrogando, eliciendo, purgando ad penitus excolendum perficiendumque hominem valeret, eam animo concepit, scribendoque et expressit et usurpavit dialecticam, quae tam esset ad omnem humanita-

tem fructuosa, quam ad inveniendum, ad artes doctrinasque et discernendas recte et tractandas apta et efficax. Hac ubertate, hac ad res omnes humanas recte provehendas vi et efficacitate insignis est ratio illa Platonis, excellitque longe disciplinis cunctis, quae sive *dialecticae* sive *logicae* nomine apud recentiores prodierunt. Ad acuendum hae ingenium fere, praesertim ad disputandi artem instruendam valent, animi vero sensus et studia vix attingunt.

Praeclarum hoc sane est dialecticae Platonicae propositum; sed hoc animadvertamus praecipue. Idem est illud, quo caeteras quoque disciplinas, arithmeticam, geometriam, astronomiam colendas judicavit, quo scilicet magis ad *veritatem* quasi traheremur, quoque excoleretur magis et aperiretur *organum* illud *mentis, quo uno veritas percipitur.* Sublimem Platonis de hoc disciplinae proposito sententiam ad hunc locum reservavimus, ut tota Graece apponeretur, quippe ad dialecticae finem assequendum in primis idoneam. Est illa hujusmodi. «Vulgus, ait, has disciplinas inutiles esse opinatur;. *τὸ δ' ἐστὶν οὐ πάνυ φαῦλον, ἀλλὰ χαλεπὸν πιστεῦσαι, ὅτι ἐν τούτοις τοῖς μαθήμασιν ἑκάστοις ὄργανόν τι ψυχῆς ἐκκαθαίρεταί τε καὶ ἀναζωπυρεῖται, ἀπολλύμενον* 1) *καὶ τυφλούμενον ὑπὸ τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων, κρεῖττον ὂν σωθῆναι μυρίων ὀμμάτων· μόνῳ γὰρ αὐτῷ ἀλήθεια ὁρᾶται· hoc autem non ita vile est, sed ad percipiendum credendumque difficile, singulis hisce disciplinis organum mentis quoddam purgari excitarique et reviviscere, quod aliis fere studiis perit atque occoecatur, cum id servari, quam sexcentos oculos, praestet; solo enim hocce veritas cernitur.*» 2) Sed ut efficiunt hoc caeterae disciplinae, ita dialecticae Plato hancce vim et efficacitatem tribuit, ut ipsum animum ad cernendam veritatem *convertat* totum: quod ipsius esse philosophiae propositum praecipuum statuit. «Non puerile sane negotium, ait, haec conversio est: non *ὀστράκου* est *περιστροφή, ἀλλὰ ψυχῆς περιαγωγὴ ἐκ νυκτερινῆς τινος ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν τὴν ὄντως οὖσαν, ἣν δὴ ἐπάνοδον φιλοσοφίαν ἀληθῆ φήσομεν εἶναι· non conversio testulae est, sed animi a die, qui noctem refert, ad verum diem, quique ipsa lucet veritatis luce, cum conversio tum escensio, quam veram esse philosophiam dicemus.*» 3) Scilicet sermonibus

1) (Dubito num recte legatur *ἀπολλύμενον, perditum, exstinctum;* nam parum quidem recte additum videatur *τυφλούμενον*, quum *purgandi* necessitas suscitandi facultatem praeclare praecedat in prioribus. Puto igitur legendum *ἀπολυμαινόμενον, sordibus infectum*, a *λυμή, lues.* Egregie respondebit *τῷ ἐκκαθαίρεται.* Ficinus quoque vertit: *ex aliis studiis infectum occaecatumque.* — Ed.).

2) *De Rep.* VII. 527. D. E. Cff. *Initia* p. 139.

3) *Eod.* 521. C. D. Cff. *Initia* p. 33. *Ὄστρακον* testa est, qua pueri in ludis utebantur. Vid. *Ast* ad h. l.

miscendis procedit dialectica: a *διαλέγεσθαι* nomen habet: his autem maxime, si Socratica ratione instituuntur, cum veri amor in animo ut flamma excitatur, tum aperitur ille, quem diximus, animi oculus, tum vero, si quo alio modo, his praesertim, per efficacitatem persuasionis, ad lucem veritatis adspiciendam et trahimur et toto animo convertimur. Nolim contendere, alienum fuisse ab hoc praecipiendo dialecticae praecepto sive Socratem sive Aristotelem; sed huc spectare maxime Platonicam dialecticam, hoc proprie proposito *characterem* ejus exprimi, id ex hac triumvirorum celeberrimorum comparatione efficere nobis haud temere videmur.

Quare dialectica apud Platonem ars dicitur et sepimentum doctrinarum?

Locum hunc in philosophia sane quam gravissimum sic omni ambitu tractare studuimus, quo magis lectores a vulgari illa, quae in scholis traditur, dialectica ad eam disciplinae rationem converterem, quam primus videtur Plato in luce posuisse, quaeque tantum abest, ut scholam redoleat, ut una omnium maxime ad ingenium acuendum excolendumque, ad artes disciplinasque, quae vitam hominum ornant, recte tractandas valeat. Nunc vero cum caeteras omnes Platonis de hac disciplina sententias, tum hanc intelligere nobis licebit, qua disputationem de disciplinis concludit. Videtur *ὥσπερ θριγκὸς τοῖς μαθήμασιν ἡ διαλεκτικὴ ἡμῖν ἐπάνω κεῖσθαι, καὶ οὐκέτ᾽ ἄλλο τούτου μάθημα ἀνωτέρω ὀρθῶς ἂν ἐπιτίθεσθαι, ἀλλ᾽ ἔχειν ἤδη τέλος τὰ τῶν μαθημάτων.* 1) Scilicet caput dialecticae Platonicae, ut tota nos docuit disputatio haecce, *cernere* est: quod in omni judicandi munere summum habetur: unde in linguis *judicare* verbis exprimitur, quae a cernendo ac dividendo ducuntur. Hinc *critica*, gravis in primis ars, quam primum Graeci post Platonem libris librorumque lectionibus judicandis adhibuerunt, postea recentiores nulli non literarum artiumque generi, universis doctrinis, ipsi philosophiae applicuerunt: unde *criticae philosophiae* nomen. Quamquam, si res, non nomen agitur, antiqui jam recentioribus universae hujusmodi criticac exemplum in scriptis suis dederant. Et vero quae philosophia est, quae ars aut doctrina tractari recte potest, nisi judicare, judicandi ars, nisi critica accedat, quae cernendo veritatem patefaciat? In his autem omnibus quicunque judicat et philosophatur, ut cernit, ita discreta a caeteris separat, signoque, ut ait Plato, notat, *ἐπισφραγίζεται*, 2) quo diligentius a similibus omnibus distinguantur Id *sepire* Cicero vocat ac disserendi tribuit scientiae. *Atque haec om-*

---

1) *De Rep.* VII. 534. E.
2) *Politic.* 258. C.

nia, ait, *quasi sepimento aliquo vallabit disserendi ratione, veri et falsi judicandi disciplina et scientia.* Explicare autem id ipsum videtur, quod quaerimus, quare θριγκὸς i. e. *sepimentum* apud Platonem dialectica dicatur. 1) Sed apud hunc item dialectica caeteris disciplinis ὥσπερ θριγκὸς ἐπάνω κεῖσθαι dicitur, quo *arcis* sive *speculae* continetur notio. Id quomodo accipiendum sit, supra jam significavimus; explicandum autem maxime e *scientiae* natura est. Caeterae, ait Plato, ut vidimus, doctrinae ὑποθέσεις habent, a quibus ordiuntur, uti axiomata habet geometria: has, ut immotas, non tangunt, quarum quippe rationes reddere non possunt: *scientiae* igitur, ut vulgo solent appellari, haberi existimarique non possunt; dialectica vero neque ipsa habet axiomata ulla, et caeterarum axiomata doctrinarum sola cernendo disserendoque ad initium ἀνυπόθετον, ad ipsum τὸ ὂν reducit. Quocirca ut fiant hae *scientiae*, dialecticâ opus habent, quae ita longe iis fit superior, meritoque τοῖς μαθήμασι dicitur ἐπάνω κεῖσθαι. Quod antem diximus *arcis* seu *speculae* notionem in dialectica Platonis latere: expressit eam ipse in quarto Politiae libro. Socrates illic hac cernendi usus arte, justitiam cum in civitate, tum in ipso homine, qualis sit, explorat. Qua inventa tandem, conscendisse sibi dialectico hoc itinere videtur quasi speculam, unde prospiciens, virtutis speciem unam, innumeras vero pravitatis conspicit; quatuor autem in iis praecipuas discernit. «Age igitur, inquit, huc accede, ut, quot species pravitas habeat, cernas. — Sequor equidem: dic modo. — Καὶ μὴν ὥσπερ ἀπὸ σκοπιᾶς μοι φαίνεται, ἐπειδήπερ ἐνταῦθα ἀναβεβήκαμεν του λόγου, ἓν μὲν εἶναι εἶδος τῆς ἀρετῆς κ. τ. λ. *Atqui tanquam e specula mihi videtur, cum in hunc escenderimus sermonis locum, una esse virtutis species.*» 2) — Ita dialectica apud Platonem illuc philosophum evehit, unde res humanas omnes et contemplari et dijudicare possit: hinc ipsa a veteribus philosophia *arx sapientiae* dicta est. Sed ut, missis metaphoris, rem ipsam perspiciamus, pateatque nobis, quemadmodum per

---

1) Hanc loci interpretationem Bakio meo debeo, Ciceronis probatam auctoritate *de Legg.* I. 23. Similia nobis multa largietur eruditi viri in hoc Ciceronis opus commentarius, qui utinam prodeat aliquando! Platonis interpretes de *sepimento* non cogitarunt, in hac re profecto non negligendo. Dissentit vero P. Victorius *Var. Lectt.* II. 12. negans a Cicerone Platonem respici, apud quem θριγκὸς significet *apicem*, *culmen*, non *sepimentum*. Comparari mavult Diog. Laert. in *Zenone*, ubi: εἰκάζουσι δὲ τὴν φιλοσοφίαν (Stoici) ἀγρῷ παμφόρῳ, τὸν μὲν περιβεβλημένον φραγμὸν τὸ λογικὸν, τὸν δὲ καρπὸν τὸ ἠθικὸν, τὴν δὲ γῆν ἢ τὰ δένδρα, τὸ φυσικόν. — Φραγμὸν igitur, quod Cicero *sepimentum* appellat, intelligit.

2) *De Rep.* IV. 445. C.

dialecticam nos Plato ad rerum *scientiam* ducendos esse arbitretur, exemplum denuo e Diotimae de *pulcri scientia* sermonibus petamus. Non illa ab hypothesibus initium ducit, sed cernendis a *pulcro* rebus omnibus, quae pulcrae existimantur, definit tandem et quasi *sepit, vallo separat* a similibus omnibus ipsum pulcrum, τὸ αὐτὸ καθ᾽ αὐτὸ μεθ᾽ αὐτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὄν. 1) Quo ut perduxit Socratem, ἐνταῦθα τοῦ βίου, ait, ὦ φίλε Σώκρατες, εἴπερ που ἄλλοθι, βιωτὸν ἀνθρώπῳ, θεωμένῳ αὐτὸ τὸ καλόν· *hic vivendum homini est, o amice Socrates, ipsum pulcrum spectanti.* 2) Id scilicet est, quod dixit Plato, principium ἀνυπόθετον, ipsum est τὸ ὄν· hanc idem praedicavit philosophi in arce sapientiae felicitatem summam.

De critica. Ut nata est e dialectica Platonis, ita et refert hanc et illustrat.

Criticae, quam modo excitavimus, si vim et naturam exploramus, expressit eam Plato, quum in Eleatae disceptatione, quam modo legimus, διακριτικὴν memorabat. 3) A vilioribus artibus verbis sumtis quibusdam, ut *percolare, excribrare, vannare, carminare*, eo hanc valere ait, ut similiter pejus a meliore, simile a simili discernat: quod plane criticae nostrae praeclarum literisque et doctrinis salutare negotium est. Unde criticae *vanni* apud criticos nostros frequens usus est: 4) quamque iidem usurpant fere *purgandi* notionem, ubi integritati restituere et scripta veterum et ipsa eorum decreta student, expressit hanc item Plato, quum διακριτικὴν esse καθαρμόν τινα dicebat. 5) Quae reputanti mihi, linguae, qua haec scribo, in mentem venit, in qua non minus, quam in dialecticis Platonis dialogis, judicandi vis propria et effectus exprimitur. Nam *putare*, unde *reputare*, quod cogitandi judicandique significationem habet, quid aliud est, quam *purgare*? proprie de lana *carminando* purganda usurpatur. Artis autem judicandi idem negotium, effectus idem est: simile haec pariter a simili, pejus a meliore, falsum a vero discernit: estque in his omnibus purgationis cujusdam ac puritatis significatio: unde Germanorum dictio: *die Sache ins Reine bringen.* Convenit plane cum hac Germanorum dictione aliud Latinorum vocabulum *disputare*, quod ad exquirendum pertinet, ut res instituto sermone ad liquidum perducatur. *Disputatio,*

1) *Symp.* 211. B. Cf. 211. E. αὐτὸ τὸ καλὸν ἰδεῖν εἰλικρινὲς, καθαρὸν, ἄμικτον.

2) *Eod.* 211. D.

3) *Initia* p. 259.

4) V. c. *Dorvilii Vannus critica in inanes Pavonis paleas.*

5) *Soph.* 226. Cff. *Initia* l. l.

ait Varro, *a putando, quod valet purum facere. Ratio putari dicitur, in qua summa sit pura. Sic is sermo, in quo pure disponuntur verba, ne sit confusus, atque ut diluceat, dicitur disputare.* 1) Quid? quod idem illud Latinorum *putare* ad calculum, ad numerandi artem transfertur. A putando enim *supputare, computare* dicitur. Apud Platonem autem cernendi ars in puerorum institutione, ut meminimus, quam proxime est cum arte numerandi conjuncta. 2) Sic latent scilicet in dialogis illis Platonis, in ipsis adeo linguis praestantissimae hujus artis nostrae principia.

Natam hanc esse diximus e cernendi arte Platonis, ut posteri eam demum, tanquam artem quandam disciplinamve peculiarem, excoluerint. Quod ex hac ejus vi naturali, quam Plato significavit, intelligitur: modo recte ab analysi, quacum confundi a multis solet, distinguatur. Hunc enim in modum a recentioribus philosophiae adhibita est, ut idem eà, quod analysi Plato, intellexisse videantur. Proprie vero sic est ab illa diversa, ut, cum utraque inquirendo, inveniendo, judicando procedat, criticae in primis munus sit *judicare.* Invenit *analysis:* quae inventa sunt ac memoriae prodita, *critica* dijudicat. Quapropter praecedit illa, haec subsequitur. Habet item utraque, quo potissimum referatur. Ipsis in rebus versatur analysis: et animum hominis et res humanas omnes ac divinas et totam rerum universitatem explorat, verumque in his cunctis assequi studet; critica vero ut judicat, ut minus invenire, quod verum est, quam verum a falso distinguere studet, ita ad opiniones hominum, ad philosophorum placita, ad scripta, quae omni aevo in omni artium doctrinarumque genere prodierunt, ad haec igitur exploranda et dijudicanda refertur potissimum. Qua in re et *putare* illud Latinorum et διακριτική, quo usus Plato est, proprie obtinet; nam discernendo similia a similibus, probabilia a certis, falsa ac corrupta a veris et sanis purgavit fere critica orbem eruditum, et suo sibi jure in artibus et disciplinis majoribus insignem illustremque locum vindicavit. E qua criticae a dialectica Platonica diversitate ad intelligendum facile est, quemadmodum ex inveniendi illa methodo critica sit nata, tum tiam, quid caussae sit, cur ab Aristotele haec magis, quam ab ipso Platone culta sit, fueritque et criticae et eclecticae philosophiae Ptolemaeorum demum aetas, judicandi illa magis, quam inveniendi facultate insignis, apta et accommodata. Sed de ipsa hic agimus cernendi arte Platonis. Ut peperit haec criticam, utque matrem refert pulcerrima proles, ita nobis haec veluti imago quaedam est, in qua analyseos Platonicae vim divinam agnoscamus. Nam quod Plato de dialectica

1) *De L. L.* VI. 63.

2) *Initia* p. 224.

dixit, non ab hypothesibus eam ordiri, sed cernendo escendere ad illud, quod ἀνυπόθετον est, 1) hanc methodi sublimitatem in primis nobis critica percipiendam praebet. Si qua ars aut disciplina, critica tota est ab hypothesibus substruendis, construendisque in his systematibus aliena: cernit perpetuo jungitque; quae autem junxit cernendo, ἀναβαθμοὶ haec ipsi sunt, ut ait Diotime, 2) quibus ad veritatem puram intaminatamque asscquendam escendat. Artium omnium abusuś est, et maximus sane fuit syllogisticae Aristotelicae, unde contemtum haec suscepit; sed, uti Platonicae analyseos, ita criticae hujus nostrae, qua nos gloriamur merito, tam praeclarus fere usus fuit, tamque efficax ad dispellendas in studio veritatis nebulas omnes, ut neutram aliquis unquam vituperare aut spernere sustinuerit. Quo magis opera danda philosophis est, ut eam et recte usurpent et nulli non doctrinarum generi adhibeant constanter. Id autem ita optime instituent, ut diligentissime et scripta Platonis legerint et verissimae inde dialecticae, e qua nata critica est, cum rationem tum usum assecuti fuerint.

De dialectica eloquentiae adhibenda; sive de rhetorica Platonis.

Tales igitur disciplinae sunt, quibus acuendas juvenum mentes excolendasque judicavit Plato, siquidem gravioribus essent aliquando in re publica muneribus functuri. Adjecit his nonnulla nobisque recte percipienda de earum σύνοψει, ut, quae sparsim juvenes a tenera inde aetate didicerunt, haec colligant et conferant tandem, quo magis et mutuam disciplinarum cognationem conspiciant et perspiciant ita simul τοῦ ὄντος naturam: qua perfectâ eruditis institutione mundus νοητὸς sponte recluditur. Sed nondum nobis dimittenda dialectica videtur. De eloquentia diximus in superioribus, ubi de veri amore agebamus, patuitque nobis, si hoc principio, hoc amore ars gravissima quasi animatur et foecundatur, nullam esse hominum generi utilem magis et salutarem. Est autem proxime haec ars cum dialectica conjuncta, imo vero tum demum dici haberique *ars* potest, quum adhibita ipsi apte dialectica fuerit. Idem de scribendi ratione optima, quam suo item loco exploravimus, dicendum videtur: nisi accesserit dialectica, ars dicendi nulla est. Quamobrem, priusquam ad disciplinarum omnium σύνοψιν et mundum νοητὸν perveniamus, de dialectica recte cum eloquentiae tum scribendi studio adhibenda agendum est. Praemittamus autem nonnihil de rhetorica recte ab eloquentia discernenda.

---

1) Cff. *Initia* p. 234.
2) *Symp.* 211 C.

Non ita utramque Graeci, ut Latini solebant, *nomine* distinxerunt. Nam idem de eloquentia, quod de rhetorica, vocabulum usurpabant, utramque ῥητορικὴν appellantes. *Re* tamen distinxit Plato, ut superior nos docuit disquisitio nostra. Nam ut musicam et poësin novam, ita novam ille, ut vidimus, *eloquentiam* inducere studuit, quae non, ut sophistis placebat ac rhetoribus, vel gratificaretur civibus, vel ipsius spectaret oratoris sive gloriam sive emolumentum, sed tota esset ad veri, ad boni, ad justi caussam vindicandam accommodata. 1) Naturalis haec est dicendi ratio, non vero rhetorica est, quae *artem* continet dicendi. Huic autem idem germanae eloquentiae, quae ipsam spirat philosophiam, quamque referunt, ut item vidimus, optimorum oratorum, maxime Demosthenis, scripta, *novam* quandam adhibuit *rhetoricam.* Ut autem eloquentia illa Platonis *veri amore*, ita haec ejus rhetorica *cernendi arte* insignis est: fluxit ferme tota e dialecticae, quam in lucem prodiderat, principiis.

Nam arcte profecto est cum dialectica ars dicendi conjuncta. Haec adeo utriusque necessitudo est, ut dialectica, nisi dicendo se explicet, jejuna sit et horrida; dicendi vero ars, nisi dialecticam ducem habeat, futilis sit, firmo certe gradu non possit procedere. Exemplum nobis incertae hujuscemodi atque erraticae rhetoricae, in Phaedro, ut modo monuimus, 2) Plato dedit: Lysiae dico orationem illam, quae nullâ habitâ definiendi, partiendi, distribuendi, nullâ omnino dialecticae ratione, temere nulloque ordine procederet. Sed erant ejus aetate alii, rhetores proprie dicendi, qui artes dicendi traderent, nec tamen magis, quam Lysias similesque oratores, eloquentiae adhiberent dialecticam. Festivus de iis Socratis est cum Phaedro sermo, eoque opportunius nobis totus legetur, quo dilucidius inde nobis apparebit Platonicae rhetoricae praestantia. Nam postquam, dialecticâ laudatâ, λόγων τέχνην memoraverat Socrates «haeccine, rogat, illa est, qua Thrasymachus aliique usi, et ipsi diserti facti sunt et alios faciunt, quicunque ipsis, ut regibus, munera tribuere volunt? Cui Phaedrus, regii quidem illi viri, reponit, nec tamen eorum periti, quae requiris: hanc autem speciem recto mihi nomine appellare videris, *dialecticam* appellans: rhetorica vero nos fugit adhuc. — Quid ais? Praeclarum sane sit quod, ab arte dialectica sejunctum, tamen arte quadam addisci queat; veruntamen non spernendum hoc tibi mihique est: dicendum igitur, quae reliqua sit rhetoricae pars praeter dialecticam. — Permulta, o Socrates, in libris de arte dicendi scriptis tradita exstant. — Recte mones: προοίμιον, opinor, primum esse in principio orationis dicendum: haec memoras artis

1) *Initia* p. 154 sqq.
2) *Eod.* p. 276.

scilicet ornamenta: nonne? 1) — Omnino. — Tum διήγησιν quandam ac testimonia, quae ei adjunguntur: tertium τεκμήρια· quartum εἰκότα· tum πίστωσιν, credo, et ἐπιπίστωσιν, quas memorat orationum faber ille plaeclarus, vir Byzantius. — Egregium scilicet Theodorum dicis? — Dico: et ἔλεγχον praeterea atque ἐπεξέλεγχον· quo pacto hi in accusando et defendendo usurpandi sint. Praeclarissimum autem virum, Evenum Parium, nonne in medium producemus, qui primus ὑποδήλωσιν et παρεπαίνους invenit? Sunt qui eum dicant παραψόγους metro pronunciasse, memoriae caussâ: sapiens scilicet vir est. Tisiam item Gorgiamque dormire sinemus, qui veris viderunt verosimilia praeferenda esse et vi orationis efficiunt, ut parva videantur magna, magna autem parva, de rebus item novis antiquâ, de antiquis novâ ratione dicunt, 2) inveneruntque de argumentis omnibus et breviloquentiam et infinitam prolixitatem. Haec cum Prodicus aliquando ex me audiret, risit, seque solum invenisse asseruit, quibus verbis ars illa indigeret, indigere autem nec multis nec paucis, sed modicis. — Sapientissime tu quidem, o Prodice! — Hippiam autem nonne commemoremus? illi enim hunc puto Eleum hospitem assentiri. — Quidni? — Poli vero μουσεῖα λόγων 3) quomodo significabimus, qui διπλασιολογίαν, γνωμολογίαν, εἰκονολογίαν, nominumque venustates, quibus praeceptor ipsum Licymnius donavit, in usum suum adhibuit? — Protagorae vero nonne hujusmodi quaedam exstant artificia? — Ὀρθοέπεια nempe quaedam, o puer, et alia praeclara multa. Orationum autem flebilium in senectutem et paupertatem protractarum arte omnes vicisse mihi Chalcedonius orator 4) videtur: in concitanda item ad iram multitudine praestitit, ac rursus in irata incantando, ut vocabat, delinienda: in calumniando praeterea et solvendis, quocunque id modo fieri posset, calumniis excelluit. De fine autem orationibus imponendo idem placuisse commune omnibus videtur: quem ἐπάνοδον quidam, alii alio nomine appellant. — Summatim dicis singula audientibus, quae dicta sunt, sub finem in memoriam revocanda. — Et haec dico et si quid aliud his addendum de dicendi arte habes. — Exigua habeo nec memoratu digna.» 5)

---

1) Verti, ut legendum censeo. Rectius, quam vulgo legitur, distinxit Heindorfius: ἐν ἀρχῇ, ταῦτα λέγεις — ἤ γάρ; — τὰ κομψὰ τῆς τέχνης; Puto autem Platonem ἤ γάρ; non interposuisse sententiae, sed, at solet, adjecisse.

2) Vid. Wytt. *Bibl. crit.* III. 1. 38. Cf. Heind. ad h. l.

3) Sic librum inscripsisse Polus videtur. Vidd. Intpp. ad h. l. Cornarii conjecturam pro πρὸς ποίησιν legentis προσεποίησε vertendo expressi. Vid. A *ad Phaedr.* p. 368.

4) Thrasymachus. Vid. Heind. ad h. l.

5 *Phaedr.* 266. C. — 267. E. De rhetoribus his et sophistis eorumque artibus

Sic artes illas rhetorum et sophistarum ironice exagitat Socrates: nec tamen idem, ut sunt hodie qui existiment, una cum artibus istis ipsam rejiciendam rhetoricam existimavit. Multa eorum in oratione cum attendenda duxit tum ad dicendum adhibenda; verum his contineri ipsam rhetoricam negavit: quod more deinceps suo, id est, facete et ironice persequitur. « Mittamus, ait Socrates, exigua; haec vero potius in lucem producamus, ut, quam et quando artis vim habeant, videamus. — Et maximam quidem, o Socrates, in hominum coetibus vim potentiamque habent. — Habent sane; sed tu item, sodes, vide num tibi horum textura, quemadmodum mihi, rara dissutaque videatur. — Ostende modo. — Dic, age: si quis amicum tuum Eryximachum vel ejus patrem Acumenum adiens, dicat: *ego hujuscemodi quaedam scie cerpori admovere, quibus calescat pre arbitrio meo vel frigescat, vemat etiam, si placet, vel deorsum abigat atque alia similia multa: haec autem tenens et medicum me esse contendo et alium efficere posse medicum, cui quidem harum rerum scientiam tradidere:* quid illos responsuros existimas? — Quidnam aliud, quam percunctaturos, numquid sciat insuper, quibus ea singula adhibere et quando et quatenus oporteat? — Ergo si dicat, nullo modo se illud scire, sed oportere eum, qui ab ipso didicerit, talia quaedam facere posse, quid respondebunt? 1) — Respondebunt, opinor: *insanit heme: et, libro nescie que edoctus, vel, ut in medicamenta incidit quaedam, ita medicum se factum putat, artis prersus imperitus.* — Quid vero? Si ad Sophoclem aliquis aut Euripidem accedens, scire se dicat de parva re prolixam orationem habere et contra de magna brevissimam, et dicendo quoties velit misericordiam movere et contra perterrefacere et minari, et quae alia hujuscemodi sunt seque his docendis putet tragicam poësin tradere? — Et hi, o Socrates, opinor, riderent, si quis aliud esse tragoediam existimaret, quam horum compositionem et partibus invicem et toti convenientem. — Non tamen rustice, credo, increparent, sed, uti musicus in virum incidens, qui se esse harmonicum propterea existimaret, quod chordas posset acutissimas et gravissimas efficere, non rudius diceret, *insanis, miser;* sed, utpote musicus, leniuscule: *eptime vir, necesse quidem est, ut, qui futurus*

---

vidd. Intpp. ad h. l.; in primis docta *Geelii* de sophistis disquisitio in *novis actis societatis Trajectinae* Vol. I.

1) Corruptum locum, ut partim Heindorfio placuit, sic totum restituendum puto: *ἃ ἐρωτᾷς· τί εἴποιεν ἄν; — Εἴποιεν ἄν, οἶμαι, ὅτι —* Quae plane Platonica esse videtur in hujusmodi commemorando aliorum sermone ratio. *Ποιεῖν* in illis *αὐτὸν οἷόντ᾽ εἶναι ποιεῖν* non sollicitandum existimo. Qui respondet, rudior est, quam qui id, quod quaeritur, accurate perspicit. Itaque *insanire* dicitur.

sit musicus, haec sciat; verum quamvis haec tui instar sciat, nil tamen prohibet, quin prorsus sit musicae imperitus: τὰ γὰρ πρὸ ἁρμονίας ἀναγκαῖα μαθήματα ἐπίστασαι, ἀλλ' οὐ τὰ ἁρμονικά· *nam, quae ante musicam necessario discenda sunt, tenes; musicam non tenes.* — Rectissime. — Ergo et Sophocles illum, qui tragicum se praedicaverat, *quae praecedunt artem tragicam*, ea tenere diceret, non artem tragicam, et Acumenus eum, qui se medicum tulerat, ea, quae *praecedunt artem medicam*, tenere, non ipsam *artem*, diceret. — Ita prorsus. — Quid vero? Mellifluum existimemus Adrastum 1) vel etiam Periclem, si audirent, quae nunc ipsi referebamus, pulcerrima verborum artificia, βραχυλογίας, εἰκονολογίας, et quaecunque diximus in lucem proferenda esse et sic consideranda, illos igitur putemus, his auditis, quemadmodum nos, prae rusticitate asperrime istis succensuros, qui haec, tanquam ipsam dicendi artem, scripserint docuerintque? An vero, quippe nobis sapientiores, nos increpaturos, dicentes: *o Phaedre et Socrates, non succensendum est, sed ignoscendum, si qui, disserendi facultate destituti, definire, quid rhetorica sit, non potuerint: hi propterea, cum ea, quae ante artem discenda sunt, tenerent, rhetoricam se invenisse opinati sunt; docentes autem haecce, perfectum in modum a se tradi dicendi artem existimarunt: caeterum disponere ad persuasionem singula illa, totamque orationem contexere, quasi in his praeceptore opus non sit, id oportere censuerunt discipulos suos propriâ industriâ comparare.*» 2)

Sed Plato ut non rejecit tanquam inutilia, quae ad recte informandam orationem praecipiuntur, ita rhetoricam his artibus longe superiorem, imo vero jungendam cum *philosophia* duxit. Nam, postquam sic fecit Socratem de sophistis et rhetoribus dicentem, Phaedrus apud eum deinceps «talis sane, ó Socrates, ait, ars illa videtur esse, quam hi quidem viri ut rhetoricam docendo scribendoque tractant, mihique videris vera dixisse; verum ejus, qui reapse et dicendi et persuadendi facultatem tenet, artem, quo tandem quis modo et unde sibi comparet? Hic Socrates: τὸ μὲν δύνασθαι, ὦ Φαῖδρε, ὥστε ἀγωνιστὴν τέλεον γενέσθαι, εἰκὸς, ἴσως δὲ καὶ ἀναγκαῖον, ἔχειν ὥσπερ τἆλλα· εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην· ὅτου δ' ἂν ἐλλίπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσει· *ut quis possit, o Phaedre, in hoc dicendi certamine praestare ac perfectum se certatorem probare, verisimile est et fortasse etiam necessarium, sic, ut in caeteris, rem se habere: si a natura na-*

---

1) Antiphontem Rhamnusium significat, ut recte vidit Astius. Vid. de eo Ruhnk. *Opusc.* I. 142.

2) *Phaedr.* 267. E. — 269. C.

ctus fueris dicendi facultatem, excellens eris orator, s c i e n t i a m modo et e x e r c i t a t i o n e m adhibueris; si quid horum tibi defuerit, hac parte mancus eris. » 1) Quibus sane paucissimis verbis, quemadmodum informetur verus omnique numero absolutus orator, aptissime significat. Sed artem deinceps ipsam traditurus « non eâ, ait, procedendum viâ est, quam Gorgias 2) et Thrasymachus sunt secuti; verum illam ingredi ac tenere decet, qua oratorum princeps Pericles ad hunc in arte principatum pervenit. » In quibus persequendis Anaxagorae memorat philosophiam, qua imbutus Pericles atque ad sublimia omnia mente et cogitatione evectus, illam prodidit eloquentiam, quam supra nos ex iisdem his locis adumbravimus. 3) Addit vero, quod ad ipsam dicendi artem, ad rhetoricam attinet: « *ἐντεῦθεν*, ait, *εἵλκυσεν ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην τὸ πρόσφορον αὐτῇ· traxit inde ad dicendi artem quod ipsi videbatur conducere.* » 4) Unde philosophiae patet in eloquentiam non tantum, sed etiam in rhetoricam vis: intelligitur autem simul, quae *dialecticae* sit Platonicae, sive cernendi jungendique artis cum *rhetorica* conjunctio. Rem enim deinceps e medicae artis comparatione explicat. « In utraque, ait, discernere naturam oportet, *corporis* in arte medica, in dicendi autem arte *animi*, siquidem non usu, sed arte velis, illi, medicamentis atque alimentis praebendis sanitatem et robur afferre; huic autem, sermonibus ac praeceptis adhibendis, quamcunque lubet et persuasionem et virtutem tradere. — Ita quidem par est, o Socrates. — Animi autem naturam putas, non exploratâ universi naturâ, cognosci posse sufficienter? — Si Hippocrati habenda fides est, ne corporis quidem natura, nisi hoc disquirendi modo, cognosci potest. 5) — Praeclare profecto ille, o amice, dicit; decet autem, praeter Hippocratem, rationem considerare, num consentiat illi. — Decet. — Quod igitur

1) *Phaedr.* 269. C. D. Perelegans de hac sententia Platonis Wyttenbachii, *τοῦ πλατωνικωτάτου*, disputatio est in *Ep. ad Boschium* (*Opusc.* II. 51. *Bibl. Cr.* III, 3. XIII.)

2) Volgo *Lysias* legitor: sed *Gorgias* exstat io Ficioi versione, quod praestat. Vid. *Heind.* ad. h. l.

3) *Initia* p. 154.

4) *Phaedr.* 270. A.

5) Ducit haec Galenus ex Hippocratis *de homine* opere Vol. V. p. 2. et 16. Sed, ut recte animadvertit Heind. ad h. l., ad hujos quidem praecepti normam compositus est liber, de uoiversi autem natura non multa continet. Ducendam equidem Platoois sententiam magis arbitror ex aureo Hippocratis *de aëre, aquis et locis* libro, qui ipso titulo Platonicam sententiam refert, animadversionibus autem de rerum natura mirifice omni aetate medicis profuit. Caeterum de methodo Hippocratis, Socraticae et Platonicae simillimâ, brevis est, sed docta accurataque disquisitio eruditissimi medici *C. Pruys Van der Hoeven.* Praef. *Chrestom. Hippocr.* Hagae Com. 1824.

naturam attinet rerum, vide, quid et Hippocrates dicat et vera ratio. Nonne sic de natura cujuscunque rei cogitandum quaerendumque est, primum, utrum simplex sit an varium illud, cujus artem et ipsi velimus tenere et aliis tradere: deinde, si simplex est, quae vis ejus sit, quam ad aliquid agendum, quam item ad patiendum a quo habeat; sin plures habeat species, has numerare oportebit, quodque in una videmus, id in singulis considerare, quid faciat ac patiatur. — Videtur, o Socrates. — Hac scilicet destituta cernendi numerandique ratione methodus coeci sit itineri similis; coeco autem aut surdo non is assimilandus est, qui arte aliquid tractat, sed patet, si quis alicui arti sermones adhibebit, naturae hunc diligenter τὴν οὐσίαν demonstraturum esse illius, cui adhibiturus sermones est: est autem illud mens hominis. — Quidni? — In illud igitur studium omne et contentionem convertet: in illo enim persuasionem efficere nititur, nonne? — Omnino. — Constat igitur, Thrasymachum et quicunque datâ operâ artem rhetoricam tradit, primum omni diligentia effecturum, ut videat mens, utrum ipsa unum aliquid sibique simile, an corporis ratione varium sit: id enim esse diximus, naturam demonstrare. — Omnino. — Deinde inquisiturum esse, quid facere alicui, quidque ab aliquo pati possit. — Quidni? — Tertium erit, ut discretis dispositisque omnibus cum sermonum tum ingeniorum generibus horumque affectibus, omnibusque exploratis caussis, singula singulis adaptet, doceatque, qualis animus qualibus sermonibus quas ob caussas necessario hic sibi persuaderi sinat, ille non sinat. — Sic profecto se rès, ut videtur, optime habeat. — Non igitur, o amice, quod alio modo demonstratum dictumve est, arte scriptum dictumve erit; sed qui nunc scribunt τέχνας λόγων, de quibus tu audivisti, callide praeclaram, quam tenent, mentis cognitionem occultant. Priusquam igitur et scripserint hunc in modum et dixerint, fidem iis ne habeamus, arte se scribere profitentibus. — Quem tu modum dicis? — Ipsa quidem verba dicere, non facile est; sed quemadmodum scribere deceat, ut artem referat scriptum, quoad ejus fieri potest, dicere volo. — Dic igitur. — Quum flexanima, ψυχαγωγία quaedam, vis dicendi sit, illum, qui dicendi habiturus facultatem est, novisse oportet, quot species animus habeat: sunt igitur illae tot et tales, unde alii aliter se habent. His autem sic distinctis, sermones item, quot habeant species et quales singulae sint, discernendum. Tales igitur talibus sermonibus hanc ob caussam ad talia excitantur: tales propterea excitari se non patiuntur. Oportet autem si quis, recte his animadversis, deinceps ea in factis in vitaeque usu spectat, acute haec posse persequi: alioqui nihil magnopere praeter illa, quae quondam a praeceptore didicit, cognoscet. Quodsi dicere recte potest, qualis qualibus sermonibus moveatur, praesentemque hominem acute persentit eo ingenio praeditum esse, de quo antea fuerit

disputatum, et sic eum esse talibus sermonibus ad talia compellandum: is ita instructus, cum ad superiora adjunxerit haec, ut loquendi tacendique, et βραχυλογίας, ἐλεεινολογίας, δεινώσεως, singularumque specierum orationis et opportunitatem et importunitatem discernat recteqne cognoscat; is, inquam, tum demum bene perfecteque *artem* tenebit, ante non tenebit: et quicunque horum quolibet sive dicendo sive docendo sive scribendo caruerit, dixerit vero se *arte* dicere, qui nullam ei fidem habet, vincet.» 1)

Haec alia sane rhetorica est, alia illa fuit, quae in scholis tradita recentiore aetate est. Continebat ea fere, quae tropos, figuras, orationis periodos, similia spectarent, quaeque non ignorare oratorem decet, τὰ πρὸ τῆς ῥητορικῆς, ut a Platone vocantur; ipsam rhetoricam, quae proxime est cum philosophia conjuncta, non continebat: ut referret plane veterum istorum rhetorum et sophistarum artes. Platonicam vero doctrinam omni aevo retnlerunt optimornm philosophorum, qni de hac arte egerunt, scripta. Nam ut dialectica Platonis, ita haec ejusdem rhetorica, viam et Aristoteli et vero Ciceroni stravit, ut tanta aliquando cnm diligentia, elegantia, copia de gravissima arte dissererent. Disputationis accuratae, quaeqne definiendo, distribuendo, ordine omnino procederet, exemplum ntrique Plato, nt ante observavimus, in Phaedro dedit, ubi suam Socrates in amorem orationem Lysiae sermoni opponit. Sed ipsius Platonicae rhetoricae, in Aristotelis de hac arte opere, descriptio et quasi expressa imago exstat. Quod sponte vident, qui Platonicam hanc de disserendi diligentia disputationem cnm iis comparant, quae ex Aristotelis libro supra landavimus. Pariter hic cernendo distinguendoque procedit: pariter attendendos oratori audientium animos praecipit, et qua sint illi aetate, quo ingenio, quibus moribus, quibus studiis: ubi locus exstat praeclarus de variis auditorum aetatibus, de pueritia, de adolescentia, de senectute, 2) quem expressit in ***Epistola ad Pisones*** Horatius, ubi is poëtis idem praecipit. 3) Viam praeiverat omnibus Plato, quum caput esse artis dixisset animi humani cognitionem. Quod autem in ipso oratore requirit Plato, ut φύσει sit ῥητορικὸς, indolique adjungat cum ἐπιστήμην i. e. ut ipse interpretatur, *philosophiam*, tum μελέτην, *exercitationem*: hoc ipsum illud est, quod in omnibus de eloquentia scriptis Cicero summo studio parique diligentia exponit, quoque ipse et explorando et exponendo illuc processit, ut perfecti omnibusque numeris absoluti oratoris exemplum adumbraret. Loci omnino Platonici, quem modo legimus, quique

1) *Phaedr.* 270. B. — 272. B.

2) Arist. *Rhet.* II 12. Cff. *Initia* p. 275.

3) *Ep. ad Pis.* 156.

breviloquentiae causså nonnihil habet obscuritatis, si commentarium quaerimus, laudato illo Aristotelis opere haud facile diligentiorem reperiemus. Quodsi pleniorem etiam requirimus, quo et cernendi diligentia et vis persuadendi et vero flexanima orationis virtus Platonicâ ratione, sed fusius, sed disertius, sed ipsâ eloquentiae vi et copia exprimatur, Ciceronis *de Oratore* dialogis nullus ullo aevo exstitit perfectior. Sententias ex illis apponere, quae Platonicam artem referunt, supervacaneum sit, cum totum opus et referat illam et explicet. Sed unam hanc non possum non commemorare, quae medici item et oratoris, ut apud Platonem est, comparationem continet. *Valet igitur multum ad vincendum, probari mores, instituta et facta et vitam eorum, qui agent caussas, et eorum, pro quibus: et item improbari adversariorum: animosque eorum, apud quos agetur, conciliari quam maxime ad benivolentiam cum erga oratorem, tum erga illum, pro quo dicet orator.* 1) — *Huic autem est illa dispar adjuncta ratio orationis, quae alio quodam genere mentes judicum permovet, impellitque, ut aut oderint aut diligant, aut invideant, aut salvum velint, aut metuant, aut sperent, aut cupiant, aut abhorreant, aut laetentur, aut moereant, aut misereantur, aut punire velint, aut ad eos motus adducantur, si qui finitimi sunt et propinqui his ac talibus animi perturbationibus. Atque illud optandum est oratori, ut aliquam permotionem animorum sua sponte ipsi afferant ad caussam judices, ad id, quod utilitas oratoris feret, accommodatam. Facilius est enim currentem, ut ajunt, incitare, quam commovere languentem. Sin id aut non erit, aut erit obscurius, sicut medico diligenti, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus ejus, cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis et natura corporis cognoscenda est: sic equidem, cum aggredior ancipitem caussam et gravem ad animos judicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut odorer, quam sagacissime possim, quid sentiant, quid existiment, quid exspectent, quid velint, quo deduci oratione facillime posse videantur. Si se dant, et, ut ante dixi, sua sponte, quo impellimus, inclinant atque propendent, accipio quod datur, et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. Sin est integer quietusque judex, plus est operis: sunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adjuvante natura. Sed tantam vim habet illa, quae recte a bono poëta dicta est f l e x a n i m a a t q u e o m n i u m r e g i n a r e r u m, oratio, ut non modo inclinantem impellere aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit.* 2)

1) *De Orat.* II. 43.
2) *Eod.* 44.

Sic referunt plane artem Platonis philosophorum et oratorum, qui de eloquentia egerunt, scripta palmaria: quamquam, quod *eloquentiae* apud Platonem proprium est, nt *veri* unice *justique amorem* spiret, uti ex ipso hoc Ciceronis loco patet, minus, quam Plato praeceperat, in praeceptis ipsi suis curarunt.

De topica Aristotelis. Ex Platonis ducenda dialectica videtur.

Nec vero praetermittendus nobis in hisce locus de *inventione* est, quo Aristotelis ac Ciceronis topica referuntur: hic, si quis in utriusque rhetorica, e Platonis dialectica et repetendus et explicandus videtur. Nam quod Platonicae methodi proprium fuerat, ut ad inveniendum valeret maxime, quo quis *εὑρετικώτερος* ejus studio fieret, id negligi postea a dialecticis coepit, quippe qui disciplinam hanc ad probandum in primis et demonstrandum adhiberent. Veruntamen non ipsa ita simul neglecta a Graecis ars inveniendi fuit. E dialectica, quae eam haud diutius capiebat, in cognatam disciplinam, in rhetoricam migravit, ubi ad Ciceronis certe tempora sedem tenuit. Commutationem ita permagnam sane ars pulcerrima subiit. Ut enim a Platone ad res cognoscendas, de quibus ageretur, adhibita fuerat, ita nunc a Peripateticis, primumque ab ipso Aristotele eo destinata est, ut ad probandum demonstrandumque, omninoque ad persuadendum argumenta et argumentorum formas et rationes, quas *τόπους*, *locos*, vocarunt, exquirerent. Veruntamen haec ipsa rhetorum, qualiscunque tandem, *inventio*, quamdiu in arte dicendi obtinuit — nam et hinc tandem exclusa est, ut, quid *Topice* sit, ignorent hodie multi — tamdiu et Platonicae dialecticae, e qua nata est, ubertatem retulit, et persuadendi arti, ut ipsi antea philosophiae, lumen admovit. Quod sane teuendum nobis videtur, ut de eadem hae Platonis dialectica, quam late patuerit, judicemus recte, tum vero etiam, ut, quis inde etiamnunc ad recte philosophandum fructus capiendus sit, perspiciamus. Recentiore aetate philosophi de mentis facultatibus acute copioseque disseruerunt; sed de *facultate inveniendi*, de quaestionibus, *quid sit invenire*, *quemadmodum inveniatur*, *quis usus dialecticae ad inveniendum sit*, de his igitur nondum, pro rei gravitate, quaesivisse videntur. Quod mirum profecto accidat nobis necesse est, si veterum studia rhetorum respicimus. Nam quod hi de Topica affirmabant, hanc esse proprie inveniendi artem, 1) id majore etiam jure affirmari de Platonis dialectica et philosophia videtur. Nam pars est topica, sive effectus potius, dialecticae illius, quae cernendo jun-

1) *Inveniendi ars, quae Topice dicitur.* Cic. *Top.* 6.

gendoque procedit. Ut autem inventrix haec est rerum omnium, ipsarum fuit artium maximarum, ut ante docuimus, 1) ita ejusdem est, τόπους illos ad recte persuadendum invenire: quodque iidem addebant rhetores, primo tractari loco in sua disciplina topicam debere, utpote artium in hac disciplina omnium praecipuam, 2) id dialecticis pariter et philosophis praescribendum esse quis negaverit? Omnem enim et syllogisticam et probandi demonstrandique artem analysis praecedit, uti vidimus, inventorum quippe parens, quae aliquis probare aliisque persuadere velit. 3) Itaque recte fecerunt, qui apud recentiores exstiterunt optimi dicendi magistri, quum juventuti, ad recte tractandam eloquentiam, veterum illam commendarent sive topicam sive inveniendi artem: in quibus cum alii tum Paulus Manutius 4) atque Ernestus, 5) fontes esse inventionis uberrimos demonstrarunt Isocratis, Demosthenis, in primis Ciceronis scripta. Philosophi vero quidni, ad philosophiae provehenda studia, idem instituant? Quidni et aliis indagandos commendent et ipsi indagent investigentque philosophandi, ut ita dicam, locos in scriptis veterum philosophorum obvios? Sed eorundem philosophorum majus etiam est graviusque munus. Latet in dialectica veterum maximeque Platonis, ut cognovimus, ipsa ars inveniendi: hanc autem non tantum inde in lucem protrahere, sed adhibere eandem cum juvenum ingeniis acuendis atque erudiendis, tum artibus omnibus et doctrinis majoribus et colendis et inventis locupletandis — id vero philosophorum est: *philosophorum*, inquam, quorum omnis versatur in veritate invenienda et homine ad sapientiam educendo ars ac disciplina. Et sic quidem e dialectica Platonis et antiquitus profecit rhetorica, et etiamnunc proficere pholosophia potest: eloquentia autem si conjuncta cum philosophia vere ab antiquis *copiose loquens sapientia* 6) dicta est, qua tandem illa ratione aptius accommodatiusque ad generis humani salutem tractari, quam sic ipsi et dialecticâ et arte inveniendi applicandâ, potest?

De arte scribendi. Quid est cogitare? quid dicere? quid scribere?

Hujusmodi igitur dialecticae est apud Platonem cum rhetorica necessitudo: unde ipsius eloquentiae, de qua datâ operâ supra egimus, vis et

1) *Initia* p. 248 sqq. 265, 269.
2) Cic. *de Invent.* I. 7. ubi primum *inventio* memoratur.
3) *Initia* p. 274.
4) Mannt. *ad Cic. Ep. ad Quint. fr.* III. 1. p. 103.
5) Ern. *Ded. ad Stigliz.* p. LXXI et LXXXI. qui hunc ipsum citat Manutii locum.
6) *Nihil aliud est eloquentia, quam copiose loquens sapientia.* Cic. *Part. orat.* c. 12.

ratio plenius etiam percipitur. Sed diximus in superioribus item de *scribendi* ratione optima, quae maxime prodesset hominibus, itemque de ***Platonici dialogi natura***, ut accommodati prorsus ad hoc summum scribendi propositum perficiendum. 1) Haec autem in primis declarari e dialecticae Platonicae principiis debent. Nam ut dialogorum fere, ita scriptorum Platonis, analytica ratio est. Referunt nativam illam, cujus mentionem jam fecimus, dialecticam, qua homo in mediis rebus versatus, quae videt, quae audit, quae sensibus omnino percipit, sibimet ipse cernendo jungendoque explicat. Quam referunt pariter rationem cum dramata tragicorum et comicorum, tum epicorum carmina, imo vero Herodoti scriptorumque libri eorum, qui naturalem exponendi rationem secuti sunt maxime. Analyticam hanc scribendi rationem non de industria explicuit Plato; sed est ea dialecticae ipsius consentanea, et vero, si, quod philosophis modo suasimus, investigare in ejus scriptis philosophandi quasi *locos* velimus, reperiemus facile sententias quasdam, e quibus et naturalem illam, quam diximus, dialecticam et hanc analyticam scribendi rationem, qualis sit, efficiamus. Ut artem scribendi assequeremur Platonicam, exquirendum hic nobis proposuimus, quid *cogitare* sit, quid *dicere*, quid *scribere:* quae nova fortasse quibusdam, certe a vulgari consuetudine abhorrens disquirendi ratio videatur: est autem antiqua, quippe usurpata a Platone, et, si qua, naturae congruens; abhorret vero tota, ut omnes apud Platonem de dialectica et rhetorica disputationes, a scholasticorum hominum et studiis et consuetudine. Sed age, has igitur quaestiones, interpretem secuti Platonem nostrum, explicare conemur.

In *Sophista* philosophus idem esse ait cogitare et loqui, *πλὴν ὁ μὲν ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς αὑτὴν διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος, τοῦτ᾽ αὐτὸ ἡμῖν ἐπωνομάσθη, διάνοια· — τὸ δέ γ᾽ ἀπ᾽ ἐκείνης ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου, κέκληται λόγος· hoc discrimine, quod animi secum ipso intus cum silentio colloquium, cogitatio; hujus autem per os cum sono prolabens effluvium, sermo est.* 2) De scriptione autem paris simplicitatis locum et huic convenientissimum e *Phaedro* attulimus, quum de dialogi Platonici natura agebamus. Id,

---

1) *Initia* p. 175, 180 sqq.

2) *Sophist.* 263. E. Verti ad sensum exprimendum: in Graecis etymologis significatur vocis *διάνοια·* ducitur a *διάλογος ἄνευ*, quo respicit illud, *τοῦτ᾽ αὐτὸ ἐπωνομάσθη, διάνοια. Ῥεῦμα* melius a *ῥέω*, quod et *fluere* et *dicere* nutat, duxisset; unde *flumen orationis* et Gallofranci cum *flux de bouche*, nostrum item *vloeijende stijl.* Expressit poëtarum princeps in illis de Nestore:

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Il. *α´* vs. 249.

quod scriptum est, appellat illic *λόγου ζῶντος καὶ ἐμψύχου εἴδωλον, viventis animatique sermonis simulacrum.* 1) Quae sane sententiae sic naturae respondent, sic nativam referunt hominis in cogitando loquendoque rationem, ut docta non egeant interpretatione. Sed nobis hominem item Plato cogitantem dicentemque simul proponit, ductis maxime ex Homero exemplis, v. c. ubi Ulyssem poëta sic solitarium cogitando dicentem secumque colloquentem inducit:

Τέτλαθι δή, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης. 2)

Similis est, ut novimus, puerorum ratio: cogitantes illi secum ipsi fere loquuntur, ut idem plane apud eos *cogitare* et *dicere* sit. Nec vero puerorum haec tantum aut hominum, qui a poëtis finguntur, consuetudo est: ipse Xenophon, ut scripsit in *Anabasi*, cum, interfectis Graecorum ducibus, ad summas hi angustias redacti essent, pari ratione, reputando, secum ipse colloquebatur: *τί κατάκειμαι; ἡ δὲ νὺξ προβαίνει· ἅμα δὲ τῇ ἡμέρᾳ εἰκὸς τοὺς πολεμίους ἥξειν· εἰ δὲ γενησόμεθα ἐπὶ βασιλεῖ, τί ἐμποδὼν, μὴ οὐχὶ πάντα μὲν τὰ χαλεπώτατα ἐπιδόντας, πάντα δὲ τὰ δεινότατα παθόντας, ὑβριζομένους ἀποθανεῖν; ὅπως δὲ ἀμυνούμεθα, οὐδεὶς παρασκευάζεται, οὐδ' ἐπιμελεῖται, ἀλλὰ κατακείμεθα, ὥσπερ ἐξὸν ἡσυχίαν ἔχειν. Ἐγὼ οὖν τὸν ἐκ ποίας πόλεως στρατὸν προσδοκῶ ταῦτα πράξειν; ποίαν δ' ἡλικίαν ἐμαυτῷ ἐλθεῖν ἀναμένω; οὐ γὰρ ἔγωγ' ἔτι πρεσβύτερος ἔσομαι, ἐὰν τήμερον προδῶ ἐμαυτὸν τοῖς πολεμίοις· quid jaceo hic? Nox progreditur et quam primum illuxerit, consentaneum est, hostes adventuros. Quodsi Regis in potestatem venerimus, quid prohibet, quominus gravissima quaeque et adspiciamus et patiamur, contumeliisque affecti necemur? Quopacto nosmet tutari debeamus, ad id se nemo comparat neque res ulli curae est; sed hic ita jacemus, quasi nobis otiosis esse liceat. Ego vero quanam ex urbe ducem haec facturum exspecto? quam aetatem mihimetipsi venturam opperior? Nec enim maturiorem ad aetatem perveniam, si hostibus hodie me dedidero.* 3) Simile quid de se narrat Servius Sulpicius, ad Ciceronem scribens de morte Tulliae: *ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina: ante Megara: dextra Piraeeus: sinistra Corinthus: quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidûm cadavera projecta jacent? Visne tu te, Servi, cohibere et meminisse*

1) *Phaedr.* 276. A. Cff. *Initia* p. 176, 177.

2) Hom. *Odyss.* υ'. vs. 18. Cf. Plato *de Rep.* III. 390. D.

3) Xenoph. *Anab.* III. 1, 10.

hominem te esse natum? 1) Non aliter Pythagorei quasi colloquendo secum cogitābant singulis vesperis:

Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοὶ δέον οὐκ ἐτελέσθη; 2)

Hic igitur est Platonis in cogitando ὁ ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς αὑτὴν διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος, cujus effluvium ex ore cum sono sermo est. Et sic quidem nos sponte nativam trium artium maximarum, cogitandi, dicendi ac scribendi rationem assequimur: quae si philosophi ac rhetores attendissent paullo diligentius, simplicius sane rectiusque de harum artium principiis studiisque egissent.

Quodsi haec maxime naturalis dialectica est, qua tandem ratione sic *intus*, ut ille vocat, *nobiscum colloquentes* id assequimur, quod verum est? Nam huc spectat omnis sive cogitandi sive nobiscum colloquendi ars. Fit illud, ut ex tota hac nostra de Platonis dialectica disputatione patet, *cernendo jungendoque. Cernendo* videmus: unde *cernere* apud Latinos *videndi* habet significationem; *jungendis* autem, quae discrevimus ante, cogitamus, invenimus, judicamus: quod item demonstrant linguae. Nam *cogitare* quid aliud est, quam coagitare, coagere, cogere i. e. *jungere? combinare* dicunt recentiores. *Συνιέναι* autem Graecorum nonne Latinorum *intelligere*, cum sit proprie *committere*, exprimit? 3) Cujus rei si quis item exemplum expetit, in promtu est. Et Xenophon et Servius Sulpicius, in hoc intus ipsorum colloquio, cernendo maximeque jungendo reputabant secum inveniebantque, hic, quid existimandum de rebus humanis, ille, quid agendum pro Graecis esset. Uterque, ut apud Homerum de Achille dicitur:

— ἐν δέ οἱ ἦτορ
στήθεσσι λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν· 4)

aut apud Virgilium de Aenea:

— *animum nunc huc celerem nunc dividit illuc*, 5)

sic hi, in partes animum varias rapiunt, perque omnia versant: Servius autem, animadversis singulatim cum *oppidûm* illis, quae vocat, *cadaveribus*, tum rebus humanis, ubi junxit utraque: *visne tu te, Servi,*

---

1) Cic. *Ep. ad Fam.* IV. 5.

2) Pyth. χρ. ἔπη. vs. 42.

3) Native Herodotus I, 24 de Arione insidiis nantarum obnoxio: τὸν δὲ, *συνέντα τοῦτο*, λίσσεσθαι — Exprimunt linguae plane dialecticam Platonis: nec minus nostrae, quam antiquae. Διαίρεσις v. c. nostro *oordeelen*, *urtheilen*, συναγωγαὶ cum aliis vocibus tum his *vatten*, *begrypen*, *besluiten*, Francico in primis *combiner* significantur et declarantur. Fontes omnino verae philosophiae linguae sunt.

4) Hom. *Il.* α'. 188.

5) Virg. *Aen.* IV. 285. VIII. 20.

cohibere? — ait: et Xenophon disjunctim consideratâ ab altera parte Persarum perfidiâ, ab altera sua suorumque conditione, conjungit utramque, jungendoque, imo *cogitando*, quid sibi agendum sit, reperit. Sed, quemadmodum distinguendo conjungendoque ad rerum cognitionem perveniat homo, dilucidius etiam e Xenophontea eodem in opere exercitus Persici adventantis descriptione patet. Enarrat rem Xenophon ita ut ipsi apparuit, utque ipse et Graeci cernendo jungendoque effecerunt, et esse, qui adventaret, exercitum Persicum, et qualis esset. *Καὶ ἤδη τε ἦν μέσον ἡμέρας, καὶ οὔπω καταφανεῖς ἦσαν οἱ πολέμιοι. Ἡνίκα δὲ δείλη ἐγένετο, ἐφάνη κονιορτὸς, ὥσπερ νεφέλη λευκὴ, χρόνῳ δὲ οὐ συχνῷ ὕστερον, ὥσπερ μελανία τις ἐν τῷ πεδίῳ ἐπιπολύ· ὅτε δὲ ἐγγύτερον ἐγίγνοντο, τάχα δὴ καὶ χαλκός τις ἤστραπτε, καὶ αἱ λόγχαι καὶ αἱ τάξεις καταφανεῖς ἐγίγνοντο· καὶ ἦσαν ἱππεῖς μὲν κ. τ. λ. Jam meridies erat, necdum hostes apparebant. Verum pomeridiano tempore, ecce! pulvis quidam visus est sublatus tanquam nebula albicans, neque ita multo post nigredo apparuit quaedam in campo: quum propius accessissent, extemplo et aes fulsit, et hastae et ordines conspiciebantur: et equites quidam* caet. 1)

Quae descriptio una in paucis optime, quomodo per analyticam dialecticam cernendo jungendoque ad verum percipiendum perveniamus, ostendit. Nam cernebant Graeci illi a rebus omnibus quae apparebant, primum *pulverem sublatum*, qui nebulae albicantis instar erat, deinde *nigredinem* quandam in campo, tum vero derepente *fulgorem* armorum: tandem ordines, equites, caetera: quibus omnibus et singulis discretis et universis junctis, id, quod verum erat, adventare exercitum Persicum, assequebantur. Quodsi rem ex Homero et tragicis, qui mos est Platonis, illustrare volumus, Priamum apud illum senesque Trojanos, 2) et apud Euripidem in Phoenissis Antigonam 3) consideremus. Sedent in moenibus Trojae senes illi; conscendit Antigone cum paedagogo Thebarum speculam: unde campum circumjacentem prospiciunt. Ubivis illic ipsis continuo viri, arma, currus, equi, tentoria, sed commixta, confusa, incerta apparent: *ἀστράπτειν* totus campus armorum splendore Antigonae videtur. Quodsi quaerimus, quemadmodum, quae incerta iis specie apparuerunt initio, cognosci ab iisdem deinde accurate coeperint; scilicet, ut apud ipsos legere poëtas est, discernendo eo jungendoque pervenerunt. Quo magis a caeteris istis rebus hominibusque universis nunc hunc heroëm discernebant diligenter, nunc alium, conferebantque, quae videbant, et invicem et cum iis, quae fando vel usu

1) Xen. *Anab.* I. 8, 5.

2) Hom. *Iliad.* δ' vs. 160. seqq.

3) Eurip. *Phoen.* vs. 105. seqq.

de iis cognoverant, eo magis et cognoscendi amorem explebant, et id quod spectabant, quale esset, assequebantur. Nec dubitandum, quin, si vel illis senibus Helena, vel Antigonae paedadogus defuisset, iidem tamen τῷ ἐντὸς scilicet illo *μετὰ σιγῆς διαλόγῳ* res sibi istas, quas videbant, si minus explicuissent plane, explicare certe hac ratione studuissent. Dos nempe admirabilis illa ingenii humani est, qua per *διαιρέσεις* et *συναγωγὰς* invenit: inventas hac Plato dicit artes quasque maximas; sed non alia est, qua omnes omnis generis conditionisque homines ad rerum qualiumcunque cognitionem perveniunt: perveniunt autem fere illuc, sic, prouti diximus, *intus*, quod pueri solent, *cogitantes secum* et *colloquentes*.

Huic igitur naturali hominis dialecticae *analytica* respondet, quam in dialogis Plato usurpavit, *scribendi ars:* nec temere statuamus, quo magis haec ars colloquium illud hominis, quo secum res discernit jungitque, seu potius effluvium colloquii cum sono, quem *sermonem* vocamus, imitando exprimit, eo illam magis et naturae esse consentaneam et hominibus salutarem. Opportune autem nobis videmur Helenae apud Homerum et paedagogi in Phoenissis Euripideis mentionem fecisse. Nam quod illa Priamum, hic Antigonam juvat, ut, quae sponte explicare sibimet ipsis debuerant, ipsorum ductu facilius perspiciant, id plane scriptoris munus est. Et vero sic ipsa Ilias, ipsae Phoenissae, sic nulla non cum epicorum tum tragicorum et comicorum carmina huic naturali respondent hominis dialecticae. In medias nos res rapiunt eorum auctores, juvantque nos in singulis cernendis et conjungendis universis. Quod recte vidit Horatius artis epicae proprium esse:

Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo:
Semper ad eventum festinat, et in m e d i a s r e s,
Non secus ac notas, auditorem rapit. 1)

Et hinc quidem mira illa magnam partem repetenda voluptas animique oblectatio est, qua et haec carmina a teneris et deinceps dialogos Platonis legimus. Nam ut unam Iliadem memoremus, in legenda illa primum, quae naturae ratio est, confusa nobis apparent omnia. Versamur in castris Graecorum: videmus audimusque dicentes principes exercitûs duces, Agamemnonem, Achillem, Nestorem: illos vehementer se invicem objurgantes: hunc, placidum senem, conciliare eos studentem; sed, quinam sint illi singuli, unde profecti, quid moliantur, quinam Trojani sint, quorum mentio fit identidem, quis Priamus, quis Hector, ignoramus. Verum poëta, ut huc nos quasi ad spectandum et veluti in speculam duxit, ita narrando deinceps eorumque sermonibus proferendis efficit, ut et quinam sint illi omnes et vero quales, cernendo cognosca-

1) *Epist. ad Pis.* vs. 147 — 150.

mus: distinguamus continuo ab Agamemnone Achillem, ab utroque Nestorem, ab his deinde Diomedem, Ulyssem, aliosque Graecorum duces: tum a Graecis omnibus Paridem, Hectorem, Priamum. Fit ita, ut ipsi singulos, recte a se invicem discretos, dijudicemus: alios admiremur, vituperemus alios: illis faveamus in rebus agundis, his irascamur: duos a caeteris omnibus distinguamus, principes carminis heroas, Achillem et Hectorem. Fit, ut, lecto carmine, sic et ipsi judicemus de his omnibus et cum aliis, qui legerunt, de iisdem disputemus, acsi non carmen legissemus, sed ipsi certaminibus illis cunctis et sermonibus interfuissemus. Quamobrem non inepte Plato *dramata* vocat Iliadem et Odysseam. 1) Neque enim narrat tantum de heroibus Homerus, sed ipsos nobis, tragicorum iustar, agentes loquentesque proponit, et vero sic narrat, ut quae primum nobis confusa apparuerant, haec nos distinguendo attendendoque, prouti in spectaculis spectandis procedere solemus, nobismet ipsi explicemus.

Analyticam hanc esse diximus exponendi scribendique rationem. Nam propria eadem est dialecticae Platonicae. Analysis apud eum, ut in *Sophista* et *Politico* vidimus, in medias nos continuo res rapit. Quo plenius explicaret Eleates, quid sophistica, quid politica esset, artes nobis primum et doctrinas universas proposuit, ut cum ipso eas deinceps alias ab aliis cerneremus, cernendoque continenter progredientes, sophisticam tandem itemque politicam cum assequeremur, tum qualis utraque esset cognosceremus. Non diversa ab hac Platonis methodo ratio est, quam in narrandis exponendisque heroum rebus gestis Homerus est secutus: utraque discernendis iis, quae primum fuerant confusa, procedit, et similis plane utriusque effectus est. Nam uti Plato hac distinguendi diligentia efficere tandem studet, ut notis quibusdam certis a caeteris omnibus sophistam et politicum discernamus, ita legenda Iliade nosmet ipsi sponte nostra cum aliorum Graecorum Trojanorumque, tum Achillis et Hectoris, praesertim Achillis *characterismum* concipimus. Sed quod *de industria* egit Plato, quum in Sophista et Politico ipsam exemplis explicaret analyticam artem, id plane, ut Homerus et tragici, *sponte* effecit scriptis suis.

Congrua sunt plane Platonicae dialecticae scripta Platonis.

Sunt scilicet *dialogi* scripta illa: dialogus autem, qui et vere hoc nomine vocatur, et diligenter ita a vulgari colloquio distinguitur, quid aliud est quam drama? Itaque sive Symposium, sive Phaedrum, sive quemcunque tandem Platonis dialogum legimus, in medias nos res indu-

1) *De Rep.* III. 394 B.

cit ille continuo: nos autem, quid agatur, quinam sint qui et colloquantur et agant, quo pertineant maxime sermones illi, identidem inter legendum discernendo exquirimus et nobismet ipsi explicamus. Sed non formam spectamus tantum: quamquam haec ad rerum item disquisitionem vim magnam habet: de hac ipsa *rerum disquisitione* quaerimus potissimum, quae prorsus apud Platonem analytica est. Exempla nobis in ejus scriptis loca cum alia sunt, ut de *justo* in Politia, de *animi immortalitate* in Phaedone, tum vero perillustris ille de *amore*, quem locum philosophus, ut juvenis in Phaedro, ita provectiore deinde aetate in Symposio tractavit ac perpurgavit. Sed in Phaedro de hoc argumento quaesivit, prouti suo loco animadvertimus, quemadmodum analytice simul et synthetice exponeretur; 1) in Symposio vero tota expositio analyticâ procedit ratione, ipsum adeo Symposium et formâ et quaerendi modo hanc rationem refert atque exprimit: documento nobis idem hic dialogus est, quantopere ad rem non solum jucunde, sed interius etiam exquirendam, eadem illa ratio valeat. Nam, postquam convivis placuit — rem supra enarravimus, hîc autem, opinor, meminisse juvabit: — convivis igitur postquam omnibus placuit, ut suâ quisque vice amorem celebraret, prima oratio, quae Phaedri est, in medium nos argumentum traducit extemplo. Encomium enim amoris est, quo tum dotes Dei laudantur, tum ipsius amoris celebratur in rebus humanis vis et auctoritas. Hîc Pausanias, quae praeclare, sed non satis distincte dicta erant, cernendo aptius pleniusque enunciat. Quae Phaedrus dixit, inquit, sine exceptione laudanda essent, si unus esset amor: verum enim, cum duo sint, ut duae sunt Veneres, alter Uranius, vulgaris alter, distinguamus hos oportet diligenter. Qua distinguendi veri amoris, quem respexerat Phaedrus, diligentiâ Pausanias vim et efficacitatem totam demum in lucem profert. Tum vero Eryximachus, cernendi hoc studium et probans vehementer et ipse usurpans, utrumque amorem in tota rerum natura omnibusque in artibus accurate distinguit. In his singulis nemo est quin analyticam rationem sponte animadvertat: aptam autem hanc esse potissimum ad res interius indagandas explicandasque, proxima probant. Aristophanis enim sermo, ut meminimus, in primis quae Socrates tandem profert, ipsam spectant amoris naturam. Homines distinguit comicus, qui olim fuerunt, ab his, qui nunc sunt: unde originem amoris simulque ejus vim et naturam explicat. In Socratis vero oratione, interioris indaginis, quae cernendo procedit, perfecta exstat species. Opposita nempe haec est cum caeterorum encomiis, tum laudibus maxime, quibus Agatho post illos amorem celebraverat. Non discrevisse hos ait Socrates ab effectu amoris amorem ipsum. Nec

1) *Initia* p. 261, 277

pulcer est nec bonus amor: nam pulcrum bonumque appetit; quae autem appetit homo, ea non habet. Haec vero et caetera omnia praeclara, quae ipsi amori tribuere poëtae solent, effectui ejus tribuenda sunt. Efficit scilicet amor, ut nactus illa, talis ipse homo fiat. Quibus ita discretis, quid inde duxerit Socrates cum ad vim amoris in res hominum et civitatum, tum vero etiam ad hoc explorandum interius naturae humanae desiderium, supra attendimus. Documento autem et totus hic dialogus est et hi sunt maxime cum ipsius Socratis, tum Diotimae, quos enarrat, sermones, quae sit ad res interius perquirendas analyticae rationis vis et efficacitas. 1)

De vi analyticae scriptionis ad excitandum in legentium animis explendumque veri amorem.

Quid illud sit, quod in Phaedro Socrates scriptori praescribit, *in ipsis hominum mentibus scribere*, tum explicuimus, quum, quid maxime Plato scribendo spectaverit, indagabamus. 2) Nihil aliud est, nisi studium cognoscendi, veri amorem scribendo in animis hominum excitare. Effici autem illud hac analytica ratione potissimum, facile est ad perspiciendum. Nam aperitur ita legentibus quasi spectaculum, quod ipsi spectent diligenterque cognoscere studeant; scriptor vero ipsos in discernendis omnibus judicandisque juvat. Quo accidit, ut in legendis poëtarum dramatibus et dialogis Platonis mentis acies hebescat nunquam, sed acuatur mens continenter, quippe ipsa per se inter legendum sciscitans, inquirens, judicans. Intelligimus autem ita, quantopere philosophiae, in primis Socraticae et Platonicae, quae tota inquirendo procedit, apta sit haec ratio. Imo vero, nisi usurpasset eandem parens historiae, Herodotus, hoc ille nomine a posteris vix fuisset celebratus. Neque enim historia narratio est rerum gestarum, qualis apud annalium scriptores est, qualisque apud eos fuit, qui ante Herodotum historiam scripserunt: 3) ἱστορία est, i. e. *disquisitio, indagatio, pervestigatio* rerum; 4) cui respondet notioni totum opus Herodoteum, respondent pariter immortalia tam veterum quam recentiorum historicorum scripta. Exquirendo narrant, narrando alunt explentque exquirendi cognoscendique studium principes historici: hoc sermonibus et orationibus, illud

1) *Symp.* 209, 210. Cff. *Initia* p. 101.

2) *Initia* p. 176.

3) Vid. Creuzer, *de Graec. historicis* et *hist. Kunst der Griechen*, utrumque opus criticae ad historiam adhibendae exemplum.

4) Wytt. *Sel. Hist.* Praef. p. X. et Annot. p. 339.

excursibus perficiunt. *Ὁμηρικώτατος* vulgo Herodotus dicitur, non verborum caussâ quorundam aut dictionum, quae pariter apud principem hunc reperiantur poëtarum, nec vero propter episodiorum unice et colloquiorum, quae apud utrumque exstent, frequentiam; sed propterea praecipue, quod tam historiae, quam poeseos parens analyticam secutus rationem, in medias nos res rapit continuo, tum monstrat nobis et explicat singula identidem. Uterque ab exordio inde excitat in nobis inquirendi studium: quaerit continuo caussas rerum, ut initio Homerus:

Τίς τ' ἄρ σφῶε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι; 1)

Pari quaestione Herodotus Graecos nobis barbarosque considerandos proponit, ut explicet nobis deinceps, quod maxime facturus est, bella Persica. 2) Paedagogi uterque instar apud Euripidem, ut vidimus, eum nos in locum educit, unde spectemus ipsi omnia: vel, ut apud ipsum Homerum Helena, Priamo senibusque Trojanis in moenibus assidens, spectantibus illis indicat singula et enarrat: sic plane Herodotus orbem nobis terrarum aperit, ut e Graecia nos in omnes partes, in omnes populos dispicientes, Graecorum bella cum barbaris, praesertim Persica contemplemur.

Naturae haec ratio consentanea est, *analytica* est illa, quam e dialecticae Platonicae principiis declarare instituimus. Nam ut huc nos eduxit ab initio Herodotus, ad gentium nos deinceps singulatim res, Lydorum, Persarum, Aegyptiorum, maxime Graecorum, quorum caussâ haec exquirimus; ad horum omnium igitur res singulatim universeque cognoscendas attentos facit; nos autem lubenter haec una cum duce nostro suavissimo inquirimus et pervestigamus. Abhorret haec epica, quae vocatur, historiae forma a caeterorum historicorum ratione: quamquam optimi quique permulta inde, prouti monuimus, ut episodia, sermones, orationes, disquisitiones susceperunt; sed forma tamen totusque habitus ab hodierno usu abhorret: quo accidit, ut mirentur fere homines, quum primum ad legendum Herodotum accesserunt. Nesciunt, quo spectent quae de Croeso Lydorumque regibus, de Cyro et Cambyse copiose enarrantur. Idem evenit iis, qui legere Platonem incipiunt: pariter hi et magis etiam mirantur. Nam, uti hoc fere exigunt a philosopho, ut placita probando demonstrandoque sibi exponat et persuadeat, quaerunt, quid platanus illa in Phaedro, quid Ilissus, quid Agathonis convivium, quid sermones illi Phaedri cum Socrate de Lysia, de amore, de eloquentia: quid res omnino tenues, certe non proxime ad philosophiam pertinentes, cum philosophiae gravitate commune habeant: sed iidem, postquam sive Herodotum sive Platonem totum, nec vero semel, sed iterum

1) *Iliad.* α' vs. 8.
2) Herod. *Prooëm.*

et tertium et saepius legerunt, et sic contraxerunt cum auctore quasi familiaritatem quandam: tum vero mirari disinunt. Ipsum naturae ordinem in iis deprehendunt, in quibus omnino ordinem ante desideraverant: nam quid naturae respondet illâ ratione magis, quae in *media* nos negotia rapit, singulaque deinceps singulatim *cernendo* explicat? Tenuia autem illa et levia apud Platonem, ubi dramaticae rationis vim et usum perceperunt, maximi esse momenti videut ad animum legentis capiendum, tenendum et vero illuc evehendum, quo maxime tendit ipsa philosophia, i. e. ad veritatem in rebus gravissimis assequendam: quae vis inductionis est cum analytica ratione conjunctae. Sentiunt, qui, sic legendo, tam Herodotum, quam Platonem totum animo complexi sunt, sentiunt, alia se omnia, certe plura percepisse animo, quam ab initio autumaverant. Nam Herodotum secuti ducem, non historiam unice Graecorum, belli Persici tempore, ut tradi ab historicis solet, sed universi orbis iisdem temporibus historiam, imo vero nullius non gentis regionem, mores, indolem, studia investigarunt: pariterque legendis meditandisque Platonis dialogis, quaestiones non solum in philosophia gravissimas, sed minus etiam graves, ut videntur quidem, prouti loci sunt de *amore*, de *artibus*, de *disciplinis*, de *eloquentia* et *scribendi arte*, has igitur quaestiones, quae, ut vidimus, proxime sunt cum philosophia conjunctae, explicare simul et philosophiae studio abhibere didicerunt.

Quibus animadversis omnibus, dispar intelligitur analyticae illius scriptionis et syntheticae in animis legentium effectus. Haec assentiri nos cogit scriptoris sententiae: nam omnis in eo est, ut hanc definiendo, probando, demonstrando nobis persuadeat: illa vero liberum nobis judicium relinquit: tantum adeo abest, ut verum nos existimare id cogat, quod placet auctori, et regat judicium nostrum, ut veri amorem in animis nostris excitet, quippe discernendo explicandoque spectanda nobis praebens, quae ipsi judicemus. Quo praeclarius illi scriptores de genere humano meruerunt, qui qualicunque in scriptorum genere analyticam rationem usurparunt. Nam fit illud non dialogis tantum scribendis: idem effecit, ut attendentibus patet, Aristoteles rerum naturalium et politicarum expositione: idem, ut nunc vidimus, Herodotus historiâ enarrandâ: idem, quicunque scribendo explicare argumentum, quam suas probare opiniones maluerunt. Et vero philosophi, quo minus se abduci statuendi studio siverunt, quo magis Socraticam illam et Platonicam inquirendi, in primis cernendi jungendique methodum in scriptis suis secuti sunt, eo et avidius lecti sunt, et certius efficaciusque lectores ad inquirendam assequendamque veritatem adjuverunt. Nec sane temere affirmare mibi videor, hinc potissimum vim explicandam esse, quam omni aevo in studia philosophorum scripta Platonis habuerunt. Nam et hac

in re similis est Herodoti et Platonis ratio. Ut ille ab initio operis universam nobis aperit historiam gentium, ita Plato in singulis, quos scripsit, dialogis, sive de pulcro et amore agit, sive de veritatis assequendae rationibus, sive de justitia et virtutibus, in mediam lectores philosophiam inducit, ut ipsi per se, illo duce, quid verum sit, exquirant. Quae ratio ad capiendum lectorem et tenendum et vero, si philosophus est naturâ, philosophiae studio incendendum, una omnium maxime apta est et efficax. Inde autem patet, quam inepte faciant, qui synthetica ratione doctrinam Platonis, tanquam systema quoddam, tradere nituntur. Rationi et proposito, imo naturae repugnant philosophiae Platonicae. Quo magis nos, hac praesertim in re Platonem imitati, a principio inde aperuimus eam totam lectoribus, ut, qualis esset quoque spectaret, assequerentur continuo, tum vero legendis ejus scriptis, ipso auctore, singula in ea singulatim ipsi animadverterent et persequerentur. Longior haec via est, quam synthetica ratio, quae compendiaria potest dici; sed hac tenenda illud et hactenus spectavimus et spectabimus deinde, ut studiosi Platonis non e libro nostro, tanquam e compendio, sapere sibi viderentur, sed, praeparati his *Initiis* et quasi *initiati* quodammodo, ex ipsis deinceps *reapse* saperent scriptis Platonis.

De fine dialecticae Platonicae.

Effectus hi maxime sunt, in ipsa dicendi scribendique arte, dialecticae Platonicae. Unde intelligitur, quanta hujus sit in primis disciplinae in omni philosophia auctoritas. Caveamus vero, ne, quod multi commiserunt philosophi, cum ipsa philosophia dialecticam confundamus. Est illa philosophiae quasi instrumentum quoddam, ut de caeteris disciplinis pronunciavit Plato, esse eas dicens *dialecticae administras et adjutrices ad animum sursum erigendum:* 1) sic ipsa dialectica philosophiae administra et adjutrix, omninoque veluti instrumentum est ad ipsius munus perficiendum. Munus autem philosophiae hoc est praesertim, ut ad veritatem hominem, tum vero etiam ad sapientiam educat. Absurdum sane et ridiculum negotium illorum est, qui de methodis inquirendi ac disserendi anxie quaerunt, quo vero spectent ipsae, quid effici earum usu debeat, non cogitant. Similes illis sunt, qui vel armis vel aliis quibuscunque instrumentis elaborandis poliendisque desudant, usum eorum non curant. Plato vero, de disciplinis agens, id quaerebat continuo — quod exquirere potissimum philosophum decet — quem in finem excolendae essent. *Τί ἂν οὖν εἴη, ὦ Γλαύκων, μάθημα ψυχῆς*

1) *De Rep.* VII. 533. D. Cff. *Initia* p. 234.

ὁλκὸν ἀπὸ τοῦ γιγνομένου ἐπὶ τὸ ὄν; 1) Quod ut pateret, non de artibus quibusdam vel methodis solis quaesivit: quid methodi efficiant, nisi insit utentibus, quem aveant explere, veri amor? Sed ipsum hunc veri amorem, naturâ homini insitum, et vero mentis oculum, quo uno conspici veritas potest, anteaquam ad disciplinas et dialecticam procederet, exploravit. Sic autem accidit, ut non subtiliter tantum de mathematicis artibus ac divina illa cernendi jungendique methodo dissereret, sed omnem complecteretur philosophando disserendoque et *cogitandi* et *dicendi* et *scribendi* artem. Quin etiam sic effecit idem ille optimus non cogitandi tantum, sed et disserendi auctor et magister, ut constare jam nobis tandem de dialecticae harumque artium fine prorsus videatur. Alere scilicet veri amorem, sensumque illum veri et purgare et acuere debent, ut sic nos per eas philosophia cum ad res inquirendas cognoscendasque omnes, tam divinas, quam humanas adducat, tum dux nobis eadem sit et magistra sapientiae.

Et his quidem ita de singulis, quas laudavit Plato, disciplinis in medium collatis, vident lectores, illuc nos rediisse, unde hanc totam duximus disputationem. Nam ut orsi a *veri amore* sumus, ita nunc, quemadmodum hic disciplinis excitandus alendusque sit, cernimus: videmus item, omnem Platonis et disserendi et scribendi rationem ad eundem hunc veri amorem in animis explendum pertinere. Unde simplicitas patet philosophiae Platonicae. Verum, ut hactenus de singulis egimus disciplinis, ita restat, ut de universarum conjunctione sive *συνόψει* praeclarum adjiciamus Platonis placitum.

De disciplinarum συνόψει.

Plato, traditâ cum caeterarum disciplinarum, tum dialecticae ratione optimâ, juventutem ait non tantum his singulis erudiendam esse, sed eo adducendam item, ut universas uno quasi oculorum obtutu complectatur. Sic enim praecipit apud eum Socrates: «quae sparsim custodes a tenera inde aetate didicerunt, *τὰ χύδην μαθήματα*, haec *τούτοις συνακτέον εἰς σύνοψιν οἰκειότητος ἀλλήλων τῶν μαθημάτων καὶ τῆς τοῦ ὄντος φύσεως· illis haec in unum colligenda sunt, ut disciplinarum conspiciant cognationem mutuam, unaque veri, ejus quod est, naturam perspiciant.*» Quod praeceptum ut probavit Glauco, solam hanc esse ajens firmam discendi rationem, hoc addit ille: «*καὶ μεγίστη γε*, ait, *πεῖρα διαλεκτικῆς φύσεως καὶ μή· ὁ μὲν γὰρ συνοπτικὸς, διαλεκτικὸς, ὁ δὲ μή, οὔ· et profecto maxima haec dialecticae*

---

1) *De Rep.* VII. 521. D.

naturae probatio est: qui enim conspicit eas universas, dialecticus est, qui non conspicit, non est.» 1)

De encyclopaedia diximus, quum in disquisitionis hujus nostrae ingressu de communi agebamus disciplinarum omnium vinculo et cognatione. 2) Haec verba Socratis illuc nunc mentem nostram revocant; sed minus hîc disciplinas, magis *philosophum*, qui his recte fuerit institutus, attendimus. Est autem praeclarum, ut dicere institui, hoc Platonis de disciplinarum συνόψει placitum. Philosophum esse negat, qui uni se arti vel doctrinae, caeteris contemtis, totum tradit. Servo hunc comparat, qui uno, cui serviat, domino contentus est. 3) Illum vero, qui et universarum amore ardet et ad singulas deinceps facile accedit et satiari tractandis illis non potest, τοῦτον, ait, ἐν δίκῃ φήσομεν φιλόσοφον· *hunc demum jure philosophum dicemus.* 4) Sed quamvis ita de universarum studio doctrinarum pronunciaret Plato, haud tamen eas vel simul tractandas, vel ab initio institutionis continuo discentibus objiciendas conspiciendasque esse judicavit: ut faciunt fere, qui ab encyclopaedia ordiendum esse censent. Nam haec est puerili aetate ingenii humani conditio, ut rerum addiscendarum universas quasdam, sed non satis distinctas notiones habeat: quas qui vel a principio vel inter docendum identidem explicat atque illustrat, haud frustra sane excitare atque alere cognoscendi ardorem nitatur. Encyclopaediae autem, quae proprie vocatur, haud ante capax ingenium fit, quam propius ad maturitatem accesserit, quaeque erant addiscenda, probe didicerit. Et vero, quae quis ignorat, vel leviter tenet, vel nondum satis discernere a similibus coepit, horum quo tandem pacto commune vinculum, quale sit, vel suspicari poterit? Postquam vero artium omnium laudatarum et doctrinarum studiis excultum ingenium fuerit, tum demum licebit juveni et conspicere eas mentis acie universas, et fructus inde capere, qui ad civitatis commodum provehendum uberrimi sint. Quae Platonis sententia, Ciceroni vulgo, ut vidimus, tributa, per Ciceronem et celebritatem summam nacta est et incredibilem omni aevo, ad recte cum philosophandum tum artes doctrinasque tractandas, per totum orbem eruditorum vim habuit. 5)

---

1) *De Rep.* VII. 537. C.

2) *Initia* p. 210 sqq.

3) *Symp.* 210. D. Cff. *Initia* p. 107.

4) *De Rep.* V. 475. C.

5) Sententiam Cicero ipso Platoni tribuit *de Orat.* III. 6. *Est illa Platonis vera vox, omnem doctrinam ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri.* (In *Characterismis princ. philos.* p. 214. haec proposita loci lectio: *doctrinarum ingenuarumque et humanarum artium ambitum.* Moneor autem

Sed in ipsius placito Platonis, quod Cicero sive ne vidit, sive verbis non expressit, vim dialecticae ne praetermittamus. Non solum hoc praecipit apud enm Socrates, ut, qui civitatis futuri perfecti magistratus sunt, disciplinarum conspiciant cognationem mutuam, sed vero hoc item, ut perspiciant simul τοῦ ὄντος naturam. Hoc autem ut fiat, ut non fluctuent custodes opinionibus, sed ad rerum scientiam, imo vero ad τοῦ ὄντος φύσιν perveniant, arithmeticae quidem caeterisque disciplinis Plato, sed omnium maxime dialecticae efficiendum tribuit. Tenere hoc illos decebat, qui antiquo maximeque recentiore aevo encyclopaediam conficere studuerunt. Non erat satis, artes doctrinasque singulas in suos locos distribuisse; sed suum cuique et arti et doctrinae assignare propositum, sed universas sic tradere, ut communem assequerentur finem, veritatis, αὐτοῦ τοῦ ὄντος, in rebus omnibus scientiam, haec demum ratio verissimae encyclopaediae est, quam plane refert, ut monuimus, philosophia Platonica. Per dialecticam maxime ejusque ad veritatem inveniendam tuendamque efficacitatem, παιδεία fit, *institutio hominis*, ἡ ἐγκυκλοπαιδεία.

Nec vero etiam hoc in Platonico placito silentio praetermittendum. Φύσιν memorat Socrates διαλεκτικήν. Ubi τὰ χύδην μαθήματα, ait, juvenibus nostris in unum collegerimus, experimentum nobis maxime erit, num φύσιν διαλεκτικὴν habeant. Quod sponte nos cum iis conjungimus, quae ab initio de φύσει φιλοσόφῳ disputata sunt. Scilicet non indolem significat, *acumine* solum et *sagacitate* insignem, quae dotes in dialecticorum disputationibus elucent fere; sed, ut *philosopham* indolem vocat, quae, veri amore cognoscendique studio acerrimo incensa, nihil non, quod cognitu dignum est, assidue investigat, ita hunc habet φύσει διαλεκτικὸν, qui, ut singula cernendo jungendoque rite, sed sparsim, cognovit, ita universa mente complectitur, veritatemque in iis omnibus perspicit. Ὁ μὲν γὰρ συνοπτικὸς, διαλεκτικός· ὁ δὲ μὴ, οὔ. Haec percipienda Plato arbitratus est e disciplinarum maximeque dialecticae studio: quique sic iis excultus ingenio animoque totus est, hunc e spectabili mundo, tanquam ex antro quodam, in mundum νοητὸν, in ipsius veritatis regnum escendere contendit. Quod philosophi effatum non semel jam commemoravimus; hic autem quaerimus, quem intellexe-

---

hic addere, quae p. 77 me fugerat, corrigendi loci *de Orat.* I. 7, 26 rationem. Ubi quod legitur: *divinitus — deplorata*, risum movet. *Divinitus* illustratur proximis: *ut nihil — vidissent.* Sed *deplorando* futura non praevidemus. Quare legendum videtur: *Quo quidem in sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deinde prolata et commemorata narrabat.* Facilis fuit librariis aberratio. — Ed.)

rit ille *mundum spectabilem*, τόπον ὁρατὸν, quem vocat, quem item *νοητὸν* voluerit sive *τόπον* sive *mundum*, tum maxime, quae *hominis* apud eum sit *e spectabili mundo in νοητὸν escensio:* quae ad finem pertinent proprie, philosophiae veri propositum. Illa igitur qualia sint, nunc, age, cum ad finem illum pervenerimus, explicemus.

DE MUNDO *ΝΟΗΤΩι*

SIVE

DE VERI, *αὐτοῦ τοῦ ὄντος*, SCIENTIA.

> *ἡγουμένης δὴ ἀληθείας οὐκ ἄν ποτε, οἶμαι, φαῖμεν αὐτῇ χορὸν κακῶν ἀκολουθῆσαι. — Πῶς γάρ; —*

Philosophia ut sibi constet, fructusque proferat ipsius ubertate et amplitudine dignos, finem habeat cum certum necesse est, tum facultatibus naturae humanae studiisque consentaneum. Quod licet nemo unquam mortalium in dubium vocaverit, fuerunt tamen omni aevo philosophi, qui vel, quid ipsi philosophando spectarent, non satis viderentur reputasse, vel illa spectarent, quae mentis humanae facultates superarent. Philosophari scilicet, ipsum per se, dulce est philosophis negotium, tantamque multorum animis oblectationem voluptatemque affert, ut nihil requirant praeterea. Unde *theoreticae*, quae vocatur, in primis *mysticae* philosophiae commendatio, quae, praeter hanc mentis animique oblectationem, vix ullum habet propositum. De rebus vero gravissimis earumque caussis non inquirere constanter, sed statuere, sed ex tripode pronunciare, id unice audaciae superbiaeque hominum convenit. Quo accidit, ut de rebus divinis philosophi, apud recentiores quidem, crebrius fere ac subtilius copiosiusque, quam de humanis disseruerint ac sententiam dixerint. Sed, ut facultatibus naturae nostrae, ita nostris etiam naturalibus studiis congruere philosophiae finis debet. Veritati studemus naturâ, sed non minus virtuti, fierique phi-

losophando non solum acutiores ad discernendum, verum etiam meliores, perfectiores, feliciores studemus. Id vero ut item omnes confessi sunt philosophi agendum nobis philosophando esse, ita, qui huc nos adducerent, pauci fere fuerunt. Plurimorum doctrinae ab acumine ingenii sensuumque sublimitate laudem et commendationem habuerunt; ad vitae vero usum, ad naturam nostram perficiendam, ad provehendam generis humani felicitatem veram, parum fuerunt fructuosae.

Quo spectat maxime apud Platonem philosophia?

Plato quid philosophando spectaverit maxime, augurari magnam partem e superioribus disquisitionibus licet. Philosophiae apud eum principium summum, ut vidimus, *veri amor* est: cui principio ut finem respondere par est, ita hunc esse dicamus *verum assequi*, sive ipsam *veri scientiam*. Perspicere autem illud magis etiam ex ejus de disciplinis disputatione licet. Trahunt hae mentem, ait, ab iis, quae videntur esse quaeque sensibus patent, ad ea quae *sunt* solâque mente et cogitatione percipiuntur. 1) Unde intelligitur, proprium philosophiae Platonicae esse, ut in mundum nos illum, qui soli menti patet, sive νοητὸν, educat. Sed praeterea, ut philosophia *pulcri* veluti introitus est apud Platonem ad *veri*, omnino ad universam philosophiam, ita hinc maxime de fine et proposito apud Platonem philosophiae existimare licet. In hoc autem introitu in mundum non solum νοητὸν educti, sed adducti simul ad ipsam pulcri ideam sumus: et docuit nos Diotime, huc convertendam mentis nostrae aciem esse, siquidem et recte philosophari et honeste vivere et consulere cum hominum societati, tum nobismetipsis velimus. Num Plato id philosophando spectaverit assecutusque fuerit, quod in aliorum doctrinis philosophorum desideramus, nondum ausim dijudicare. Veruntamen colligimus ex his omnibus facile, non temere, non sine consilio certo quodam philosophatum eum esse, itemque explere eundem philosophando studia nostra primaria voluisse. Nam sive is pulcrum, sive bonum, sive justum sanctumve respiciebat, *verum* in his singulis attendebat maxime. Sed hoc item animadvertere in ejus philosophia licuit, quotiescunque de veritate, de iis quae sunt, περὶ τῶν ὄντων ageret, toties eum maxime haec ipsa, *pulcrum*, *bonum*, *justum*, *sanctumque* memorasse: unde efficimus, veri scientiam apud eum ad studia nostra *moralia* exploranda referri in primis. Quid? quod homini praecepit, ut ad divinam contenderet perfectionem, et, quomodo eo contendendum esset, explorandis studiis nostris naturalibus, significavit.

1) *Initia* p. 222 sqq.

Diximus in ipso hujus operis exordio, philosophiam apud Platonem ad sapientiam tendere. Artes scilicet nos in ea ad pulcrum, disciplinae ad verum, virtutes ad justum perducunt; nec tamen continetur his philosophia. Tanquam instrumentis haec utitur illis, quibus divinum perficiat propositum suum: est autem illud, ut hominibus ad veritatem, imo ad sapientiam divinaeque naturae imitationem dux sit et magistra.

Sed de sublimibus his argumentis tum nobis agendum erit diligentius, ubi ad *justum*, in primis ubi ad *sanctum* pervenerimus. Nunc, quum ad illud accesserimus, quod in *veri* philosophia maximum est et postremum, ut ejus finem summumque propositum assequi nitamur, descendendum nobis continuo in Platonis speluncam erit. Hac Plato imagine in mundum nos ὁρατὸν *spectabilem*, sensibus patentem, sed ignorantiae gravissimorumque errorum sedem, deducet: quo dilucidius nobis dehinc pateat, quae hominis sit inde in mundum *νοητὸν*, qui mente duntaxat percipitur, escensio, quibusque veluti gradibus ad lucem veritatis et in ipsum veritatis regnum perveniatur. Quae fuse nos hactenus ille de opinionis et scientiae discrimine, de praestantia scientiae, de disciplinarum, maxime dialecticae ad eam obtinendam vi et opportunitate docuit, hac specûs imagine mirum in modum illustrabit: aditumque nobis simul praebebit ad omnem, quam tradidit, de ideis, praesertim de boni idea, doctrinam percipiendam interius. Quibus animadversis perspectisque omnibus, quid maxime Plato philosophando spectaverit, facile, opinor, assequemur. Age igitur, ut haec nobis pateant aliquando, speluncam illam Platonis intremus.

Philosophiae in primis est, ut ex ὁρατῷ nos mundo in νοητὸν educat. Utriusque mundi imago.

In sermonibus de indole philosopha, postquam Socrates accurata disceptatione scientiam ab opinione discernere studuit 1) « nunc, inquit, naturam nostram, *παιδείας τε πέρι καὶ ἀπαιδευσίας*, *eruditionis* et *ruditatis* habitâ ratione, hujuscemodi negotio compara. Finge animo homines quasi in subterraneo quodam, specûs instar, domicilio viventes, quod ad lucem late patentem habeat per universum specum ingressum. In hoc eos finge a pueritia inde crura et collum vinctos, ut et maneant illic et solum in ea, quae ipsis obversa sunt, prospiciant; caput autem prae vinculis circumvertere nequeant. Sit item iis post tergum ignis accensi lumen, qui procul superne ardet, ac media inter captivos et ignem via superior quaedam, ad quam murum vide constructum non ita

1) *De Rep.* V. 476 ad finem libri.

altum, prouti praestigiatoribus tabulata sunt, spectatoribus objecta, supra quae miracula ostenduut. — Vide autem juxta hune murum homines, in illa via, cum vasa omnis generis, quae supra murum eminent, ferentes, tum statuas hominum et alia tam lapidea, quam lignea animalia, vario modo affabre facta: utque par est, alios horum praetereuntium illaque ferentium hominum loquentes, tacentes alios. Hîc Glauco, mirificam narras, inquit, imaginem et captivos mirificos. Socrates antem, nostrûm vero similes, reponit. 1) Nam primum, aliudne tibi videntur tales homines vel sui ipsorum vel invicem praeter umbras conspexisse, quae ab igni in adversam speluncae partem cadunt? — Nihil aliud sane, qui nunquam in vita movere caput potuerint. — Quid vero eorum, quàe praetervehuntur? Nonne horum item umbras duntaxat? — Quidni? — Si igitur colloqui secum invicem possent, nonne haec, quae vident, appellaturos eos esse iisdem nominibus putas, quibus ea dicuntur quae praetereunt? — Necesse est. — Quodsi echo ex adversa carceris parte resonaret, ubi praetereuntium aliquis loqueretur, putasne illos aliud quid loqui opinaturos, quam transeuntem umbram? — Non profecto per Jovem! — Illi igitur nihil omnino aliud esse verum existimabunt, nisi rerum arte factarum umbras. — Nihil omnino» 2) Sic orsus narrare Socrates pulcerrimam fabulam, pergit hinc ad hominum eorum conditionem describendam qualis futura sit, postquam vinculis erunt soluti atque e carcere escenderint. Nos vero, priusquam haec persequamur, de ipsa hae speluncae imagine nonnihil animadvertamus.

Tribuitur illa Pythagoreis fere: nec sane sine probabilitatis specie. Similis est in Phaedone comparatio illa, qua animus in hoc corpore dicitur, tanquam in carcere, habitare: quae sententia plane scholam illam refert. 3) Propius etiam ad hane speluneae imaginem accedit, quod, teste Porphyrio, 4) Empedocles enunciavit:

ἠλύϑομεν τόδ' ὑπ' ἄντρον ὑπόστεγον. 5)

Videntur vero philosophi illi non id expressisse, quod Plato voluit, sed carcere illo et antro mundum hunc intellexisse, seu vitam hano nostram terrestrem, cui coelestem vitam opponebaut. 6) Plato autem his imaginibus non futuram tantum hominis post mortem, sed pracsentem in

---

1) Dignissimum est, quod huic sententiae comparetur, dictum Nathanis: *tu vir ille.* Samuël II. 12, 7.

2) *De Rep.* VII. 514. A.

3) *Phaed.* 82. E. ubi vid. Wytt. Cff. quae monuimus p. 46.

4) Porphyr. *de antro Nymph.* c. 8.

5) Emped. vs. 9. Ed. Sturz. Vid. p. 451. De Platonis antro cff. Ast ad h. l. p. 556. Karsten *Empedocles.* p. 88, 89, 171.

6) Sic versum Emped. interpretatur Porphyr. Vid. Sturz. ad h. l.

primis conditionem declarare studuit: quod nobis deinde, ubi totam legerimus et exposuerimus comparationem, patebit manifesto. Fecit autem illud tantâ non solum elegantiâ et festivitate, sed *diligentiâ* etiam, ut nobis in fabula singula singulatim videantur animadvertenda.

Descriptionem hominum haec comparatio continet, qui, ut vulgus assolet, toti in mundo adspectabili vivunt. Dixit de illis, quum de cognoscendi studio agebat: *φιλήκοοι* sunt et *φιλοθεάμονες*· persequuntur quae oculis, quae auribus, quae caeteris sensibus percipiunt; non vero sunt *φιλόσοφοι*. 1) Similes nunc eosdem captivorum dicit, qui in antro habitant. Nam serviunt illi sensibus suis, ut quae hi nunciarint ipsis, sola et vera et expetenda existiment: quibus praejudicatis opinionibus, tanquam vinculis, constringuntur. Mundus autem, in quo vivunt, plane speluncae cujusdam obscuritatem refert, cujus si aditum finxeris apertum et latum, ut eorum, quae supra sunt, umbrae in ea appareant, plane cernes, qualis eorum et quanta inscitia sit. Simillime enim pro rebus umbras adspiciunt, ac de iisdem umbris, quasi res essent, et statuunt et secum invicem contendunt. Sed Plato ut his vulgares homines, quique longe essent a philosophia alieni, spectavit, ita exagitavit maxime illos, qui hos ludere falsis imaginibus studerent. Non negligenda scilicet nobis sunt in specûs descriptione *tabulata*, *supra quae miracula ostendunt praestigiatores: τὰ παραφράγματα, ὑπὲρ ὧν τὰ θαύματα δεικνύασιν.* 2) Intelligit pictores, poëtas, musicos, in primis oratores, quos ubivis in scriptis *γόητας*, *praestigiatores* ac *φαντασμάτων auctores* appellat, tum vero maxime his nominibus notat, prouti vidimus supra, 3) ubi de veritatis studio agit. Pictores tertio gradu a veritate abesse ait: quippe quae ab artificibus fabricata sunt et proxime ab iis, quae *sunt*, absunt, haec illi simulacra imitantur pingendo. Similiter poëtae: *τιθῶμεν*, ait, *ἀπὸ Ὁμήρου ἀρξάμενοι, πάντας τοὺς ποιητικοὺς μιμητὰς εἰδώλων ἀρετῆς εἶναι καὶ τῶν ἄλλων περὶ ὧν ποιοῦσι, τῆς δὲ ἀληθείας οὐχ ἅπτεσθαι.* 4) Scilicet, quod in Platonis imagine vix solet attendi, sed nobis, ad eam plene percipiendam, necessario animadvertendum est, non *rerum* umbras adspiciunt captivi, sed *τὰς τῶν σκευαστῶν σκιάς*, *eorum* umbras, *quae arte sunt facta.* Eminent supra murum cum vasa omnis generis, tum statuae hominum, aliaque tam lapidea, quam lignea animalia, arte facta,,quorum formae

---

1) *De Rep.* V. 457. D. Cff. *Initia* p. 215.

2) Sunt, opinor, haec *παραφράγματα* illis, quae nos vulgari nomine *ronsebos* vocamus, non dissimilia. Pone latet *ὁ θαυματοποιός*, supra apparent imagunculae. Vulgus autem his quantopere delectetur, novimus.

3) *Initia* p. 81.

4) *De Rep.* X. 600. E.

in adversa speluncae parte apparent. Quo hominum significatur, qui toti in mundo spectabili vivunt, abjecta conditio, ut nec res ipsas nec simulacra quidem rerum, sed horum solum simulacrorum umbras adspiciant. Debent has illis *φαντασμάτων* auctoribus, *τοῖς εἰδώλων μιμηταῖς*, quales poëtae sunt praecipue et oratores. Unde intelligitur, quanta sit vulgi *ἀπαιδευσία*, siquidem ab horum ore pendeat, nec quidquam, nisi quod hi ostendunt, verum certumque habeat. Id significasse Plato initio fabulae videtur.

Quodsi jam *παιδείαν* quaerimus, qua erroribus hisce homines et extrema stultitia liberentur — huc enim spectat fabula maxime — id efficere difficile omnino negotium est. Nam res illi ipsas se contemplari et putant et asseverant, quippe esse, praeter umbras, alia quaedam ne suspicantes quidem: et vero delectantur iidem his umbris mirifice. Principium quidem justae *παιδείας* hoc est, ut, rejectis poëtis atque oratoribus, ipsa adspectabilis mundi simulacra, quorum umbras viderunt adhuc, respiciant: tum ipsas res extra hunc mundum contemplabuntur. Sed hoc illud est, quod deinceps explicaturus Socrates erat: nunc igitur pergat narrare. « Animadverte jam, inquit, vinculorum solutionem ignorantiaeque curationem, qualis foret, si ad hunc modum procederet: ubi quis solutus vinculis de repente cogeretur et collum convertere et progredi et ad ignis lumen oculos attollere: haec autem omnia agens, doleret, nec adspicere prae splendore illa posset, quorum antea umbras viderat. Quid vero eum responsurum autumas, si diceret ipsi aliquis, tum eum nugas vidisse, nunc vero propius ad verum adque ea, quae minus *videntur* esse magisque *sunt*, conversum, rectius spectare? idemque ei unumquemque praetereuntium monstrans, interrogando eum respondere cogeret, quid esset? nonne haesurum putas, quaeque tunc vidit, veriora, quam quae nunc monstrarentur, dicturum? — Et multo quidem veriora. — Quodsi eum adspicere ipsum ignem cogeret, nonne tum et doleret oculis maxime et fugeret et averteret se inde ad illa quae posset conspicere et haec reapse existimaret illis, quae monstrata essent, clariora? — Sic omnino. » 1)

Summae igitur difficultatis justae *παιδείας* principium est. Sed quamvis ita *φιλήκοοι* isti et *φιλοθεάμονες*, quique nihil habent verum, nisi quod sensibus perceperunt, *umbras* coeperunt *simulacrorum* contemnere, quibus luserant ipsos poëtae et oratores: manent tamen in mundo adspectabili, ubi, praeter *simulacra*, nihil ipsis conspicere licet. Nam sensibus percipiunt negotia pulcra, bona, justa, quae quidem ipsius pulcri, ipsius boni justique simulacra, sed obscura fere, subinde etiam fallacia simulacra sunt; id autem, quod ipsum per se et *pulcrum* et

1) *De Rep.* VII. 515. C. D. E.

bonum et *justum* est, nondum perceperunt. Prius vero quam haee coeperint animo intueri, quo illi modo de rebus divinis et humanis vere judicabunt? Quomodo, dum ipsum eos *bonum* latebit, res suas publicasque rite administrare aliisque prodesse poterunt? Sedent aeternumque sedebunt quasi in speluncae cujusdam tenebris, ubi quamdiu morantur, tamdiu erunt omnis scientiae veritatisque expertes.

Quaerendum igitur nunc porro est nobis, quid deinceps efficere justa *παιδεία*, quid philosophia debeat, ut ad veritatem ipsam ab his simulacris convertamur. Escendere ex antro nos jubet Socrates, ut opinari desinamus, scire incipiamus, missisque et umbris specierum fallacium et ipsis speciebus, in mundum *νοητὸν*, in ipsum veritatis regnum escendamus. Hoc autem philosophiae munus et grave esse in primis et difficile ait. Nam si aegre illi ab umbris conversi ad simulacra sunt, quo tandem modo ab his se converti ad res ipsas, ad *τὰ ὄντα* patientur? Sed ipsum denuo audiamus Socratem.

« Si vero quis eundem, inquit, per ardua atque aspera sursum traberet violenter, nec remitteret priusquam ad solis lumen extraxisset, nonne vehementi eum, dum sic traheretur, dolore affectum iri aegerrimeque laturum existimas, et, postquam ad lumen evectus fuerit, fulgore habentem scilicet oculos repletos, nihil eorum, quae nunc dicantur vera, conspecturum? — Nequaquam ille sane, continuo quidem. — Cousuetudine, opinor, usuque esset opus, ut superiora illa adspiceret. Et primum quidem umbras conspiceret facillime, deinde hominum caeterorumque in aquis simulacra: tum vero ipsa. Hinc autem res, quae in coelo sunt, ipsumque coelum, noctu facilius, astrorum lunaeque lumen adspiciens, contemplabitur, quam interdiu, solem ejusque lucem intuens. — Quidni? — Postremo autem solem non in aquis aut in aliena quadam regione ejus imagines, sed ipsum per se in ipsius regione cernere, et, qualis sit, contemplari poterit. — Necesse est. — Tum vero demum reputando cognoscet, hunc esse, qui et tempestates anni nobis annosque praebeat et omnia in adspectabili mundo regat, eorumque tantum non omnium, quae ante illi vidissent, auctor sit. — Manifestum est, ad haec eum ab illis progressurum. — Quid vero? Si tunc et primae istius habitationis et sapientiae, quae illic ferebatur, et hominum, quibuscum in vinculis vixerat, recordetur, nonne semet ipsum putas beatum praedicaturum, illos vero miseraturum? — Et maxime quidem. — Praeterea, si quos honores illic invicem et laudes et praemia tribuissent ei, qui transeuntia quaeque acutissime fuisset conspicatus, maximeque tenuerat memoriâ, quae prius, quae posterius, quae simul solerent praeterire et hinc potuisset optime augurari, quid jamjam esset adventurum, censesne eum haec desideraturum esse magnopere, beatosque illos, qui apud illos honorarentur et dominarentur, habiturum?

an vero malle, quod apud Homerum de se ait Achilles, *ἐπάρουρον ἐόντα* 1)

— θητευέμεν ἄλλῳ
ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ.

in superioribus terris pauperis hominis mancipium esse, et quidvis pati aliud, quam istis illudi opinionibus et isto modo vivere? — Sic equidem opinor quidvis eum perpessurum esse potius, quam ita victurum. — Tum hoc considera item: si rursus ille eodem descendens, in eandem se denuo sedem demitteret, nonne caligine haberet oculos repletos, quippe modo huc a sole delatus? — Perquam sane. — Umbras autem istas si rursus deberet conjiciendo dijudicare et certare his studiis cum illis, qui perpetuo manserant vinculis constricti, nonne, quamdiu caecutiret priusquam constitissent oculi — tempus autem ad contrahendam cum praesente conditione consuetudinem non ita breve esset — nonne, inquam, tamdiu risum moveret illis identidem, dicerentque de eo illi, escendisse hunc sursum, corruptis vero oculis rediisse: propterea escendere ne vel conari quidem decere, et si quis ipsos liberare vinculis atque educere tentaret sursum, hunc, manibus modo capere possent, occidendum esse? — Occidendum hercle, etiam atque etiam contenderent.» 2)

Quid caussae in primis sit, ut raro in hominum genere germani apparuerint philosophi, iidemque, si apparerent subinde, pessime fere ab hominibus habiti sint, his explicare Plato voluit. Sed nobis hoc loco maxime, qualis apud eum mundus *ὁρατὸς*, qualis item *νοητὸς* sit, exquirendum est. Ex illis id efficitur continuo, quae proxime deinceps Socrates de adhibenda utrique mundo imagine ait. «Hanc igitur imaginem, inquit, suavissime Glauco, totam referre ad ea, quae ante diximus, oportet: *τὴν μὲν δι' ὄψεως φαινομένην ἕδραν τῇ τοῦ δεσμωτηρίου οἰκήσει ἀφομοιοῦντα, τὸ δὲ τοῦ πυρὸς ἐν αὐτῇ φῶς τῇ τοῦ ἡλίου δυνάμει· mundum, qui per oculos apparet nobis, habitationi hominum in carcere, quodque hic adest ignis lumen, solis efficacitati comparemus: τὴν δὲ ἄνω ἀνάβασιν καὶ θέαν τῶν ἄνω, τὴν εἰς τὸν νοητὸν τόπον τῆς ψυχῆς ἄνοδον τιθεὶς, οὐχ ἁμαρτήσει τῆς γ' ἐμῆς ἐλπίδος, ἐπειδὴ ταύτης ἐπιθυμεῖς ἀκούειν· θεὸς δέ που οἶδεν εἰ ἀληθὴς οὖσα τυγχάνει· τὰ δ' οὖν ἐμοὶ φαινόμενα οὕτω φαίνεται· ἐν τῷ γνωστῷ τελευταία ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα καὶ μόγις ὁρᾶσθαι, ὀφθεῖσα δὲ, συλλογιστέα εἶναι ὡς ἄρα πᾶσι πάντων αὕτη ὀρθῶν τε καὶ καλῶν αἰτία, ἔν τε ὁρατῷ φῶς καὶ τὸν τούτου κύριον τεκοῦσα, ἔν τε νοητῷ αὐτὴ*

1) *Odyss.* λ' vs. 489. Vid. Ast. ad *de Rep.* III. p. 440.

2) *De Rep.* VII. 515. E. — 517. A.

κυρία ἀλήθειαν καὶ νοῦν παρασχομένη· καὶ ὅτι δεῖ ταύτην ἰδεῖν τὸν μέλλοντα ἐμφρόνως πράξειν ἢ ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ· quodsi adscensum ad supera eorumque quae supra sunt contemplationem, animi esse dixeris in mundum intelligibilem escensionem, haud aberrabis a spe mea et sententia, si hanc, qualis sit, cognoscere cupis. Deus, num vera sit, novit: quas vero mihi videntur, hujusmodi sunt: in mundo, qui menti ad cognoscendum patet, postremum conspici et aegre boni ideam; ut autem conspecta est, hanc unam habendam esse omnibus omnium rectorum bonorumque caussam, utpote quae in spectabili mundo lucem ejusque auctorem pepererit, in mundo autem intelligibili suâ ipsa auctoritate veritatem intelligentiamque praebeat: eandem autem hancce adspicere illos decere, quicunque sapienter acturi cum privatim, tum publice erunt.» 1)

Est igitur hujuscemodi apud Platonem mundus adspectabilis. Cavernae isti similis est: quodque in illa ignis, in hoc sol efficit. Ut oculis percipiamus quae adsunt, solis luce opus est, quo illustrentur: sunt autem plane, ut illic simulacra, ita hic *φαινόμενα*, quae esse videntur vera, sed inani nos saepenumero specie fallunt. Quocirca *opinamur* in hoc specu nostro, non *scimus*. *Νοητοῦ* vero mundi alia ratio est, nec declarari ille aptius, quam e spectabilium rerum specie, potest. Quod in his sol est, illic et est et efficit *ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα*, *boni idea*, quippe quae sic veritatem *νοητοῖς* omnibus, ut sol rebus adspectabilibus lucem affundit. Itaque, ut opinari desinamus aliquando atque ad rerum scientiam ipsamque veritatem accedamus, huc nobis e specu illo escendendum necessario est. Verum quaenam est illa, quam memoravimus, *boni idea*? Quid universe *ideis* spectavit Plato? Quibus homo *gradibus* ad illas escendit? Qualis haec ipsa hominis est in *νοητὸν* mundum ad ideas spectandas *escensio*? — Sunt haec, credo, in philosophia Platonis in paucis cum gravissima tum ad interpretandum difficillima. Sed eadem nisi mente perceperimus penitus, nos sane nec assequi philosophiae Platonicae finem, nec vero fructum capere ad vitae usum e sublimium harum rerum contemplatione poterimus. Percipere autem eo facilius haec licebit, quo plenius, quae de disciplinarum vi et proposito supra monuimus, in memoriam revocaverimus. Ordiamur autem a postremo illorum.

De hominis in mundum νοητὸν escensione.

Philosophiae verissimaeque *παιδείας* princeps est, uti vidimus, 2) officium, ut postquam falsis praejudicatisque opinionibus, quas legendis

1) *De Rep.* VII. 517. A — C
2) *Initia* p. 317, 320.

poëtis audiendisque oratoribus a tenera inde aetate suscepimus, liberati fuerimus conversique mente ab his simulacrorum umbris ad ipsa simulacra, quae in mundo adspectabili sensibus percipiuntur: tum nos illa, quod praecipuum est, ex hac errorum sede in mundum νοητὸν evehat. Efficit autem id illarum potissimum, quas exposuimus, disciplinarum ope. Nam propria haec est cum *arithmeticae*, tum *geometriae*, tum vero maxime *dialecticae* vis, ut, quae apud nos deorsum conversa sunt, haec sursum tollat. Non enim in his de simulacris rerum, sed de rebus ipsis agitur. Non quaerimus in arithmetica et geometria tradenda de numerorum figurarumque formis, quae delineatae pictaeve in tabula exstant oculisque percipiuntur, sed de ipsis numeris eorumque proportionibus, de circulo, de quadrato, de triangulo ipso, quae mente tenemus. Quo fit, quod iu superioribus animadvertimus, ut qui his disciplinis operam navarunt, ad caeteras item acutiores fiant. « Nescisne, inquit Socrates, eos, qui naturâ sunt arithmetici, in omnibus, ut ita dicam, disciplinis celeres apparere? quique tardi sunt, si huic se studio naviter dederint, quamvis alium inde fructum nullum capiant, tamen hoc assequi, ut promtiores acutioresque ingenio, quam antea, fiant? 1) De geometria autem, scimus, inquit, ad disciplinas omnes facilius perdiscendas interesse quam maxime, attigeritne geometriam aliquis, necne. » 2) Sunt scilicet illae ipsius veritatis disciplinae: dubitationi non sunt obnoxia, quae per eas inveniuntur, verique amorem in animis, si quid, illae et excitant maxime et alunt, quippe ipsum aperientes purgantesque, quo veritas cernitur, mentis oculum. Sed ut ἑλκτικαὶ sunt πρὸς ἀλήθειαν hae disciplinae, ut trahunt ad veritatem animum, ita dialectica nos altius etiam in mundum νοητὸν educit. Nam, ut illae ὑποθέσεις habent, unde proficiscantur, ita haec ad ἀρχὴν ἀνυπόθετον ducit. Non sunt hic nobis iteranda, quae ad exponenda illa supra attulimus; 3) animadvertamus vero, instrui iisdem illis studiis juvenili aetate ac praeparari homines, ut, prouti nunc numeros et figuras, ita pariter deinde pulcrum, bonum, justum, sanctum non in rebus, quae inde nomen habent, imperfectaeque sunt et mutabiles, sed ipsa per se mente assequantur, ad eorumque perfectionem atque immutabilem conditionem vitam ipsi suam tam privatam quam publicam componant. Haec est, quam Plato voluit atque speluncae imagine illustravit, hominis per disciplinas in mundum intelligibilem escensio. Quodsi jam, in hac institutionis optimae disquisitione, de gradibus quaerimus, quorum aliis alia hominum genera subsistere solent, quibusque illos escen-

1) *De Rep.* VII. 526. A. B. Cff. *Initia* p. 227.
2) *Initia* p. 228.
3) *Eod.* p. 234, 289.

dere ad summum decet, qui ad veri scientiam tendunt, accurate hos Plato definivit, nos autem facile e dictis efficiemus.

De gradibus, quibus in mundum νοητὸν, ad ideas spectandas escenditur.

Quatuor sunt illi apud Platonem, quorum summus *νόησις* est: unde *ἐπιστήμη*, *scientia veri*, *αὐτοῦ τοῦ ὄντος scientia* exsistit. Quod ut apte Glauconi demonstret Socrates, quam diligentissime a mundo spectabili intelligibilem distinguit, illi quidquid *δοξαστὸν* est, huic τὸ *γνωστὸν* tribuens. Sed ipsum illorum sermonem, ut res plene intelligatur, apponamus. «Veluti, inquit, acceptâ lineâ bipartito in aequales partes dissectâ, utramque partem, alteram spectabilis generis, intelligibilis alteram, 1) simili ratione rursus disseca: facile ita in his utrinque claritatem et obscuritatem comparabis. In spectabili genere altera pars erunt simulacra: dico autem simulacra, primum umbras, tum quae in aquis apparent, quaeque in rebus quibusque densis, laevibus, lucidis adsunt et quidquid hujuscemodi est: tenesne? — Teneo vero. — Alteram partem pone illa negotia continere, quorum haec, quae diximus, simulacra sunt, animalia scilicet, quae apud nos sunt omnesque arborum et plantarum, rerum item arte factarum species. — Pono. — Visne etiam utramque hanc partem secundum id, quod verum est et quod non est verum, discerni, ut, quemadmodum ea quae *opinamur* ad ea quae *cognovimus* se habent, sic simulacra ad illa se habeant quae referunt? — Velim equidem. — Vide jam intelligibilis generis sectionem, quemadmodum dissecandum sit. — Qua tibi ratione videtur? — Hacce, ut in altera parte animus illis, quae modo discrevimus, tanquam simulacris utens, inquirere cogatur ab *ὑποθέσεσιν* inde, non ad principium, sed ad finem progrediens: in altera vero parte ad principium *ἀνυπόθετον* tendat, ex *ὑποθέσει* escendens, ac sine simulacris, quae huc referuntur, ipsis ideis per hasce ipsas ratione procedens.» 2) Quod postquam e geometriae ac dialecticae disciplina declaravit Socrates, Glauco «intelligo, inquit, aegre quidem, nec satis: videris enim mihi grande opus moliri; velle autem te suspicor, clarius esse illud, quod in iis, quae sunt et mente percipiuntur, dialecticae scientiâ spectatur, quam quod per artes aliquis assequi studeat, quibus principia *ὑποθέσεις* sunt: *διανοίᾳ* illi in spectando uti debent, non *αἰσθήσεσιν· διὰ δὲ τὸ μὴ ἐπ' ἀρχὴν ἀνελθόντας σκοπεῖν, ἀλλ' ἐξ ὑποθέσεων, νοῦν οὐκ ἴσχειν περὶ*

1) (In Graecis confusa sunt quaedam. Rectius verba *τό τε τοῦ ὁρωμένου — νοουμένου* ponantur ante *πάλιν τέμνε — λόγον*. — Ed.)

2) Cff. ad haec explicanda quae supra monuimus p. 230, 234, 289.

αὐτὰ δοκοῦσι σοι, καίτοι νοητῶν ὄντων μετὰ ἀρχῆς· διάνοιαν δὲ καλεῖν μοι δοκεῖς τὴν τῶν γεωμετρικῶν τε καὶ τὴν τῶν τοιούτων ἕξιν, ἀλλ' οὖν 1) *ὡς μεταξύ τι δόξης τε καὶ νοῦ τὴν διάνοιαν οὖσαν· quum vero iidem non ad principium escendant, sed ab ὑποθέσεσι descendant, sapere, νοῦν ἴσχειν tibi in his non videntur, quamvis ea ab ipso principio mente percipiantur. Ergo διάνοιαν vocare mihi geometrarum similiumque rationem videris, non vero νοῦν, quippe cum διάνοια medium teneat inter opinionem et νοῦν locum.* — Plenissime haec percepisti: accipe autem insuper ad quatuor illas sectiones quatuor haecce, quae in animo sunt: *νόησιν* ad supremam, ad secundam *διάνοιαν;* tertiae *πίστιν* tribue, infimae autem *εἰκασίαν·* haec pro mutua ratione et proportione ordina, ut, quatenus participare a veritate possunt, eatenus esse existimes claritatis participia. — Jam intelligo, tibique assentior et ordino, ut dixisti.» 2)

Hujusmodi igitur est et his gradibus procedit hominis in mundum intelligibilem iter. Significari autem iisdem his gradibus duplex *παιδείας* genus, quorum alterum altero illustretur, nemo est, quin sponte videat. Infimum vulgaribus hominibus convenit, qui unice delectari inanibus speciebus, illis maxime, quas ipsis poëtae atque oratores proposuerint, solent. Hanc Plato *εἰκασίαν* appellat, ducto ab imaginibus nomine, quae in umbris, in aquis, in speculis apparent. Convertendi igitur continuo ab his speciebus ad ea sunt, quibus similes sunt: quo nondum quidem ad scientiam, veruntamen ad *πίστιν* adducuntur, quippe manentes in mundo spectabili, in quo quamdiu versantur, *opinantur* homines, non ad *scientiam* et *veritatem* accedunt. Alterum *παιδείας* genus illis adhibendum Plato censet, qui, missis mundi spectabilis et simulacris et umbris simulacrorum, altius escendere atque ipsas cernere ideas cupiunt. Ut illi a speciebus ad ea, quibus hae similes sunt, convertuntur, ita hi per ipsius veritatis disciplinas a formis numerorum figurarumque mathematicarum ad ipsos numeros ipsasque figuras educendi sunt: quo *διάνοιαν* assequuntur. Iidem vero, ut, repudiatis formis istis, missis item, quae his disciplinis propriae sunt, *ὑποθέσεσι*, ad *νόησιν*, ad ipsarum per hancce idearum contemplationem, ad rerum scientiam

---

1) Aegre immuto hocce *ἀλλ' οὖν·* nam plane haec dictio Platonica est: *saltem, verumenim, tamen:* quo sensu centies occurrit. At sensus loci et allusio ad vocis *διάνοια* rationem id videtur requirere, quod vertendo expressi. Scripsit, ni fallor, Plato: *διάνοιαν δὲ καλεῖν μοι δοκεῖς τὴν — ἀλλ' οὐ νοῦν, ὡς μεταξύ τι δόξης τε καὶ νοῦ τὴν διάνοιαν οὖσαν.* Legisse ita Ficinus videtur. *Videris autem mihi geometricarum et similium rerum habitum* **cogitationem potius appellare, quam intellectum**, *quasi —*

2) *De Rep.* VI. 509. D. — 511. E.

perveniant, dialecticae tandem ope, toti penitusque ad veritatem convertendi sunt. Sic autem iis tandem eo accedere licebit, quo maxime contendendum philosopho est, ut illud, quod *bonum* est, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν, idearum omnium principem, mentis oculo assequantur. Sed haec ut intelligamus, de *ideis* nobis agendum universe est, loco in Platonis philosophia sane quam gravissimo latissimeque patente.

De ideis in philosophia Platonis.

Verecunde prudenterque Plato, ut vidimus, hanc hominis in mundum intelligibilem escensionem declarare instituit. Θεὸς δέ που οἶδεν, ait, εἰ ἀληθὴς οὖσα τυγχάνει· τὰ δ' οὖν ἐμοὶ φαινόμενα οὕτω φαίνεται. 1) Quam prudentiam nisi pariter cum his explicandis, tum in primis idearum perquisitioni adhibuerit interpres, longe is profecto a Platonis mente et consilio aberrabit. Quaesiverunt omni aevo philosophi de ideis Platonis, quaenam maxime essent, ipsine essent homini propriae innataeque, an extra eum positae: si extra eum essent, ubi tandem locorum conspicerentur; similia alia: quae sic explicare multi studuerunt, quasi ipse ea Plato et plane habuisset perspecta et plene explicare potuisset. Id si potuisset, non sane usus ille imaginibus, ut haec est speluncae imago, in iis explicandis fuisset, sed paucis ea verbis, sine ullis ambagibus, declarasset. Ille vero de rebus hisce sublimibus, quae optimi cujusque philosophi ratio est, suspicari multa et quasi augurari, vaticinari solebat, quae argumentando demonstrari, ut mathematicorum inventa, nullo modo possent. In his cum caetera omnia censenda sunt, quae de mundo νοητῷ mente complexus est, tum maxime, quae ideas spectant. Veritati studens unice, quum in his rebus, quae sensibus percipiuntur, quod vere esset pulcrum, bonum, justum, omnino quod *verum* esset, non reperiret, vulgo relinquendum adspectabilem mundum duxit: sibi vero omnibusque quotquot rite navare philosophiae operam cuperent, alium mente et cogitatione mundum aperuit, in quo id, quod flagrante studio appetebat, invenisse sibi et contemplari videbatur. In quibus fingendis describendisque modum, fateor, subinde, quem ratio definit, excessit, subinde etiam, quod non immerito carpit Aristoteles, poëseos magis sublimitatem consectatus, quam subtilitatem philosophiae secutus est. 2) Verum omne hocce tum demum jure carpendum nobisque cavendum esset, si poëtica illa, quod fecit Aristoteles, ad demonstra-

---

1) *De Rep.* VII. 517. B.

2) Arist. *Metaph.* I. p. 23. de ideis Platonis: κενολογεῖν ἐστι καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς.

tionis mathematicae leges adstringenda et hunc in modum interpretanda viderentur. Noluit illud vetuitque ipse philosophus, quippe qui, quoties de rebus hisce sublimibus et divinis erat acturus, auditores monebat, ut reputarent, et eum qui diceret et ipsos qui audirent mortales esse: 1) scientiam harum rerum Deo esse propriam, hominis vero esse inquirere inquirendoque ad scientiam, quoad ejus fieri possit, accedere: Deum novisse iccirco, num, quae esset dicturus, vera essent, se vero, quae ipsi viderentur vera, prolaturum esse. Quamobrem nobis, siquidem recte velimus Platonis placita interpretari, ab omni datâ operâ argumentatione, quae vulgo intelligitur, abstinendum, minusque, quales sint apud Platonem ideae, quam, quo haec spectet philosophi doctrina, quaerendum videtur: cavendum autem maxime erit, ne, quo commendantur illa apud Platonem sublimis poëseos colore, hunc argutando corrumpamus.

Quò maxime spectat omnis apud Platonem de ideis disquisitio?

Ἰδέα apud Platonem usurpatur de *rebus* universe, sive de rerum generibus, ut in his: *ὅτι ἡμῶν ἐν ἑκάστῳ δύο τινὲ ἐστον ἰδέα ἄρχοντε καὶ ἄγοντε.* 2) Intelliguntur res, negotia universe, non definitae significationis: vertendum, *duo nobis insunt, quae imperant et ducunt.* Proprie autem hac voce notiones exprimuntur qualitâtis, quantitatis, magnitudinis. 3) In Phaedone *ἰδεαὶ* sive *εἰδῆ* dicuntur *τὸ ἴσον, τὸ καλὸν, τὸ ἀγαθὸν, τὸ ὅσιον.* 4) *Notiones* igitur *universae* sunt, quas nisi ad cogitandum judicandumque adhibuerit mens nostra, cogitare illa aut judicare non potest. Sed aliud etiam eadem voce intelligitur notionum genus, earum videlicet quae ad faciendum aliquid sive informandum nècessaria sunt. Hujusmodi *lectus, mensa,* similia dicuntur in libris *de republica,* ubi pictor, ut memoravimus, 5) tertio dicitur loco a veritate abesse: nam lectum v. c. pingens, id pingit, quod faber fecit: faber autem ad divinum lecti exemplum lectum informat. Exemplum illud Plato *εἶδος* sive *ἰδέαν, speciem, formam* vocat. 6) «*Οὐκοῦν*

---

1) *Tim.* 29. C.

2) *Phaedr.* 237. D. Pariter *de Rep.* V. 507. E.

3) Vid. disp. Socratis in *Phaedone* 100. B. — 105.

4) *Phaed.* 74. A. et 75. item 100. B. *καὶ εἶμι πάλιν ἐπ᾽ ἐκεῖνα τὰ πολυθρύλλητα, καὶ ἄρχομαι ἀπ᾽ ἐκείνων, ὑποθέμενος εἶναί τι καλὸν αὐτὸ καθ᾽ αὑτὸ καὶ ἀγαθὸν καὶ μέγα καὶ τἆλλα πάντα.*

5) *Initia* p. 319.

6) *De Rep.* X. 596. B. — 598. D.

καὶ εἰώθαμεν λέγειν, ὅτι ὁ δημιουργὸς ἑκατέρου τοῦ σκεύους πρὸς τὴν ἰδέαν βλέπων οὕτω ποιεῖ, ὁ μὲν τὰς κλίνας, ὁ δὲ τὰς τραπέζας, αἷς ἡμεῖς χρώμεθα καὶ τἆλλα κατὰ ταὐτά· οὐ γάρ που τήν γε ἰδέαν αὐτὴν δημιουργεῖ οὐδεὶς τῶν δημιουργῶν· πῶς γάρ; — Οὐδαμῶς· *dicere solemus, artificem utriusque rei ideam intuentem, sic facere hunc lectos, illum mensas, quibus nos utimur, et caetera similiter: nam ipsam quidem ideam nullus fabricat artifex: quo enim modo id faceret? — Nullo.» Has rerum formas*, ut Ciceronis verbis utar, *appellat* ἰδέας *ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister, Plato.* 1) Nec vero temere ille: nam naturam expressit hoc vocabulo, ut linguae, nostra certe Belgica, docent, in quibus illae notiones *denkbeelden*, *formae* seu *imagines cogitandi*, hae *voorbeelden*, *imagines quae imitando exprimuntur*, vocari solent. *Τύπους* item appellat subinde Plato hoc alterum notionum genus i. e. *formas*, *imagines*, ductâ metaphorâ a signis, quorum imagines in cera exprimuntur. 2) Easdem autem hasce rerum formas, ut pergit eodem loco Cicero, *gigni negat* Plato, *et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri: caetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu.* 3) Scilicet eo pertinet maxime tota Platonis de ideis doctrina, ut in hac rerum omnium et opinionum fluctuatione haberet, quod certum esset nec mutationi obnoxium. Res *magnae* quae ita dicuntur ubi cum parvis comparantur, si cum majoribus comparantur, *parvae* apparent: similiter negotia pulcra, bona, justa quae existimantur, aliis temporibus locisque taetra, mala, injusta apparent. 4) Quae incerta et contraria de rebus judicia adspectabilis mundi conditioni tribuebat Plato, in quo sensibus unice homo fidem habet, fallacibus nunciis. Quapropter, ne decipi nos pateremur falsis imaginibus, ideas nos intueri jussit in mundo *νοητῷ* i. e. ipsum illud quod *magnum*, quod *aequale*, quod *pulcrum* est. Haec aeterna sunt, ait, et immutabilia: caetera nascuntur, occidunt, fluunt, labuntur. *Veritatem* igitur spectavit Plato, quum de ideis philosopharetur. Ideae apud eum *τὰ ὄντα* sunt, quae *sunt*, non *videntur* esse. Cernimus autem, non tantum hanc doctrinam cum justo *disciplinarum* proposito convenire, quarum est, ut ad rerum scientiam, ad *τὰ ὄντα* nos educant; sed eandem etiam ad *artes* recte tractandas unice esse aptam et accommodatam. Ciceronis de Phidiae signis sententiam supra apposuimus,

---

1) Cic. *Orat.* c. 3.
2) V. c. *de Rep.* III. 396. E.
3) Cic. l. l.
4) Vid. *Phaed.* 102. A. B.

ubi de artibus agebamus, 1) sed ut vere est Platonica ac Platonis de ideis doctrinam plane exprimit, hîc eam denuo describere juvat. *Sed ego sic statuo, nihil esse in ullo genere tam pulcrum, quo non pulcrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago, exprimatur, quod neque oculis neque auribus neque ullo sensu percipi potest: cogitatione tantum et mente complectimur. Itaque et Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, et his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulcriora. Nec vero ille artifex, cum faceret Jovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat.* 2) Quod recte idem in eloquentiam perfectam adhibet. *Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cujus ad cogitatam speciem imitando referuntur ea, quae sub oculos ipsa cadunt: sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus.* 3) In his autem *ideas* cum dictae a Platone, tum a Cicerone acceptae sunt de formis perfectis, quas nos appellare *idealia* solemus.

Sed sunt nobis alia item et longe etiam graviora de ideis Platonis animadvertenda. *Vitae usum* spectat in primis haec philosophi doctrina. Ut notiones expressit ille hac voce, quae cum ad cogitandum, tum ad arte aliquid recte informandum, necessariae sunt, ita in ideis praecipuas habuit, in nullisque non scriptis ubivis memoravit τὸ καλὸν, τὸ ἀγαθὸν, τὸ δίκαιον, τὸ ὅσιον. Quaerere solebat Socrates, quod aliquoties jam memoravimus, quid pulcrum esset quid turpe, quid bonum quid malum, quid justum quid injustum. 4) Haec Plato, quippe Socraticus et instar magistri de rebus ad vitam recte agendam necessariis sollicitus, quaeritabat; sed idem, altius quam magister escendens, non de *rebus* pulcris et bonis, sed de *ipso* et pulcro et bono et justo et sancto agendum sibi ratus est. Itaque, ut res civitatis administrarentur recte, leges censuit, ut Socrates, optimas condendas esse, sed legislatores item ipsam intueri justi ideam jussit, ut ab ejus similitudine leges ducerent. Id qui non facerent, *coecos* appellabat. Ἦ οὖν δοκοῦσί τι τυφλῶν διαφέρειν οἱ τῷ ὄντι τοῦ ὄντος ἑκάστου ἐστερημένοι τῆς γνώσεως, καὶ μηδὲν ἐναργὲς ἐν τῇ ψυχῇ ἔχοντες παράδειγμα, μηδὲ δυνάμενοι, ὥσπερ γραφεῖς, εἰς τὸ ἀληθέστατον ἀποβλέποντες, κἀκεῖσε ἀεὶ ἀναφέροντές τε καὶ θεώμενοι ὡς

1) *Initia* p. 92.
2) Cic. *Orat.* c. 2.
3) Id. *eod.* c. 3.
4) *Initia* p. 248.

οἷόν τε ἀκριβέστατα, 1) *οὕτω δὴ καὶ τὰ ἐνθάδε νόμιμα καλῶν τε πέρι καὶ δικαίων καὶ ἀγαθῶν τίθεσθαί τε, ἐὰν δέῃ τίθεσθαι, καὶ τὰ κείμενα φυλάττοντες σώζειν; — Οὐ μὰ τὸν Δία, οὐ πολύ τι διαφέρει· videnturne tibi a coecis differre, qui cognitione ejus, quod* e s t *re vera, destituti, nullumque in animo clarum habentes veri exemplar, neque possunt, ut pictores, ad illud quod verissimum est respicientes, referentesque se illuc semper, idque accuratissime contemplantes, ita demum leges hic ferre de pulcris, justis, bonis, si ferre oporteat, et latas vindicare ac servare? — Non longe, per Jovem, a coecis differunt.* 2) Contra, qui ideam justi ipsam intuerentur, indeque, pictorum instar, in civitatem, tanquam in tabulam, legum descriptionem ducerent, hos et philosophos politicosque germanos et *pictores* vocabat *τῷ θείῳ παραδείγματι χρωμένους, qui divino uterentur exemplo.* 3) Et hinc quidem, quid de artificibus, de poëtis, de oratoribus, de politicis viris existimaverit Plato, perspicuum fit. Videri possit ipsas has artes male habuisse, quippe qui in principes earum auctores, in Homerum adeo et Periclem invectus est. Et sane non res illos, sed simulacra, imo non nisi umbras simulacrorum hominibus proposuisse, in speluncae descriptione significavit. At vero, ut diximus ante, et nunc nobis optime ex hac idearum doctrina patet, non artes rejecit ant artium auctores, sed perversa earum studia. Uti philosophos laudavit illos unice, qui *τῆς ἀληθείας* essent *φιλοθεάμονες*, ita artificibus, poëtis, caeteris omnibus, qui aliquid informando in lucem proferebant, pariter praescripsit, ut veritatem spectarent in operibus excolendis, id quod *vere* esset pulcrum, bonum, justum, sanctum arte exprimerent. Hos ille non minus, quam germanae philosophiae amantes, mundi adspectabilis antro egredi jussit, ut exempla rerum perfecta et intuiti et imitati, vere prodesse generi hominum possent. Haec scilicet nova est illa tam artium, quam disciplinarum ipsiusque philosophiae ratio, quam Plato commendavit unice.

Quo referantur potissimum apud Platonem ideae, hinc licet intelligere, sed confuderunt eas multi cum *innatis ideis* Cartesianorum: alii non satis a Kantii ideis Platonicas distinxerunt, unde hae recentiore aetate obscuritatem contraxerunt. Quae quidem principum philosophorum doctrinae nobis hoc loco nec explicandae nec vero dijudicandae sunt. Veruntamen ipsius Platonis caussâ, quoque accuratius distinctiusque de ejus ideis judicemus, haud temere nos acturos putamus, si secernere datâ

1) Haec plane expressit Cicero iis, quae modo adscripsimus: *ipsius in mente insidebat species.* —

2) *De Rep.* VI. 484. C. D.

3) *Eod.* 500. E.

operâ ab his ejus placitis similia aliorum placita conemur. Hoc enim argumento ecquod in omni viri philosophia gravius illustriusque est?

Ideae in philosophia Platonis non sunt cum recentiorum innatis ideis confundendae.

Non abhorrent quidem a Platonis doctrina placita Cartesii. Dici enim Platonicae etiam ideae, si minus *innatae*, tamen *propriae* homini possunt. Nam animi humani, ut in *Phaedro* est, nisi ideas ante hanc vitam spectavissent, cogitandi in hoc corpore aut judicandi facultatem non haberent. *Πᾶσα ἀνθρώπου ψυχὴ φύσει τεθέαται τὰ ὄντα, ἢ οὐκ ἂν ἦλθεν εἰς τόδε τὸ ζῶον.* 1) Referunt adeo quodammodo Platonicas ideas ideae Cartesianae, quippe quae item sunt et notiones universae et earum rerum notiones, quae animo, non sensibus percipiuntur. Praeterea, ut Plato, Cartesius id summo opere studuit, ut quae mente solâ et cogitatione cernimus, numeros v. c. et figuras mathematicas, recte a rebus, quae sensibus patent, distingueret. 2) Veruntamen, ut his in rebus inter illos convenit, ita in adhibenda ad philosophiam idearum doctrina atque in ipsa philosophandi methodo usurpanda prorsus a se invicem discesserunt. Ideas Cartesius tanquam notiones verissimas posuit, quibus, ut axiomatibus, ut doctrinae fulcris ac fundamentis decreta deinde sua superstrueret; Plato vero tanquam formas nobis perfectas, quas in artibus tractandis legibusque condendis imitaremur, proposuit. Cui doctrinae diversitati diversa congrua utriusque fuit disserendi ratio. *Syntheticam* ille methodum ad probandum condendumque systema usurpavit; 3) Plato vero inductione et *analytica* ratione educere hominem ad perfectiorem conditionem studuit. Ad vindicandam igitur magis veritatem, quam ad excolendum hominem Cartesii doctrina pertinuit, quippe nec pulcrum, nec bonum, nec justum sanctumve ideis complexa. Et quod Dei notionem Cartesius summam idearum habebat, non illuc valebat, ut Deum nobis, tanquam omnis perfectionis exemplum, ad imitandum proponeret; sed huc scilicet, ut notionem, *esse Deum*, sive, ut ipse loquitur, *ens esse summe intelligens, summe potens et summe perfectum*, hanc notionem *innatam* nobis *ideam* esse demonstraret. *Considerans*, ait, *inter diversas ideas, quas apud se habet homo, unam esse entis summe intelligentis, summe potentis et*

1) *Phaedr.* 249. E. Cff. *Initia* p. 50, 129.

2) Cartes. *Princ. phil.* P. I. § 12 et 13. Ed. Amstel. 1677.

3) Invitus eo pervenit vir in paucis maximus. Naturae bonitate ad analyticam rationem pronus erat, ut effici ex libello ejus eximio *de methodo* potest, qui in primis legendus philosophis est. P. I. p. 11 — 13.

summe perfecti, quae omnium longe praecipua est, agnoscit in ipsa existentiam ,non possibilem et contingentem tantum, quemadmodum in ideis aliarum omnium rerum, quas distincte percipit, sed omnino necessariam et aeternam. Atque ex eo, quod, exempli caussâ, percipiat in ideâ trianguli necessario contineri, tres ejus angulos aequales esse duobus rectis, plane sibi persuadet triangulum tres angulos habere aequales duobus rectis; ita ex eo solo, quod percipiat, existentiam necessariam et aeternam in entis summe perfecti ideâ contineri, plane concludere debet, ens summe perfectum existere. 1) Valebat haec ratio ad vindicandam a scholastica barbarie philosophiam, cujus instaurator fuit Cartesius; ad explorandam vero mentis naturam, quod postea Lockius maximeque Kantius instituit, ad hominem, quod antiquitus instituerat Plato, cum erudiendum disciplinis optimis, tum ad Dei similitudinem informandum, non valebat. Sed hac de re infra, postquam Aristotelis metaphysicam cum doctrina Platonica comparaverimus: illam magis Cartesius, quam hanc secutus est.

Efficimus hinc sponte, eâdem voce alia omnia declarare Cartesium voluisse, atque illa sunt, quae Plato spectavit. Plato, ut verbo jam monuimus, ideis *species*, *formas*, item *παραδείγματα*, *idealia* intelligebat, i. e. exempla rerum perfecta, sive pulcri bonique et justi exemplaria; 2) ad horum autem perfectam speciem nos jussit cum nosmet ipsos conformare, tum res civitatum legesque emendare atque perficere. Illuc respicit apud eum Socrates, ubi hic in *Theaeteto* de injustitiae poena cum Theodoro disserit. « Ignorant, ait, perversi homines *ζημίαν ἀδικίας, ὃ δεῖ ἥκιστα ἀγνοεῖν· οὐ γάρ ἐστιν ἣν δοκοῦσι, πληγαί τε καὶ θάνατοι, ὧν ἐνίοτε πάσχουσιν οὐδὲν ἀδικοῦντες, ἀλλὰ ἣν ἀδύνατον ἐκφυγεῖν· poenam ignorant injustitiae, id, quod minime ignorare decet: non est enim, quam opinantur, verbera ac caedes, quibus afficiuntur subinde qui nihil perpetrarunt injusti; sed ea quam non potest aliquis effugere.* Hic Theodorus: quamnam illam? Socrates vero, *παραδειγμάτων*, inquit, *ὦ φίλε, ἐν τῷ ὄντι ἑστώτων, τοῦ μὲν θείου, εὐδαιμονεστάτου, τοῦ δὲ ἀθέου, ἀθλιωτάτου, οὐχ ὁρῶντες ὅτι οὕτως ἔχει, ὑπὸ ἠλιθιότητός τε καὶ τῆς ἐσχάτης ἀνοίας λανθάνουσι τῷ μὲν ὁμοιούμενοι διὰ τὰς ἀδίκους πράξεις, τῷ δὲ ἀνομοιούμενοι· οὗ δὴ τίνουσι δίκην, ζῶντες τὸν εἰκότα βίον ᾧ ὁμοιοῦνται· cum sint, o amice, in eo, quod est, exemplaria duo, divinum, quod beatissimum, alterum vero a Deo alienum, quod miserrimum est, non videntes isti, ita rem se habere, prae stultitia extremaque dementia, huic fiunt*

1) Cartes. *Princ. phil.* P. I. §. XIV. p. 4.

2) De *idearum* et *idealium* discrimine, quae non datâ operâ distinxit, infra erit agendum.

inscii per iniquas actiones similes, illi vero dissimiles: cujus delicti hoc ipso luunt poenas, quod temere vitam, cui similes effecti sunt, ducunt.» 1) Quod autem diximus, Platonem legibus praesertim condendis hanc de ideis doctrinam adhibuisse, ut legislatores, pictorum instar, perfectas, quoad ejus fieri posset, scriberent, e loco id non minus illustri et sublimi, qui est in sexto *de Republica*, efficimus et explicamus. «Vulgares homines, ait Socrates cum Adimanto colloquens, contemnunt philosophos et legislatores germanos, quia, quid moliantur et quemadmodum ipsis prodesse nitantur, ignorant. Conformant autem illi ad id, quod perfectum est, et semet ipsos et res civitatis suae. Scilicet cum divino et honesto consuescens philosophus, honestus ac divinus, quoad homini licet, fit; calumnia autem in omnibus frequens. — Sic est omnino. — Quodsi necessitate aliqua adducatur, ut ea, quae illic intuetur, ad mores hominum privatim publiceque transferat, nec semet tantum ipsum, sed et alios informet: numquid inertem temperantiae justitiaeque et universae popularis virtutis opificem ipsum fore existimas? — Minime. — Vulgus autem si sentiret, vere nos de eo dicere, succensurum philosophis censes, nobisque fidem non habiturum, dicentibus, beatam nullo modo civitatem fore, *εἰ μὴ αὐτὴν διαγράψειαν οἱ τῷ θείῳ παραδείγματι χρώμενοι ζωγράφοι; nisi delineent eam ordinentque, qui divino utantur exemplo, pictores?»* Negat hic Adimantus, succensurum esse vulgus; sed de hoc quaerit pingendi modo: «quem, inquit, dicis *τῆς διαγραφῆς τρόπον;* Cui Socrates, postquam sumserint, inquit, civitatem moresque hominum, tanquam tabulam quandam, primum eam efficient puram: quod non est facile; nescisne vero, hoc illos caeteris praestituros, quod neque hominem privatum nec civitatem tangere nec leges condere velint, antequam haec vel pura acceperint vel ipsi purgaverint? — Et recte quidem. — Nonne describere eos post haec putas civitatis formam? — Quidni? — *Ἔπειτα, οἶμαι, ἀπεργαζόμενοι πυκνὰ ἂν ἑκατέρωσ᾽ ἀποβλέποιεν πρός τε τὸ φύσει δίκαιον καὶ καλὸν καὶ σῶφρον καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, καὶ πρὸς ἐκεῖνο αὖ ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐμποιοῖεν, ξυμμιγνύντες τε καὶ κεραννύντες ἐκ τῶν ἐπιτηδευμάτων, τὸ ἀνδρείκελον, ἀπ᾽ ἐκείνου τεκμαιρόμενοι, ὃ δὴ καὶ Ὅμηρος ἐκάλεσεν ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐγγιγνόμενον θεοειδές τε καὶ θεοείκελον. — Ὀρθῶς. deinde in opere perficiendo frequenter, credo, ad utraque respicient, ad id, quod naturâ* j u s t u m, p u l c r u m, t e m p e r a t u m *et quidquid hujuscemodi est, tum rursus ad illud, quod sumtum ex vitae officiis studiisque, miscendo indere hominibus cupiant, τὸ ἀνδρείκελον videlicet, ductâ ab eo conjecturâ, quod hominibus inditum Homerus*

1) *Theaet.* 176. D. E.

appellavit θεοειδὲς et θεοείκελον. — Reete. — Καὶ τὸ μὲν ἂν, οἶμαι, ἐξαλείφοιεν, τὸ δὲ πάλιν ἐγγράφοιεν, ἕως ἂν ὅτι μάλιστα ἀνθρώπεια ἤθη εἰς ὅσον ἐνδέχεται θεοφιλῆ ποιήσειαν. — Καλλίστη γοῦν ἂν ἡ γραφὴ γένοιτο· et modo, opinor, deleant quae pinxerint, modo pingant rursus, usque dum mores hominum, quoad ejus fieri potest, Deo eongruos amicosque reddiderint. — Puleerrima haee sane pietura esset.» 1)

Dixisse satis de ideis Platonis videmur, ut, quo spectet in primis haec philosophi doctrina, intelligatur. Pergendum igitur nobis ad *boni* ideam est, quam idearum omnium principem Plato appellavit. Sed quo facilius escendamus illuc, quoque universae hujus doctrinae rationem perspiciamus plenius, ut modo a Cartesianis, ita nunc a Kantianis ideis Platonicas juvat distinguere.

Distinguere item reete a Kantii ideis Platonieas oportet.

Kantius vulgo ab ipsis Germanis *Germaniae Aristoteles* dicitur, quippe qui, antiqui instar Aristotelis, naturam et facultates mentis humanae indagavit exploravitque sagacissime. Mihi fere ejus doctrina Platonicam magis, quam Aristotelicam philosophiam referre visa est. Haud fuit enim in recentioribus philosophis, qui accuratius, quam Kantius, res sensibus percipiendas ab iis, quae unâ mente et cogitatione cognoscuntur, discerneret: id autem Plato unice, ut vidimus, et egit et agendum esse philosopho arbitratus est. Idearum autem doctrinam, cujus auctor Plato habetur, rejecit Aristoteles, Kantius vero tanto studio tractavit elaboravitque, ut hunc locum in critica philosophia in primis gravem existimasse videatur. Effecit adeo, ut sublimia illa Platonis de hoc argumento placita, quae Wolfii disciplina obscuraverat plane, in lucem revocarentur denuo multorumque studiis scriptisque frequentarentur ac celebrarentur. Nec vero profecit tantum ille e philosophia Platonis: idem hanc antiqui philosophi doctrinam, quod recentiorem philosophum decet, crisi subjecit, miroque acumine et studio ideas ex ipsius mentis nostrae natura et facultatibus duxit. Quo vero ille propius ad Platonem accessit, eo magis nobis, discernendis utriusque placitis, antiqui philosophi sententiam assequi licebit.

In doctrina Kantii de formis intuitionis, de categoriis, de transscendentali philosophandi ratione, in primis de ideis, placitum dominatur, quod plane nobis Platonem refert: hoc dico, non sensibus omnia debere hominem, sed puras ipsius intellectui inesse notiones, quae, per sensus

---

1) *De Rep.* VI. 500. D. — 501. C. Cf. Hom. *Il.* α' vs. 131.

excitatae, a ratione ad cogitandum ac judicandum adhibentur: 1) unde *puram*, quam dicere consuevimus, geometriam et ducit et explicat. Sed notiones hasce et ideas, ut *objective* Plato, quod vocant, ita Kantius *subjective* consideravit. Non finxit animos hominum, anteaquam in haec corpora migrarent, vidisse rerum species puras et integras, quarum nunc recordatione discerent; sed inesse statuit homini puras integrasque et notiones et ideas, quae nisi ipsi essent naturâ propriae, cogitare, ratiocinari, concludere nullo modo posset. Quae philosophandi ratio habet sane, quo nobis perquam placeat: et vero, quamvis poëticâ Platonis sublimitate destituta, haud caret tamen sublimitate. Nam ut repetit Kantius ideas ex ipso hominis intellectu, ita hominem ait secundum eas, tanquam normas, tanquam *regulativa principia*, quae vocat, et cogitare et vero agere. Virtutem puram sapientiamque in ideis censet; nec vero *idealia* rejicit, quae sibi informat homo, v. c. perfectam sapientis speciem, modo congruat imago purae ideae rationis purae: 2) unde moralis illa philosophi nata doctrina est, quam alii aliter judicarunt, omnes vero et puritate et sublimitate excellere confessi sunt. Talis igitur cum Kantianae doctrinae ratio sit, dicere haud inepte videamur, poëticas imagines Platonis a Kantio ad diligentiam et severitatem philosophiae revocatas esse. Cavendum vero maxime est, ne placita utriusque philosophi confundamus temere.

Nam, quod Kantius virtutem et sapientiam in ideis censet, Plato quidem φρόνησιν dixit, si conspici a mortalibus posset, admirabiles sui amores excitaturam esse, sed nec φρόνησιν, nec quam proprie nos aut virtutem aut sapientiam dicimus, ideas esse perhibuit. Porro ideae apud Kantium tres sunt transscendentales, psychologicae, cosmologicae, theologicae, quarum psychologicae nos ad psychologiam transscendentalem, cosmologicae ad cosmologiam transscendentalem, theologicae ad theologiam transscendentalem ducunt. 3) Nihil horum apud Platonem. Ideam ille simpliciter vocat id quod pulcrum per se, quod bonum, quod justum, quod sanctum est. Haec intueri hominem jussit, siquidem de animo, de mundo, de Dei natura sive judicare sive suspicari nonnihil velit: ad horum dicit perfectam speciem si se homo conformet, sic eum demum ad φρόνησιν, ad virtutem et sapientiam, perventurum. Caeterum sublimem esse fateor tam Kantii quam Platonis de ideis ac morum disci-

---

1) *Wenn aber gleich alle unsere Erkenntniss mit der Erfahrung anhebt, so entspringt sie darum doch nicht eben alle aus der Erfahrung.— Crit. der r. V. Einl.* p. 1.

2) Kant l. l. p. 368 et 595; quibus locis de ipsis Platonis ideis judicium fert. Cf. ejus disquisitio *von dem Ideal des höchsten Guts*, p. 832. Ed. II. Rigae, 1787.

3) *Crit. d. rein. Vern.* p. 391, 392.

plina doctrinam; verum, ut praestaret illi sublimitate Plato, non poëticis tribuendum comparationibus est, quibus identidem est usus: factum id multo magis cum tota philosophiae, quam prodidit, forma et ratione est, tum placitis maxime de *pulcri verique amore*, quae proxime sunt, ut docuit nos Diotime, cum idearum doctrina conjuncta. Neque horum quoque apud Kantium quidquam; apud Platonem vero idem hoc *amoris* principium, ut dominatur in ejus de *pulcro bonoque* placitis, ita sublimitatis illius et poëticarum imaginum fons est praecipuus.

De boni idea, idearum omnium principe. Estne Deus illa apud Platonem?

Quo magis ab aliis philosophis Platonem distinguimus, eo procedimus simul magis in ejus doctrina explicanda. Et sic quidem sponte jam ad τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν, ad ipsum *bonum* escendimus, cujus maxime caussâ omnis haec nobis suscepta est de ideis disquisitio. Sed hîc in primis, in argumento tam illustri ac sublimi, ipsum Platonem ducem sequamur. Postquam Socrates apud eum in iisdem *de Republica* libris de specie et veritate, de opinione et scientia multum disseruerat, τόκον se daturum *boni* dicit. «Ipsum *bonum*, inquit, quid sit, nunc quidem mittamus. Majus enim esse videtur, quam quod praesenti disputatione assequar. Boni vero proles, patri simillima, quaenam esse videatur, si vobis placet, dicam, sin minus, mittam. — Tu vero dic, quaeso: alio tempore patris solves descriptionem. — Vellem equidem, ut eam ipsam possem tradere vosque accipere, non, ut nunc, prolem tantum; sed foetum jam ipsius boni prolemque accipite: cavete autem, ne vos invitus decipiam, falsam vobis filii descriptionem exhibens. — Cavebimus pro viribus; verum dic modo. — Faciam, ubi primum vobis in memoriam revocavero, vosque probaveritis mecum, quae et in superioribus et alias saepenumero dicta sunt. — Quaenam illa? — Pulcra multa, multa item bona et singula ita et dicimus et sermone definimus. — Dicimus sane. — Atqui et ipsum pulcrum et bonum ipsum et omnia, quae tunc ut multa diximus, rursus ad unam ideam referentes, id, quod unumquodque est, appellamus: et illa quidem cerni dicimu non intelligi, ideas vero intelligi, non cerni. — Omnino. — Quo igitur eorum, quae habemus, adspectabilia cernimus? — Visu. — Nonne e auditu, quae audiuntur et caeteris sensibus singula, quae ipsis percipiuntur? — Quidni? — Numquid animadvertisti, quam eximie prae caeteris sensibus sensuum auctor vim videndi, quaque res videntur, perfecerit? — Non equidem magnopere. — Sic vero considera: estne auditui ac voci alio genere opus ad hoc, ut ille audiat, haec audiatur: quo tertio absente, ille non audiet, haec non audietur? — Non est opus. — Credo, aliis

item sensibus multis, ne dicam omnibus, nullo hujuscemodi genere opus esse. Tibine vero succurrit? — Non succurrit. — Vim autem videndi, quaque res visibiles videntur, nonne eo indigere animadvertisti? — Quo pacto? — Praesente oculis visu, ipsisque ad videndum intensis, praesente item colore, nisi adsit et genus tertium, proprie ad hoc ipsum naturâ aptum, scis sane, nec visum visurum quidquam esse et colores futuros invisibiles? — Quidnam id esse dicis? — Quod tu lucem vocas. — Vera loqueris. — Res igitur non contemnendae, videndi sensus et vis qua visibiles fiunt res, jugo quodam aliarum omnium conjunctionum honoratiore junctae sunt: nisi contemnenda res lux sit. — Atqui multum abest, ut res sit contemnenda. — Quem vero potissimum Deorum coelestium hujus rei caussam putas, cujus lumen efficit, ut et visus noster quam optime videat et oculis objecta cernantur? — Quem et tu putas et caeteri: solem scilicet dicis. — Nonne sic ad hunc Deum visus se habet? — Quomodo? — Nec visus ipse, neque id, cui inest, quod oculum vocamus, ἥλιος est. — Non est. — Sed esse visum credo prae caeteris sensibus ἡλιοειδέστατον. — Et maxime quidem. — Nonne et vim, quam habet, ex eo depromtam et quasi derivatam habet? — Prorsus. — Nonne sol etiam visus quidem non est, sed, cum caussa ejus sit, ab eo ipso conspicitur? — Sic plane. — *Τοῦτον τοίνυν φάναι με λέγειν τὸν τοῦ ἀγαθοῦ ἔκγονον, ὃν τἀγαθὸν ἐγέννησεν ἀνάλογον ἑαυτῷ, ὅ τίπερ αὐτὸ ἐν τῷ νοητῷ τόπῳ πρός τε νοῦν καὶ τὰ νοούμενα, τοῦτο τοῦτον ἐν τῷ ὁρατῷ πρός τε ὄψιν καὶ τὰ ὁρώμενα· hunc igitur me vocare b o n i filium dicito, quem b o n u m progenuerit consimilem sibi hac ratione, ut, quod ipsum est in mundo intelligibili ad intellectum et intelligibilia, id illo sit in spectabili mundo ad visum et spectabilia.* — Quo pacto? planius id explica. — Oculi, ut novisti, ubi quis eos non ad ea converterit, quorum colores diurna lux illustrat, sed ad illa, quibus affusa nocti similis lux est, coecutiunt ac coeci fere esse videntur, acsi visus ipsis purus non inesset. — Sic accidit. — Quodsi, credo, ad ea sunt conversi, quibus sol lucem affundit, clare cernunt, iisdemque illis inesse videtur visus. — Quidni? — Sic item de mente cogita: ubi ad illud, quod veritas et τὸ ὄν illustrat, intenta fuerit, intelligit cognoscitque id et *νοῦν ἔχειν* videtur; sin vero ad ea spectat, quae tenebris mixta sunt, quae fiunt atque intereunt, opinatur ac coecutit, nunc huc, nunc illuc opiniones versans, similisque rursus *νοῦν οὐκ ἔχοντι* est. — Videtur omnino. — *Τοῦτο τοίνυν τὸ τὴν ἀλήθειαν παρέχον τοῖς γιγνωσκομένοις καὶ τῷ γιγνώσκοντι τὴν δύναμιν ἀποδιδὸν, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν φάθι εἶναι, ὡς γιγνωσκομένην μὲν διὰ νοῦ, αἰτίαν δ' ἐπιστήμης οὖσαν καὶ ἀληθείας·* 1) *hoc igitur, quod iis quae cognoscuntur veritatem, et ei*

1) Locus in codd. sic legitur — *φάθι εἶναι, αἰτίαν δ' ἐπιστήμης οὖσαν καὶ*

qui cognoscit cognoscendi facultatem praebet, boni esse ideam dicito, quippe quae intellectu cognoscitur, caussa autem ipsa scientiae et veritatis est. Sic autem cum pulcra haec ambo sint, cognitio et veritas, aliud id esse et pulcrius etiam existimans, recte existimaveris. Scientiam autem et veritatem, ut illic visum et lucem ἡλιοειδῆ vocare, recte, ἥλιον vero vocare, non recte se habebat, ita hîc ambo haecce ἀγαθοειδῆ appellare oportet, ἀγαθὸν vero appellare neutrum oportet, sed majore etiam honore celebrare boni vim decet. — Immensam pulcritudinem narras, si scientiam et veritatem praebet, ipsum vero hisce pulcritudine praestat. Non profecto tu illud *voluptatem* dixeris. — Bona verba, quaeso.» 1)

Sublimia haec sane sunt, ut aegre Socratem assequatur Glauco. Ille vero altius etiam escendit. «Sic autem potius, inquit, *boni* imaginem considera. Solem adspectabilibus rebus, credo, non solum vim ut cernantur praebere dixeris, sed generationem etiam et incrementa et nutritionem; quum tamen ipse non sit generatio. — Quo enim pacto sit? — Sic intelligibiles res dicito non solum hoc a *bono* percipere, ut intelligantur, sed etiam, ut *sint:* οὐσίαν iis inde accedere: quamquam non οὐσία est *bonum*, sed hoc illi vi et nobilitate longe longeque praecellit. Hîc Glauco, ridiculum in modum exclamans, Ἄπολλον, inquit, δαιμονίας ὑπερβολῆς! Cui Socrates, tu vero, inquit, in culpa es, qui me coëgeris, quae videbantur mihi, dicere.» 2)

Ita illi. Nobis autem, ut haec, quamvis excelsa et sublimia, qualicunque ratione assequamur, idem de *bono* exquirendum singulatim videtur, quod de ideis universe quaesivimus, quo maxime hoc placitum Platonis pertineat. Intelligi id quodammodo ex historia philosophiae poterit. Nam persecuti posteri videntur, quod primum in his aggressus Plato est, quum de *finibus bonorum et malorum* sive de *summo bono* inquirebant. Sed rem a principio, ab ipso Socrate repetamus.

Duo haec fuerunt, quae frequentissime parens philosophiae in philosophando usurparet, τὸ καλόν τε καὶ ἀγαθόν, *pulcrum* et *bonum*, in primis vero *bonum*. Operam dare discipulos suos etiam atque etiam jubebat, ut de rebus pulcris et turpibus, maxime de bonis et malis quaererent: qui

ἀληθείας, ὡς γιγνωσκομένης μὲν διανοοῦ. Cui, utpote manifeste corrupto, medelam adhibiturus Stephanus, μὲν tollendum, Astius autem expungendam totam sententiam αἰτίαν — διανοοῦ censuit. Neutrum placet: nam ἀντίστροφος sententia iis est, quae de sole ac visu rebusque spectabilibus paullo ante dicta sunt: ἆρ' οὖν οὐ καὶ ὁ ἥλιος ὄψις μὲν οὐκ ἔστιν, αἴτιος δ' ὢν αὐτῆς, ὁρᾶται ὑπ' αὐτῆς ταύτης; Transpositione mihi videor locum integritati restituisse.

1) *De Rep.* VI. 506. D. — 509. A.

2) *Eod.* p. 509. B. C.

autem ad vitae honestatem virtutemque hoc ipso studio pervenerant, illos fere appellare *καλοὺς κἀγαθοὺς* solebat. Enarrarunt id nobis Socratici, Xenophon in *Memorabilibus*, in plerisque dialogis Plato, diligentissime autem studiosissimeque Xenophon, qui ipse nobis in scriptis omnibus germani Socratici, imo *ἀνδρὸς καλοῦ τε καὶ ἀγαθοῦ* expressa imago est. Itaque philosophi illi tam in hominibus laudandis, quos admirabantur, quam in commendandis studiis rebusque optimis, utrumque illud, et *pulcrum* et vero *bonum* celebrabant. Agatho apud Platonem, ubi amorem, qualis sit, exquisiturus descripturusque est, *pulcerrimum* enm et *optimum* esse, continuo dicit. *Φημὶ οὖν ἐγώ, πάντων θεῶν εὐδαιμόνων ὄντων, Ἔρωτα (εἰ θέμις καὶ ἀνεμέσητον εἰπεῖν) εὐδαιμονέστατον εἶναι αὐτῶν, κάλλιστον ὄντα καὶ ἄριστον.* Tum, specie laudata Dei, ad ejus virtutem procedit: *περὶ μὲν οὖν κάλλους τοῦ θεοῦ καὶ ταῦτα ἱκανά, καὶ ἔτι πολλὰ λείπεται· περὶ δὲ ἀρετῆς Ἔρωτος μετὰ ταῦτα λεκτέον.* Celebrans autem Amorem ut non *pulcerrimum* tantum Deorum, sed *optimum* etiam, virtutes ei principes tribuit: quae concludit hunc in modum: *οὕτως ἐμοὶ δοκεῖ Ἔρως, πρῶτος αὐτὸς ὢν κάλλιστος καὶ ἄριστος, μετὰ τοῦτο τοῖς ἄλλοις ἄλλων τοιούτων αἴτιος εἶναι.* 1) Poëtice haec quidem Agatho, ut tum animadvertimus, quum in philosophia pulcri versabamur, ipsiusque *pulcri* naturam explorabamus; 2) veruntamen ita laudat celebratque in his Amorem, ut, quid *bonum* Socratici, et quanto id *pulcro* praestantius habuerint, intelligatur; ipsam eo *virtutem* expresserunt. Sed vis et natura *τοῦ ἀγαθοῦ* postea apparuit maxime, postquam id Cynici, tandemque Stoici a pulcro et decoro, exemplo ipsi suo, vivendi philosophandique ratione, disjunxerunt. Nam apud germanos Socraticos sic illa conjuncta fuerant, ut nec pulcrum aestimarent, nisi quod bonum, nec bonum, nisi quod idem pulcrum esset. Unde virtutem vocare amabant *καλοκἀγαθίαν*. Sed Aristippus et Cyrenaici *τὸ καλόν*, Antisthenes et Cynici, e quorum secta Stoici exstiterunt, *τὸ ἀγαθὸν* unice, certe maxime prosecuti sunt: quod utrique et habitu moribusque et vero placitis prodiderunt: Cynici vero ac Stoici hoc ipso et prodiderunt et probarunt, quae esset *τοῦ ἀγαθοῦ* cum virtutibus, quas Agatho celebravit, maximis, cum sapientia, fortitudine, temperantia, justitia, omnino cum morali i. e. summa hominis perfectione conjunctio et quasi cognatio. Factum ita est, ut *bonum* illa secta, nec vero illa tantum, sed Academici pariter et Peripatetici, imo vero Epicurei, qui e Cyrenaicis fluxerunt, omnes igitur sectae *τὸ ἀγαθόν*, *bonum*, quod *summum bonum* appellabant, philosophiae argumentum omnium

---

1) *Symp.* 195. A. — 197. C.
2) *Initia* p. 93.

gravissimum haberent. Haec ubi reputaverimus, non mirabimur, credo, Platonem hoc loco *τὸ ἀγαθὸν* quid esset, tanto studio et ardore quaesivisse, eundemque, quum id *summum* in philosophia habitum sit deinde, effectus ejus, quos *τόκους* vocat, non vero ipsum describere sustinuisse. Sed pertinent haec eo, ut, quid spectaverit maxime sublimi hac disquisitione Plato, autumemus quodammodo et praesagiamus; ad declarandam vero eam haec teneantur.

Quaerentes Socratici de pulcro et bono, moribus solebant, magistri sui instar, prospicere, ut et suos emendarent et aliorum ipsiusque civitatis tam mores quam leges ad honestatis virtutisque ac justitiae normam componerent. Similiter Plato; sed is quum philosophando verum respiceret continuo et hoc homini in omni vitae negotio exprimendum esse in primis censeret, utrumque nobis illud, *τὸ καλόν τε καὶ ἀγαθόν*, tanquam exempla *ἐν τῷ ὄντι*, in mundo *νοητῷ* proposuit, ad quorum speciem perfectam et artes tractaremus et vero totam effingeremus vitae tam privatae quam publicae rationem. Porro, ut aequales ejus multi et posteri deinde, ita ipse *bonum* longe majore loco, quam pulcrum habebat: disserens autem de boni praestantia, et summam rursus habuit veritatis rationem, et *boni ideam* idearum esse principem dixit: quod quemadmodum accipiendum sit, in eadem disputatione nos docet Socrates. *Μέγιστον μάθημα* esse ait *τὴν ἀγαθοῦ ἰδέαν*, cujus quippe communione et justa et caetera omnia *utilia* fiunt. «Hac neglecta, inquit, etiamsi vel maxime caetera teneremus, scis sane nullam nos inde utilitatem capturos esse: sicut si possideremus aliquid, huic autem *bonum* non esset adjunctum. An vero prodesse nobis putas, omnia possidere, bonis carere: vel omnia mente tenere, nihil vero, quod pulcrum bonumque esset? — Non profecto equidem. — 1) Quid? nonne hoc manifestum, justa ac pulcra multos, quae viderentur, etiamsi non essent, tamen lubenter et facturos esse et possessuros; bona vero possidere, quae viderentur duntaxat, nemini sufficere, sed quae reapse sunt bona omnes quaerere: speciem in his contemnere unumquemque solere? — Et maxime sane. — Quod igitur consectatur animo omnis homo, cujusque causså agit omnia, augurans esse illud aliquid, dubitans tamen nec tenens satis quid sit, ac propterea de caeteris non assequitur, numquid utilitatis praebeant: de hoc igitur negotio, quod tale est tantumque, caecutire oportebit optimos illos in civitate viros, quibus omnia sumus commissuri? — Minime. — Reor equidem, custodi, qui justa et pulcra teneat, ignoret vero, qua ratione haec *bona* sint, non multi faciendam eorum cognitionem esse: si adeo, qui hoc ignorat, tenere illa possit; ego vero neminem auguror, hujus ignarum, illa assecuturum esse. — Et recte quidem augu-

1) *De Rep.* VI. 505. A. B.

raris. — Ergo tum demum perfectum in modum ordinabitur respublica, quum hujusmodi ei prospecturus custos sit, qui horum omnium teneat scientiam. — Ita necesse est.» 1) Patet ex hoc Socratis sermone, quare tam diligenter Plato tantaque sublimitate de eo, quod *bonum* est, de hoc *maximo*, quod vocat, *μαθήματι*, egerit. Ad rationem autem declarandam, singularem illam fere, qua de eo egit, totam hic animo philosophi de pulcro et bono doctrinam recolamus.

Haec ille rerum exempla prae caeteris omnibus in scriptis suis celebravit maxime: *pulcrum* in Phaedro et Symposio, in his de Republica libris et in Timaeo *bonum*; utrumque autem dispari ratione. Nam illud ita laudavit, ut, prouti supra nobis patuit, poësin oratio referret; 2) hoc vero, quemadmodum nunc videmus, ita, ut imagines pariter, nec minus sublimes illas, a poësi duceret, verum summam disquisitioni adhiberet disserendi diligentiam. Nec profecto mirum. Etenim ad *pulcrum* percipiendum animo, hominem censebat a tenera inde aetate per artes elegantiores, per musicam maxime et poësin informandum esse. Spirare igitur oratio ipsam poëseos sublimitatem debebat. Ad boni vero ideam aliam nobis monstravit viam, quaeque juvenibus ineunda tum esset, postquam artibus essent exculti satis: illa erat, quae accuratioribus tractandis disciplinis, maxime dialecticae studio conficeretur. Ad hanc autem describendam ipsarum requirebatur disciplinarum diligentia. Sed quamvis diversae sint apud Platonem de utraque idea disceptationes, par est in utrisque, ut monuimus, sublimitas. Ad illud enim referuntur pariter, quod in omni philosophia summum maximeque sublime est, ut veritatem assequamur. Per artes apud eum homo ad pulcri scientiam educitur, sed eo hoc valet, ut pulcri amore captus incensusque, eodem ardore caeteras ideas, et una cum iis, quod continent omnes, *verum* assequatur: disciplinis autem hoc ipsum munus tribuit Plato, ut ad verum, imo, quod maximum esse *μάθημα* in veri disciplina dixit, ad *bonum* nos ducerent. Verum sublimitas disputationis Platonicae de hoc argumento ab imaginum non tantum splendore, sed multo etiam magis ab ipsius diligentia repetenda est. Explicatio haec eorum est, quae supra de mundi adspectabilis et *νοητοῦ* discrimine diximus. 3) Illum speluncae comparavit, hunc ut qualis esset significaret, ab eodem adspectabili mundo formam et colorem duxit. Nunc *bonum* declaraturus, qua sit in rebus *νοητοῖς* excellentia, similiter et comparando utroque mundo et vero justo ordine procedit. Non accedit ad bonum, anteaquam

1) *De Rep.* VI. 505. D. — 506. A.
2) *Initia* p. 73 sqq. 95 sqq.
3) *Initia* p. 317 sqq.

accurate cum visui, quo cernimus omnia, τὸν νοῦν, tum rebus adspectabilibus, quas visu percipimus, τὰ νοητά, tum etiam luci, sine qua cerni adspectabilia non possunt, τὴν ἀλήθειαν atque ἐπιστήμην contulit. Sic demum, explicitis illis, lucis genitori, soli huic nostro, ideâ boni, quam spectabat maxime, comparatâ, hujus quae sit praestantia, augurandum nobis reliquit.

Juvabat ita ex ipso ducere Socratico fonte sublimem hanc Platonis de *bono* doctrinam, ipsumque ex auctoris mente et consilio explicare; sed restat nobis declarandum, quid illud sit, quod statuit, boni ideam, solis instar, caeteris ideis veritatem, tanquam lucem, affundere. Nam dicat fortasse aliquis, veritatem apud Platonem summo esse loco: hanc igitur esse, quae efficiat, ut pulcrum, justum ipsumque bonum id fiant quod sunt, et veri lumine luceant; non vero contra, boni ideam veritatis effectricem esse. Nec vero deerunt, credo, qui veritatis cum luce comparationem poësin magis, quam philosophiam decere contendant. Iterandum hîc nobis est, quod supra diximus, verum a Platone non ideis accenseri, acsi ita a pulcro et bono et justo distinguendum esset, ut haec a se invicem distinguuntur. 1) Veritatem igitur ideas ipsumque bonum illustrare, dicere non poterat philosophus. Sed addendum his illud est, quod in tota hac veri disciplina gravissimum videtur. Quod omni aevo quaesiverunt philosophi, quid *veritas* sit, comparando patefecit Plato. Opposuit ei id, quod *videretur*, non *esset;* quod vero *esset*, neque esse *videretur*, hoc verum dixit: qua in re, si minus philosophorum sententiam, at hominum usum et quasi vocem assentientem sibi habebat, qua apud Graecos id, quod *revera* pulcrum est, τῷ ὄντι καλὸν 2) appellare solebant. Itaque ideas ille verissima rerum exemplaria, τὰ ὄντα universe, singulatimque pulcrum et bonum, τὸ ὄντως ὂν καλόν τε καὶ ἀγαθὸν, quod τῷ ὄντι pulcrum aut bonum esset, vocavit. Effectrix igitur idearum non est veritas, sed ideae, quippe quae continent verum, veritatis nobis effectrices sunt. Quae cum ita sint, non mirabimur, opinor, luci Platonem, quae a sole diffunditur, veritatem, ipsique soli τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν, idearum omnium summam, comparasse. Intelligimus hinc item, quare ὑπερουράνιος ille in Phaedro τόπος *veritatis campus* vocetur: 3) idearum scilicet, imo veritatis, quae inde diffunditur, splendore lucet mundus ille. Quod autem procedit altius etiam philosophus, dixitque, prouti sol in mundo spectabili non solum ut cernantur, sed etiam ut fiant omnia, ut crescant,

1) *Initia* p. 133.
2) Belgice eodem modo dicitur *wezenlijk schoon.*
3) *Phaedr.* 248. B. C.

ut vigeant auctor est, ita in νοητῷ mundo boni ideam efficere, ut sint omnia, ut οὐσίαν habeant: poëtica haec sunt atque ex ardente, quo flagrabat philosophus, veri bonique amore profecta; veruntamen abest longe, ut pulcra quidem et elegans, sed inanis sit sententia. Si verum universis ideis commune est et sic quidem singulis φύσει proprium, ut, hoc demto, ipsae evanescant: si continent verum ideae verique luce mundum νοητὸν illustrant; verum autem nil aliud est, nisi quod *est:* quidni eas dicemus, in primis summam omnium, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν, id impertiri nobis, ut *sint?* Quodsi praeterea hoc tenemus, res omnes sive pulcras sive justas, ut statuit Socrates, nisi *bonae* sint, nullam magnopere nobis utilitatem praebere, quidni item de eadem illa τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέᾳ dicamus, solis illam instar cum caeteris ideis lumen affundere, tum omuibus omnino rebus non solum ut *sint*, sed ut *augeantur* in usum nostrum, ut *crescant*, ut *vigeant*, caussas esse? Talis igitur Platonis est, et sic videtur explicanda de *bono* sententia: cujus ideae quod nobis, tanquam τόκους, effectûs tradidit, ipsam vero tradere non ausus est, admiramur in eo philosophi verecundiam; sed eo minus committendum esse nobis censemus, ut summum illud in mundo νοητῷ, acsi ipsi teneremus, interius etiam, quam voluit Plato, inquirere conemur. Ipse scilicet de eo, quo nobis majus diviniusque appareret, tacere, quam parum dicere maluit.

Tantae non sunt profecto sublimitatis, quae post Platonem philosophi, Socratica illa et Platonica persecuti, de *summo bono*, sive, ut vocabant, *de finibus bonorum et malorum* prodiderunt. Quorum sententias Cicero diligenter diserteque, nec tamen Platonicae hujus disputationis, ut videtur, memor exposuit. Nam idem in hisce Platonem, quod Stoicos et Epicureos postea, spectasse, ex iisdem illis Socratis apud eum sermonibus patet. «Hoc autem, inquit, novisti sane, vulgaribus hominibus *bonum* ἡδονήν, elegantioribus φρόνησιν videri esse. — Quidni? — Tum etiam hosce, qui sic existimant de eo, declarare non posse, quae sit φρόνησις, sed cogi tandem fateri, τοῦ ἀγαθοῦ φρόνησιν esse. — Et perquam sane ridicule. — Quidni vero ridicule? quum vituperantes nos, quod ignoremus *bonum*, de *bono* rursus nobiscum, tanquam intelligentibus illud, loquantur? Ajunt enim *bonum* esse φρόνησιν ἀγαθοῦ: quasi noverimus, quid ipsi dicant cum τοῦ ἀγαθοῦ nomen pronunciant. — Vera loqueris. — Quid vero? qui *bonum* ἡδονὴν esse definiunt, numquid minus, quam illi, errant? nonne et hi coguntur fateri, *voluptates* esse malas? — Coguntur prorsus. — Evenit iis, credo, ut eadem et bona et mala esse fateantur: nonne? — Quidni? — Magnas igitur de iis multasque controversias esse, constat? — Constat.» 1)

1) *De Rep.* VI. 505. B. C.

Nolim ad hoc Platonis judicium sectarum, quae post eum exstiterunt, ipsiusque Ciceronis de summo bono placita quaerendique de hoc argumento rationem exigere: quamquam me fateor in disceptationibus illis, quas protulit Cicero, Platonis ἀκρίβειαν verique studium et ardorem desiderare. Veruntamen quamvis idearum doctrinam negligerent illi, id tamen spectarunt, quod conveniret cum illa, perfectum verumque bonum, id, quod, ut Cicero ait, *extremum et ultimum esset bonorum. Tale* id esse debere, secundum omnium philosophorum sententiam, idem dicit, *ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam.* 1) Et vero Zeno sic descripsit *bonum* illud *summum*, sic certe Cicero enm induxit describentem, ut cogitasse Platonis ideam atque expressisse Platonicum εἰλικρινὲς καὶ μονοειδὲς videatur. Sic enim Cicero: *Zeno id appellabat honestum, quod esset simplex quoddam et solum et unum bonum.* 2) Philosophi scilicet omnis deinceps aetatis, licet sublimia haec Platonis placita, sive improbantes ea, sive negligentes, sive non intelligentes satis, non adsciscerent philosophando, nihilominus exprimere Platonem qualicunque ratione conati sunt. *Bonum* dixerunt fere, plane ut Plato, rerum omnium optimarum fontem unicum: alii, quod τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέᾳ tribuerat Plato, id ipsi Deo tribuerunt, quum Deum celebrarent universitatis auctorem et altorem, cui omnia, ut essent, ut crescerent, ut vigerent, deberent unice: vere quidem hi justeque et debite Deum celebrantes, sed Platonis de bono sententiam interpretantes perverse. Non magis hi Platonis de Deo, qnam illi ejusdem de vero placita assecuti sunt: quippe in boni idea *veritatem* ille, in Deo *ipsius veritatis παράδειγμα*, sive, quod nos appellamus, *ideale* agnovit adoravitque maxime. Quorum illud, quale sit, jam percepimus, ni fallor, satis: hoc, utpote argumentum argumentorum omnium summum et gravissimum, tum demum nobis, postquam ab aliorum sententiis Platonicas segregaverimus, datâ operâ explicandum erit.

Nam vereor, ut quae hactenus de mundo νοητῷ ex ipsius philosophi scriptis attulimus, eo valeant satis, ut, quod maxime spectamus, evidens nobis plane et clara ejus doctrina sit. Non quasi ipsa haec doctrina obscura sit — mihi nihil esse simplicius evidentiusve videtur: nam continet simpliciter veri et falsi, certi et probabilis, scientiae et opinionis discrimen — sed propterea, quod conturbata Platonis philosophia immixtis dissimilibus aliorum placitis est. Exstitit post Platonem philosophus, Aristotelem dico, qui *sapientiam* doceret, doctrinam *supra naturam*, ὑπὲρ τὰ φυσικὰ, escendentem 3) — *metaphysicam* vocarunt posteri —

1) Cic. *de Fin.* I. 9.
2) Id. *Acad.* I. 10.
3) Aristot. *Metaph.* III. 3. p. 53.

quae antiquo, sed multo magis etiam recentiore aevo invaluit: sic autem invaluit tantamque nacta auctoritatem est, ut *ipsa* diceretur *philosophia* esse, ad ejusque principia et rationem nullius non philosophi, paullo quidem sublimioris, doctrina exigeretur, ac Plato una cum caeteris in metaphysicis censeretur. Id, si quid, philosophiam Platonicam, quamvis perspicuam et simplicem, obscuram reddidit, effecitque ut doctrina philosophi de mundo *νοητῷ*, de ideis, de hac in primis boni idea, aegre nobis etiamnunc, quippe nondum satis, quidquid Kantius molitus est, a philosophia metaphysicam distinguentibus, intelligatur. Nos, quo magis placita Platonis de ideis lectoribus pura et integra proponeremus, a Cartesianis illa placitis, quin etiam a Kantianis, quibuscum conveniunt maxime, discrevimus. Quodsi ejusdem universam de mundo *νοητῷ* doctrinam animo nostro pariter puram et integram repraesentare velimus, pari hanc diligentia ab Aristotelis metaphysica discernere oportebit. Sic demum sublimem Platonis de Deo sententiam intelligemus recte, hoc item intelligemus, ad quod modo accessimus, non Deum apud eum boni ideam esse, sed ad hanc ideam Deum mundum formasse.

Discernere haec placita Platonis ab Aristotelis metaphysica oportet.

Altius evolare hominem, quam ipsius fert natura, vetus est nec injusta prorsus, a poëtis non minus quam a philosophis frequentata querela:

Nil mortalibus arduum est:
Coelum ipsum petimus stultitiâ — 1)

Et constat, rerum exquirendarum difficultate non tantum non absterritum fuisse omni aevo, sed excitatum adeo ingenium humanum, ut, quo quid esset excelsius, quo item ad rite cognoscendum difficilius, eo magis adverteret humani generis studia. Cujus rei documentum est insigne eadem illa, quam memoravimus modo, *metaphysica*, caussarum, ut vulgo habita est, scientia, qua tractanda sic homo se annisus est in altum extollere, sic sibi summum attigisse visus est, ut, repertis, quas somniabat, rerum omnium caussis, esse negaret mundi opificem divinum, ipse fingeret ingenio componeretque mundum. Qua sane vanitate nil fuit unquam, nil esse potuit, quod philosophiae existimationi ipsiusque studiis obesset magis. Quid hac in caussa de Platone affirmandum sit, multi pronunciarunt, nobis vero haud facile videtur dijudicatu. Socratis fuit discipulus, nec subtilitate eum solummodo, sed modestia

1) Horat. *Od.* I. 3. 37.

etiam, magistrum retulisse, ipsi vidimus; 1) sed vidimus item, haud facile potuisse philosophum altiora petere. Placitis his ipsis de ideis, praecipue de *bono*, quid unquam philosophi sublimius excelsiusque prodiderunt? Aberat idem longe ab eorum sententia, qui deos esse divinamque providentiam negarent: quantum abfuerit, testes sunt ipsius dialogi, Politia, Leges, in primis Timaeus: sed hoc dialogo, ipso Timaeo, sic Deum videri possit informasse, ut per hanc caussam, ipsius ingenio descriptam, ipse ordinaret omnia: qualem fuisse novimus plerorumque recentiore aetate philosophorum metaphysicam. Caeterum tametsi ille in scriptis suis nec *metaphysicam* nec *caussarum sufficientium*, quam vocant, *scientiam* memoraverit, tamen in mundum escendit νοητὸν, quod idem fecerunt Aristoteles et metaphysici, viderique iccirco possit, si minus nomine, reapse metaphysicam tradidisse. Quid igitur? Altiusne item Platonem, quam philosophum decebat, evolasse dicamus? Digna res profecto diligentiore disceptatione est: nec solum ad doctrinam Platonis de mundo νοητῷ deque ideis a metaphysicorum decretis distinguendam, sed hujus item quaestionis gravissimae caussâ, Aristotelis hîc nobis doctrina exponenda videtur. Quod autem supra *dialecticae* Platonicae caussâ fecimus, ut apponeremus ei Aristotelis syllogisticam, id nunc, age, denuo, ad universam *veri philosophiam* Platonis declarandam, instituamus. Apponamus ei, quo propria ipsius virtus elucescat magis, metaphysicam Aristotelis.

De metaphysices apud Graecos originibus.

Latuerunt hae diu in Ionicorum aliorumque philosophorum studiis ac doctrinis. Quaesiverunt illi fere de rebus physicis, studioseque earum caussas remotissimas primasque explorarunt. Nam innatum hominis animo studium exquirendi est, undenam quae videt, quae audit, omnino quae percipit sensibus, exstiterint: quod in parvulis patet, singula, cur ita se habeant, sic acciderint, sciscitantibus. Sed philosophi illi, quippe *philosophi*, imo *sapientes*, altius spectantes, considerantesque et siderum motus et solis lunaeque cursum et rerum universarum vicissitudines ac naturam, horum omnium ultimas caussas investigarunt. Quod apud antiquos jam Phoenices aliosque Orientis populos factitaverant sapientes: unde θεογονίαι et κοσμοποῖαι exstiterunt. Graeci autem in ipsa rerum natura caussas omnium indagantes, vel στοιχεῖα, elementa naturae quae vocantur, attenderunt maxime, quorum aliud alii caussam rerum naturalium primariam habuerunt: vel ἀτόμους, ut Leucippus et Democritus, finxerunt. Exstabant igitur in his quodammodo metaphysicae

1) *Initia* p. 327.

origines: quamquam latebant adhuc, necdum ipsa metaphysica exstiterat. Propius ad eam processit Ionicorum princeps, idemque Socratis si minus praeceptor, dux certe ad sublimiora, Anaxagoras, qui supra naturam sese resque adspectabiles erigens, *νοῦν* frequentaret sermonibus scriptisque suis, diceretque primum *πάντα ὁμοῦ* fuisse, tum vero *νοῦν* prodiisse atque ordinasse omnia. *Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ· εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε.* 1) Veruntamen in placitis illis cunctis, in ipsius Anaxagorae sublimi hoc effato, initia video metaphysicae, ipsam doctrinam, quae deinde hoc nomine celebrata est, nondum video. Multis demum annis post, quum Socrates et Plato novam philosophandi rationem induxisseut, profectus e Platonis schola Aristoteles, ejusdemque cum placitis imbutus de rebus *νοητοῖς*, tum dialectica exercitatus, caussarum investigationem ad disciplinae normam adegit atque ad mentem retulit hominis. Sic demum prodiit apud Graecos proprie sic dicta *metaphysica*. Nam priores illi, quod ipse ait disciplinae auctor, dialecticam nondum tenebant. *Οἱ γὰρ πρότεροι διαλεκτικῆς οὐ μετεῖχον.* 2) Scilicet, ut idem judicat, balbutiebat adhuc philosophia: *ψελλιζομένη γὰρ ἔοικεν ἡ πρώτη φιλοσοφία περὶ πάντων, ἅτε νέα τε καὶ κατ' ἀρχὰς οὖσα.* 3) Erant quidem, ait, qui, ut Anaxagoras, eximia proderent placita, sed casu illi vel ingenii impetu, non ratione disserendique diligentiâ eo pervenerant. Comparat eos militibus, qui, nondum exercitati gymnastica aut armis, recte subinde hostem feriunt. Faciunt, ait, *οἷον ἐν ταῖς μάχαις οἱ ἀγύμναστοι ποιοῦσι· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι περιφερόμενοι, τύπτουσι πολλάκις καλὰς πληγάς· ἀλλ' οὔτε ἐκεῖνοι ἀπὸ ἐπιστήμης, οὔτε οὗτοι ἐοίκασιν εἰδόσι λέγειν ἃ λέγουσι.* 4) Quod in Anaxagoram adhibet, quem parum sibi constitisse dicit: *μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιΐαν· καὶ ὅταν ἀπορήσῃ, διὰ τίν' αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἐστί, τότε ἕλκει αὐτόν· ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις πάντα μᾶλλον αἰτιᾶται τῶν γινομένων ἢ νοῦν.* 5)

Quid Platoni debuisse Aristoteles, ad metaphysicam tradendam, videtur?

Etsi vero hae sunt habendae metaphysices apud Graecos origines, minus tamen Aristoteles ad eam explicandam Ionicis philosophis debuisse,

---

1) Diog. Laërt. II. 6. Plato *Phaed.* 97. C. Cf. Valck. *Diatr.* p. 40.
2) Arist. *Metaph.* I. p. 16. Ed. Sylb.
3) Id. *eod.* p. 27.
4) Id. *eod.* p. 10.
5) Id. *eod.*

quam Socrati et Platoni videtur. Debuit his dialecticam, sine qua, quod ipse affirmat, tractari illa recte non poterat. Plato autem viam ipsi praeiverat, ut per dialecticam in mundum νοητὸν, quin etiam ad principia ἀνυπόθετα escenderet. Quid? quod et Socrates et Plato de caussis sive principiis rerum diligenter quaesiverant et Anaxagorae placita exploraverant studiose. Narrat id de sese apud Platonem Socrates in Phaedone: unde ipsius Platonis studium patet. «Ἐγὼ γάρ, inquit, ὦ Κέβης, νέος ὤν, θαυμαστῶς ὡς ἐπεθύμησα ταύτης τῆς σοφίας, ἣν δὴ καλοῦσι περὶ φύσεως ἱστορίαν· ὑπερήφανος γάρ μοι ἐδόκει εἶναι εἰδέναι τὰς αἰτίας ἑκάστου, διὰ τί γίγνεται ἕκαστον καὶ διὰ τί ἀπόλλυται καὶ διὰ τί ἔστι· *equidem, o Cebes, cum essem juvenis, mira quadam ejus sapientiae cupiditate flagrabam, quam naturae vocant historiam: praeclarum enim esse censebam, caussas intelligere, quibus et fierent singula et interirent et essent.*» 1) Sic exorsus, quemadmodum ipsi hoc studium cesserit, enarrat. Tum pergit: «sed cum audissem aliquando quendam ex libro, ut ajebat, Anaxagorae legentem sententiam hancce, ὡς ἄρα νοῦς ἐστιν ὁ διακοσμῶν τε καὶ πάντων αἴτιος, *mentem esse, quae ordinasset omnia omniumque esset caussa*, hac ego caussa vehementer sum delectatus, visumque mihi est, recte se id quodammodo habere, mentem rerum omnium caussam esse: arbitrabar autem, si ita se res haberet, ut mens ordinans ordinaret omnia, singula etiam eandem sic disponere, ut optime se haberent. Quamobrem, ubi vellet aliquis caussam invenire, qua singula fiant aut pereant aut sint, hoc ipsum esse inveniendum, qua ratione optimum sit unicuique aut esse aut facere quodvis aut pati: hoc autem pacto nil aliud hominem considerare aut de se aut de aliis oportere, nisi quod potissimum sit et optimum: caeterum eundem item quod pejus esset cognovisse: utriusque enim eandem scientiam esse. Haec igitur reputans mecum, gaudebam, invenisse me magistrum ratus, qui mihi caussas τῶν ὄντων κατὰ νοῦν, e sententia, traderet, Anaxagoram.» 2) Quibus enarratis, pulcerrima spe excidisse se fatetur. «Ἀπὸ δὴ θαυμαστῆς, ὦ ἑταῖρε, ἐλπίδος ᾠχόμην φερόμενος, ἐπειδὴ προϊὼν καὶ ἀναγιγνώσκων ὁρῶ ἄνδρα τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον, οὐδέ τινας αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πράγματα, ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας καὶ ὕδατα αἰτιώμενον καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ ἄτοπα· *admirabili autem spe, amice, excidi quum pergens legendo virum viderem mente nullo modo uti nec caussis menti con-*

---

1) *Phaed.* 96. A.
2 *Eod.* 97. B. C. D.

gruis ad res ordinandas, sed aëre, aethere, aquis, aliisque multis et ineptiis.» 1)

Perlecto memorabili hoc Platonis in Phaedone loco, existimet fortasse aliquis, quod Anaxagoras philosophando spectavit nec perfecit, id persecutos deinde Socratem ac Platonem fuisse, Aristotelem vero demum, metaphysicâ tradendâ, perfecisse. Et sane idem hic, quod illi, in Anaxagora reprehendit, ut ex ipsius sententia modo prolata patet. Qua factum opinione est, ut, si minus Socrates, Plato certe omni aevo in metaphysicis philosophis habitus sit. Nos igitur, ut rem recte aliquando dijudicemus, qualis illa tandem Aristotelis metaphysica sit, ex ipsius scriptis exploremus.

De metaphysica Aristotelis.

Perfecit Aristoteles, non quod spectaverint ac persequi studuerint Socrates ac Plato, sed illud scilicet, quod Anaxagoras inchoaverat, illi vero improbaverant. Quam nobis descriptam reliquit doctrinarum principem, *investigatio caussarum* est, *quibus et facta sint omnia et fiant perpetuo.* Simplici nos illuc et ferme dixerim Socraticâ ratione ducit. Omnes homines, ait, *φύσει ὀρέγονται τοῦ εἰδέναι, naturâ avent cognoscere:* quod in brutis adeo animantibus patet. Sensibus ad cognoscendum utuntur: avent degustare aliquid, audire, videre: visu autem ut valent maxime, ita maxime oblectantur. Sed homo his praestat memoriâ: unde experientia: praestat in primis cum *arte*, quae experientiae proles est: *ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν*, ut recte pronunciat Polus, *ἡ δ'ἀπειρία τύχην·* tum etiam, et maxime quidem, *ratione* et *scientiâ:* idem vero in omni cognoscendi studio id exquirit praesertim, unde res exstiterint singulae, sive, quae caussae, quae principia rerum sint. Hac autem in re potissimum homo homini praestat. Peperit scilicet admiratio philosophiam, philosophia autem efficit, ut mirari desinamus: quod caussarum scientiae debemus. 2) Hac nos facili ac perspicuâ ratione Aristoteles, cujus nativam simplicitatem Socrati ac Platoni debuit, ad sublimia illa et summa adducit, quae cognoscenda esse philosopho statuit, ut idem dici *σοφὸς* possit, i. e. ad rerum omnium, tam divinarum quam humanarum *τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς αἰτίας ἀκροτάτας* perveniat, e quibus sibi res ipsas singulas singulatim explicet. Verum princeps haec doctrina qualis tandem est? unde in primis hanc prae-

---

1) *Phaed.* 98. B. C. Duxit inde verbotenus sua de eadem re Aristoteles loco, quem modo descripsimus.

2) Arist. *Metaph.* I. init.

stantiam habet? quo est proposito tractanda? Id e *theoreticarum* apud Aristotelem, quas vocat, doctrinarum natura declarandum est.

Nam duplex est apud eum doctrinarum genus, quarum alterum continet, quotquot praeparant ad veritatem et scientiam: *organicae* appellantur vulgo, in quibus sunt dialectica, rhetorica, poësis: tractantur illae *ἁπλῶς, ἐνδόξως, πιθανῶς, κοινῶς*· alterum vero genus majores illas, *τὰς θεωρητικὰς* complectitur: in his *ἀκριβῶς, κατ' ἀλήθειαν, κατὰ φύσιν, θεολογικῶς* agitur. 1) Sunt autem illae tres, quarum haec, quam quaerimus, caussarum scientia, summa est. *Ὥστε τρεῖς ἂν εἶεν φιλοσοφίαι θεωρητικαί, μαθηματική, φυσική, θεολογική.* 2) *Theologicam* vocat, quod ad divina refertur maxime, quippe quidquid primum et summum est exquirens. *Καὶ γὰρ καθάπερ ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις φιλοσοφήμασι περὶ τὰ θεῖα πολλάκις προφαίνεται τοῖς λόγοις, ὅτι τὸ θεῖον ἀμετάβλητον ἀναγκαῖον εἶναι πᾶν τὸ πρῶτον καὶ ἀκρότατον.* 3) Tum vero hoc nomine propterea eam vocat, quod honoratissimum omnium est. *Οὐ γὰρ ἄδηλον, ὅτι, εἴπου τὸ θεῖον ὑπάρχει, ἐν τῇ τοιαύτῃ φύσει ὑπάρχει· καὶ τὴν τιμιωτάτην δεῖ περὶ τὸ τιμιώτατον γένος εἶναι· αἱ μὲν οὖν θεωρητικαὶ τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν αἱρετώτεραι, αὕτη δὲ τῶν θεωρητικῶν.* 4) Posteri hanc *μεταφυσικὴν* appellarunt, quod *μετὰ τὰ φυσικὰ* tractatur, imo *ὑπὲρ τὰ φυσικά.* 5) *Ἔστι γὰρ ἔτι τοῦ φυσικοῦ τὶ ἀνωτέρω.* 6) Aristoteles autem eam, ut *θεολογικήν*, ita proprie *τὴν πρώτην φιλοσοφίαν* vocavit: quod cujusmodi sit, ex ipsis philosophi verbis efficiendum est nobis. *Ἀπορήσειε γὰρ ἄν τις, πότερόν ποθ' ἡ πρώτη φιλοσοφία καθόλου ἐστίν, ἢ περὶ γένος καὶ φύσιν μίαν· οὐ γὰρ ὁ αὐτὸς τρόπος, οὐδ' ἐν ταῖς μαθηματικαῖς, ἀλλ' ἡ μὲν γεωμετρία καὶ ἀστρολογία περί τινα φύσιν ἰδίαν εἰσίν, ἐκείνη δὲ καθόλου πασῶν κοινή· εἰ μὲν οὖν μή ἐστί τις ἑτέρα οὐσία παρὰ τὰς φύσει συνεστηκυίας, ἡ φυσικὴ ἂν εἴη πρώτη ἐπιστήμη· εἰ δέ ἐστί τις οὐσία ἀκίνητος, αὕτη προτέρα καὶ φιλοσοφία πρώτη.* 7) Talis igitur illa summa scientia est, quam identidem, nec immerito *σοφίαν*, *sapientiam ipsam* appellat. Quodsi usus ejus ac propositum quaeritur, *θεωρητική* est et *θεωρητικῶν* adeo *φιλοσοφιῶν* princeps: quocirca usum et utilitatem non magnopere

1) Loca Aristotelis, quibus haec occurrunt, notavit Buhle *de libris Arist. exot. et acroam.* (Ed. Arist. I. p. 142, 143.)
2) Arist. *Metaph.* V. p. 99.
3) Id. *De Coelo.* I. p. 25.
4) Id. *Metaph.* V. p. 100.
5) Vid. Wyttenb. *Instit. Metaph.* p. 5.
6) Arist. *Metaph.* III. p. 53.
7) Id. *eod.* V. p. 100.

spectat aut requirit: hinc autem in primis praestantiam habet. Quod item nobis ille Socraticâ et Platonicâ ratione explicabit.

Studium illud cognoscendi, ait, tam brutis animantibus, quam homini naturâ inditum, ejusmodi est, ut non quaerat utilitatem, ipsum semet contentum sit. *Χωρὶς τῆς χρείας* animalia omnia audire aliquid et videre gestiunt: pariter homo; sapiens vero, missâ omni utilitatis spe, rerum scientiam *ipsius scientiae* caussâ appetit. Id scilicet sapientiae proprium est. *Τὸ γὰρ αἰσθάνεσθαι, πάντων κοινὸν· διὸ ῥᾴδιον, καὶ οὐδὲν σοφὸν· ἔτι τὸν ἀκριβέστερον καὶ τὸν διδασκαλικώτερον τῶν αἰτίων, σοφώτερον εἶναι περὶ πᾶσαν ἐπιστήμην· καὶ τῶν ἐπιστημῶν δὲ τὴν αὐτῆς ἕνεκεν καὶ τοῦ εἰδέναι χάριν αἱρετὴν οὖσαν, μᾶλλον εἶναι σοφίαν ἢ τὴν τῶν ἀποβαινόντων ἕνεκεν.* 1) Itaque postquam artes omnes ad vitam utiles et necessariae inventae sunt, tandem excoli doctrinae coeperunt: quae eo majore habitae loco sunt, quo minus spectabant utilitatem, iisque in regionibus excultae sunt maxime, in quibus otium erant nacti sapientes. Iccirco in Aegypto mathematicae artes constiterunt: illic enim otiari licebat sacerdotum genti. Nec vero mirum. Illa enim magis sapientia habenda est, quae imperat ipsa, quam quae aliis obtemperat: non oportet *ἐπιτάττεσθαι τὸν σοφὸν, ἀλλ' ἐπιτάττειν, καὶ οὐ τοῦτον ἑτέρῳ πείθεσθαι, ἀλλὰ τούτῳ τὸν ἧττον σοφόν.* Patet igitur, *ὡς δι' οὐδεμίαν αὐτὴν ζητοῦμεν χρείαν ἑτέραν, ἀλλ' ὥσπερ ἄνθρωπός φαμεν ἐλεύθερος ὁ αὐτοῦ ἕνεκα καὶ μὴ ἄλλου, οὕτως καὶ αὐτὴ μόνη ἐλευθέρα οὖσα τῶν ἐπιστημῶν· μόνη γὰρ αὕτη αὑτῆς ἕνεκέν ἐστιν.* Ergo recte aliquis in hominem non cadere ejus possessionem dixerit: *πολλαχῇ γὰρ ἡ φύσις δούλη τῶν ἀνθρώπων ἐστίν·* veruntamen non invidet hominibus Deus, neque aliam nos decet majore honore habere: *ἡ γὰρ θειοτάτη καὶ τιμιωτάτη.* 2) Sed de natura et excellentia divinae hujus scientiae diximus: de ejus fine sic disserit auctor.

Per admirationem homines et nunc et primum philosophari coeperunt. ac principio quidem admirando quae obvia sunt: deinde paulatim ulterius procedentes, de majoribus dubitant, veluti de vicissitudinibus lunae, solis, stellarum, deque universi generatione. Qui vero dubitat atque admiratur, putat se ignorare: quare philosophus quodammodo *φιλόμυθος* est: *μῦθος* enim mirabilibus constat. Quocirca si propter fugam ignorantiae philosophati sunt homines, patet, cognoscendi eos caussâ scientiam prosecutos. 3) Et sic quidem peperit philosophiam admiratio. Ut vero in omni disquisitione id nobis extremum est, quod

1) Arist. *Metaph.*. I. p. 4.
2) Id. *eod.* p. 3 — 6.
3) Id. *eod.* p. 5.

ipsius est initiis contrarium, ita philosophia efficit, ut ne quid miremur: quod caussarum scientiae debemus. In physicis, cur sol convertatur, in mathematicis, cur metiri diametrum non possimus, admiramur continuo; exploratâ autem e coeli et circuli ratione utriusque rei caussâ, nil admiraremur magis, quam, si nec converteretur sol et metiri diametrum possemus. Pariter in rebus ludicris. Imagunculas, quae sponte moventur, spectans vulgus obstupescit: non ita is, qui motuum caussas ex arte mechanica tenet: contra, si non moverentur illae sponte, tum demum hic admiraretur et obstupesceret. Ex hac Aristotelis disputatione, quo valeat illa caussarum scientia, intelligitur. Stoici inde celebratissimum illud *nil admirari* duxerunt: unde Horatius:

Nil admirari, prope res est una, Numici,
Solaque quae possit facere et servare beatum. 1)

Sed hi illud ad vitae virtutisque constantiam retulerunt; Aristoteles vero ipsam plane spectasse Dei sapientiam censendus est.

Summae profecto est et divinae adeo sublimitatis haec Aristotelis doctrina: cujus auctoritati consentanea plane est, quam in dialecticis exposuit, *συλλογιστική*, probandi asseverandique ratio. Veruntamen, quod de hac diximus, 2) idem nunc animadvertendum de divina illa scientia est, adumbrasse eam auctorem, ejusque naturam et propositum indicasse ac descripsisse, ad philosophiam vero colendam non usurpasse. Id post eum Scholastici fecerunt philosophi, qui cum theologia philosophiam confundebant: fecerunt item, qui instaurare recentiore aetate philosophiam studuerunt: ipsam hi philosophiam *caussarum sufficientium scientiam* vel *scientiam rerum possibilium* appellarunt; non fecit Aristoteles. Opus, quo hanc doctrinam tradidit, illic explicit, ubi usurpaturus eam ad tractandam philosophiam auctor videtur. Quod mirati multi sunt recentiore aetate; 3) non vero erat, cur mirarentur. Nam quamvis et syllogisticae esset et metaphysicae auctor Aristoteles, e Platonis prodierat schola, ubi adhibere ad recte excolendam philosophiam resque naturales explicandas analyticam rationem didicerat. Quam ille methodum in scriptis fere suis de rerum natura secutus est, nec vero tum neglexit, quum hanc proponere cum dialecticam novam, tum caussarum scientiam studebat. Quod autem hanc ipsam scientiam attinet, quaesivit, quid in veritatis studio summum esset, abest vero multum, ut illud sibi attigisse visus sit. Ut eam ab initio adumbravit universam, subjicit: *τίς μὲν οὖν ἡ φύσις τῆς ζητουμένης ἐπιστήμης, εἴρηται.* 4)

1) Horat. *Ep.* I. 6. 1.
2) Cff. *Initia* p. 246.
3) Vid. Fülleborn *Beytr. zur Gesch. der Philos.* Vol. V. p. 215.
4) Arist. *Metaph.* I. 6.

Quaerebat scientiam illam, non tractabat. Fecit omnino, quod idem Socratici, quod Xenophon et Plato fecerant, quum perfectam ille monarchiam, hic rempublicam describeret: sic ille scientiam, quae mathematicae, quae physicae, quae caeteris praestaret omnibus, cum quaesivit, tum in opere *περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικά* adumbravit ac descripsit.

Sed quamvis ab usurpanda tractandaque hac divina scientia abstinuerit Aristoteles, sic ipse ejus splendore captus et occoecatus ferme est, ut vix ullius philosophi de rebus intelligibilibus sententiam perspiceret recte, placita certe cum caeterorum, tum ipsius adeo magistri sui ad hujus scientiae normam interpretaretur. Nam idem caussarum exquirendarum studium, quod Ionicis philosophis ac Leucippo et Democrito attribuerat, Pythagoreis pariter atque Eleaticis, imo Platoni obtrusit: quasi *numeris* illi placitisque de eo quod *est*, quasi *ideis* Plato rerum caussas significasset: quod demonstrare accurate, adductis ex ipso Platone locis, in eodem hoc de *metaphysica* opere conatus est. 1) Simile quodammodo ante Aristotelem Protagorae negotium fuerat, qui sic sophisticae parens, ut is metaphysicae dictus habitusque est. Antiquam hic artem sophisticam dixerat, nec solum a philosophis, sed a poëtis, ab Homero, ab Hesiodo, a Simonide, quin etiam ab Orpheo et Musaeo, pariterque a musices et gymnastices magistris ad generis humani cultum adhibitam esse. 2) Sic Aristoteles, quo ipse tendebat unice, eodem omnes ante ipsum philosophos contendisse, quodque invenerat ipse vel invenisse sibi videbatur, id omnes quaesivisse omni aevo, opinabatur. Nocuit autem ita veterum philosophorum interpretationi vehementer, tum vero, ut aegre a posteris fereque perverso modo acciperentur Platonis placita, idem effecit maxime. Quo magis nobis, ut fecimus, tota proponenda ejus metaphysica videbatur, ut recte ab illa Platonicam philosophiam distingueremus.

Doctrinae Platonicae et Aristotelicae discrimen.

Juvenis omnino Socrates, ut de sese apud Platonem fatetur, admiratus Anaxagorae doctrinam est, quaeque inde de *mente* perceperat et tum amplexus avide est et probavit postea; caussarum vero illam et disquisitionem et explicationem non probavit. Nec aliter visum sibi fuisse, ipse Plato in eodem illo Socratis sermone enarrando, declaravit satis. Nam quod de caussis illic quaerentem Socratem inducit, *τύπους* rerum, non, ut Aristoteli placuit, rerum proprie sic dictas caussas intellexit. Sed ipsum audiamus Socratem. « Dejectus igitur, inquit, mirifica illa spe, rejectâque Anaxa-

1) Arist. *Metaph.* I. p. 10. 12. 15.
2) Plato *Protag.* 316. D.

gorae de caussis doctrinâ, ad illa me denuo *τὰ πολυθρύλλητα* converti, esse statuens pulcrum aliquod ipsum per se et bonum et magnum, indeque *τῆς αἰτίας τὸ εἶδος, ὃ πεπραγμάτευμαι, quales* caussas intelligam, assequeris. Vide igitur, o Cebes, consequentia, num de his consentias mecum. *Φαίνεται γάρ μοι, εἰ τί ἐστιν ἄλλο καλὸν πλὴν αὐτὸ τὸ καλὸν, οὐδὲ δι' ἓν ἄλλο καλὸν εἶναι, ἢ διότι μετέχει ἐκείνου τοῦ καλοῦ· καὶ πάντα δὴ οὕτω λέγω· τῇ τοιᾷδε αἰτίᾳ ξυγχωρεῖς; — Ξυγχωρῶ· videtur enim mihi, si quid aliud pulcrum est praeter ipsum pulcrum, non propter aliam caussam quamlibet pulcrum esse, quam propterea, quod illius pulcri particeps est, atque idem de caeteris omnibus dico. Hujuscemodi autem caussam probas? — Probo equidem.* Reliquas caussas, quas crepant sapientes, nondum capio nec possum cognoscere; sed, ubi quis pulcrum aliquid esse dixit, siquid sive colorem habet sive formam elegantem sive aliud quodvis talium, valere haee jubeo: perturbor enim in hisce; *τοῦτο δὲ ἁπλῶς καὶ ἀτεχνῶς* 1) *καὶ ἴσως εὐήθως ἔχω παρ' ἐμαυτῷ, ὅτι οὐκ ἄλλο τι ποιεῖ αὐτὸ καλὸν ἢ ἡ ἐκείνου τοῦ καλοῦ εἴτε παρουσία εἴτε κοινωνία εἴτε ὅπῃ δὴ καὶ ὅπως προσγενομένη· οὐ γὰρ ἔτι τοῦτο διϊσχυρίζομαι, ἀλλ' ὅτι τῷ καλῷ πάντα τὰ καλὰ γίγνεται καλά· id vero simpliciter, ingenue et fortasse imperite teneo, nihil aliud rem ullam pulcram efficere, nisi ipsius pulcri sive praesentiam sive communionem sive ubicunque et quomodocunque illud accesserit, hoc non discerno: sed, pulcro pulcra omnia pulcra fieri, contendo.*» 2) Hinc orsus Socrates, ut hactenus de pulcro, ita deinceps de magnitudine, de qualitate et quantitate disserit. Pariter ab his, ait, a speciebus perfectis, res magnae et parvae, quaeque paris et imparis sunt numeri, nomen habent, quippe specierum illarum participes. *Τύποι* igitur rerum, ut modo diximus, hae apud Platonem sive caussae sive ideae sunt. Quod hinc intelligitur maxime. Carmina is in civitatem perfectam illa duntaxat admisit, quae *τύπον* haberent boni et justi. 3) In his *bonum* et *justum* non ita proprie, ut accepit Aristoteles, caussae sunt, quibus efficiatur, ut optima sint in civitate carmina, sed ideae, sed exempla perfecta sunt, quae intuentes poëtae imitando studuerunt exprimere. Participia omnino boni justique carmina sic erunt, ut expressae in cera imagines *τοῦ τύπου* sunt participes, qui in signo est, unde sunt expressae. Quae recte discrevisse, non levis certe momenti res est. Caussas ita rerum non in rebus, sed in homine quaerimus Pulcerrimae exstiterunt Phidiae statuae, non quia in rerum natura per-

---

1) Legendum *ἀτέχνως*, quod unice vocibus *ἁπλῶς* et *εὐήθως* convenit.

2) *Phaed.* 100. C. D.

3) *De Rep.* II. 380. C. 383. A.

fecta sunt pulcri exempla, sed hanc ob caussam, quod *speciem pulcritudinis eximiam quandam intuens in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat.* Id melius Cicero, cujus haec sunt verba, 1) quam Aristoteles perspexit. 2) Sed Cicero scilicet non scientiam caussarum habebat, quam tueretur ac commendaret unice.

Intelligere hinc magnam partem licet Platonicae doctrinae et Aristotelicae discrimen; sed, quo magis comparando ipsius assequamur Platonis de mundo *νοητῷ* deque ideis sententiam, hoc animadvertendum deinceps est. Mundum adspectabilem sive physicum Aristoteles in *νοητὸν* mundum transtulit. Plato contra in hunc traduxit philosophum, ut de rebus adspectabilibus et physicis recte judicaret. Nam persequens Aristoteles, quod inchoaverant Ionici, rebus exploratis physicis, ad ea processit, quae supra naturam, *ὑπὲρ τὰ φυσικὰ* essent. Unde non inepte ejus de scientia summa opus continere dicitur *τὰ μετὰ τὰ φυσικά·* ipsum inde nomen scientiae, *metaphysica*, ortum est. Itaque, uti in rebus physicis, ita in ipso *νοητῷ* mundo non nisi *caussas* studuit exquirere. Platonis vero contraria fuit in philosophando via. Nempe in ea progressus est, quam primum aperuerat Socrates, ut, missis sublimibus istis Ionicorum disquisitionibus, a quibus difficile aliquis ad se rediret, a semet ipso, ab hominis animo philosophiae duceret initium, indeque ad rerum naturam et mundi conditorem, Deum, escenderet. Ionicos illos, ipsumque Anaxagoram respiciens Cicero, de Socrate dixit, hunc fuisse, qui e coelo devocaret philosophiam. Sic enim ille nobilissimo loco in Tusculanis quaestionibus: *ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagorae discipulum, audierat, numeri motusque tractabantur et unde omnia orirentur, quove reciderent: studioseque ab his siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur et cuncta coelestia. Socrates autem primus philosophiam devocavit e coelo et in urbibus collocavit et in domos etiam introduxit et coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere.* 3) Eandem sententiam Cicero iisdem propemodum verbis saepius usurpavit, ut in Academicis: *Socrates mihi videtur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis et ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerunt, avocavisse philosophiam et ad*

---

1) *Orat.* c. 2. Cff. *Initia* p. 92, 330.

2) Vidit quidem Aristoteles, recteque dixit, *κατὰ μέθεξιν εἶναι τὰ πολλὰ τῶν συνωνύμων ὁμώνυμα τοῖς εἴδεσι. Metaph.* I. p. 16. Sed haesit fere in hisce: non formas, non exempla, non *παραδείγματα*, quae nos imitaremur, ideis intellexit.

3) *Tusc. Q.* V. 4.

vitam communem adduxisse: ut de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis rebus et malis quaereret; coelestia autem vel procul esse a nostra cognitione censeret, vel, si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum conferre. 1) In Bruto, ubi de aetate Socratis agit: *primumque tum philosophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, sed haec, in qua de bonis rebus et malis deque hominum vita et moribus disputatur, inventa dicitur.* 2) Iterumque in Tusculanis: *a Socrate omnis, quae est de vita et de moribus, philosophia manavit.* 3) Itaque adverterat animum Socratis, quod apud Anaxagoram de mente legerat: quo excitatus de sua ipsius mente cogitare diligenter et explorare semet ipsum resque humanas omnes, maximeque, quod ait Cicero, *de rebus bonis et malis* quaerere coepit. Plato autem, hinc profectus maxime, non solum ad magistri exemplum τὸν νοῦν, sed τὰ νοητὰ item, quae nos unâ mente et cogitatione assequimur, attendit, distinctisque illis accurate a rebus adspectabilibus omnibus, rationem cum invenit, tum demonstravit, qua in mundum νοητὸν escendens homo, vere de rebus adspectabilibus judicare et sic demum sapere, νοῦν ἔχειν inciperet. Hac via Plato, quae Aristotelicae rationi plane erat contraria, non metaphysicam tradit, non caussas unice in mundo νοητῷ, nec vero principem quandam caussam, e qua omnia ducerentur, quaesivit; sed hominem docuit mentem ad aeterna veri in mundo νοητῷ exempla, in primisque ad id, quod *bonum* est, convertere ac bene ita cum vivere tum res suas publice privatimque administrare.

Quo magis ita a metaphysica Aristotelis Platonis philosophiam distinxerimus, eo nobis hujus de ideis doctrina patebit dilucidius. Sed de *boni idea* quaesivimus modo, quam ut Plato tanquam optimarum quarumque rerum caussam celebravit, ita fuerunt, qui accipiendam esse de *Deo* arbitrarentur. Ducta haec opinio ex eadem illa Aristotelis doctrina videtur, certe quadrat in eam mirifice. Nam in caussis principiisque summis τῷ ἀγαθῷ Aristoteles primarium locum dedit, 4) idemque per eandem illam primam, quam dixit, philosophiam ad Deum, ut caussarum principem, accessit; unde quaerere ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, *e principiis rerum ultimis*, apud eum ἐπισκοπεῖν θεολογικῶς, hoc ipsum quaerere et philosophari θεολογεῖν dicitur. 5) Enata inde sublimis de divina natura est, a Cleanthe aliisque Stoicis celebrata, doctrina, quam ipse tradidisse

1) *Acad.* I. 4.
2) *Bruto* c. 8.
3) *Tusc. Q.* III, 4.
4) Arist. *Metaph.* I. p. 5. 7.
5) Id. *eod.* V. 1.

metaphysicae auctor, quum *περὶ τοῦ κοσμοῦ* ad Alexandrum scriberet, fertur. Sed sive ab ipso haec scriptio est sive a posterioris actatis, quod credibile videtur, metaphysico prodita, consequens viri philosophiae est, nobisque hoc loco non praetermittenda silentio videtur. Continet metaphysicorum veterum, tam poëtarum, quam philosophorum de Deo placita, quae comparasse cum Platonis de *boni idea* sententia non pigebit.

Metaphysicorum veterum de Deo philosophandi ratio.

Sic igitur continuo scriptionis illius auctor. « *Λοιπὸν δὴ περὶ τῆς τῶν ὅλων συνεκτικῆς αἰτίας κεφαλαιωδῶς εἰπεῖν· πλημμελὲς γὰρ, περὶ κόσμου λέγοντας, τὸ τοῦ κόσμου κυριώτατον παραλιπεῖν· restat igitur, ut de caussa, quae universas res continet, summatim dicamus: incongruum enim sit, ubi de mundo agimus, id quod in mundo summum est praetermittere.*» Et primum quidem poëtarum de Deo effata memorat. «*Vetus igitur sermo est, a majoribusque proditus inter omnes homines, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ θεοῦ ἡμῖν συνέστηκεν, e Deo esse omnia ac per Deum constituta nobis: nullamque naturam ipsam per se sibi sufficientem esse, quae citra Dei praesidium suae ipsa tutelae permissa sit. Quocirca veterum nonnulli eo provecti sunt, ut haec omnia dictitarent Deorum plena esse.*» Deinde sedem describit Dei. «*Summam igitur et primam sedem mundi sortitus, ὕπατος hanc ob caussam appellatus est, atque, ut ait Homerus, in summo culmine universi coeli suum habet ipse domicilium situm et collocatum. Maxime vero vim ejus sentit, numineque ejus in primis fruitur id corpus quod proxime eum situm est, tum quod secundum ab hoc locum habet, ut unumquodque deinceps, prouti situum ordo ad nostrum usque locum naturâ constitutum est.*» Hinc regiam celebrat Dei majestatem, ductâ a Persarum rege comparatione. Quibus subjicit: «*νομιστέον δὴ τὴν τοῦ μεγάλου βασιλέως ὑπεροχὴν, πρὸς τὴν τοῦ τὸν κόσμον ἐπέχοντος θεοῦ, τοσοῦτον καταδεεστέραν, ὅσον τῆς ἐκείνου, τὴν τοῦ φαυλοτάτου τε καὶ ἀσθενεστάτου ζώου· atqui statuere nos oportet, magni regis fastigium, si cum excellentia comparetur Dei, qui mundum tenet, tanto esse inferius, quanto hoc ipso inferior est vilissimi cujusque atque infirmissimi animantis conditio.*» Sed loca attendamus maxime, quibus Deum ut *caussam* rerum omnium effectricem laudat. Admiratur in eo facilitatem praesertim: «*οὐδὲν γὰρ ἐπιτεχνήσεως αὐτῷ δεῖ καὶ ὑπηρεσίας τῆς παρ' ἑτέρων, ἀλλὰ τοῦτο ἦν τὸ θειότατον, τὸ μετὰ ῥαστώνης καὶ ἁπλῆς κινήσεως παντοδαπὰς ἀποτελεῖν ἰδέας· non illi opus est artificiosâ molitione, aut alieno ministerio: illud autem maxime divinitati consentaneum est, ut formas rerum omnium citra difficultatem simplicique motu*

absolvat: non secus atque illi machinatores solent, qui instrumento uno usurpando multos et varios effectus edunt, aut illi faciunt, qui νευροσπάσται *vocantur: uno attracto funiculo efficiunt, ut imagunculärum sive cervix sive manus sive humerus sive oculus sive omnia simul membra cum decori specie quadam moveantur.* Οὕτως οὖν καὶ ἡ θεία φύσις ἀπό τινος ἁπλῆς κινήσεως τοῦ πρώτου, τὴν δύναμιν εἰς τὰ ξυνεχῆ δίδωσι, καὶ ἀπ' ἐκείνων πάλιν εἰς τὰ ποῤῥωτέρω, μέχρις ἂν διὰ τοῦ παντὸς διεξέλθῃ· *hoc igitur modo natura divina ab uno eodemque simplici motu primo vim suam immittit in eu, quae sunt primo continentia, ab illisque subinde in ea quae longius atque longius absunt, quoad permeaverit per universa. Quippe alterum ab altero motum, rursus ipsum quoque aliud movet: quum unumquodque interim agat convenienter conditioni suae, nec tamen eadem sit via omnibus, sed diversa, nonnullis etiam contraria: tametsi primus motionis veluti impulsus unus fuerit: veluti si quis ex eodem vase simul jaciat globum, cubum, conum et cylindrum: nempe unumquodque eorum accommodate suae formae movebitur. Eadem ratio in mundo est: siquidem ab una coeli universi conversione, quae nocte dieque absolvitur, diversi omnium cursus fiunt.»*

Ad mechanicas haec pertinent naturae leges explicandas; facile autem hinc, ut recentiorum nos docuit metaphysicorum exemplum, *machinae* similem rerum universitatem fingamus, cujus motrix caussa Deus sit. Veruntamen non ita dure, ut illi, magnificae hujus descriptionis auctor: pulcerrime is, sicuti antiquitus Pythagorei, mundum *choro, chorego* Deum comparavit. «*Quemadmodum in choro, ut inchoavit coryphaeus, accinit continuo omnis virorum mulierumve chorus, diversis sonis, gravibus et acutis, unam rite temperatam harmoniam miscentium,* οὕτως ἔχει καὶ ἐπὶ τοῦ τὸ σύμπαν διέποντος θεοῦ· κατὰ γὰρ τὸ ἄνωθεν ἐνδόσιμον ὑπὸ τοῦ φερωνύμως ἂν κορυφαίου προσαγορευθέντος, κινεῖται μὲν τὰ ἄστρα ἀεὶ καὶ ὁ σύμπας οὐρανός· *eadem Dei ratio est in regenda moderandaque universitate: et sidera enim semper et ipsum coelum totum eos ad numeros moventur, quos Deus sursum auspicando praecinendoque emodulatur, quem a similitudine sane congrua c o r y p h a e u m m u n d i recte appellaveris.*» Tum vim divinam in mundo regendo auctoritatemque imperatoris comparatione exprimit. «*Namque statim ut classicum exaudiri in exercitu coeptum est, alios videas scuta sibi aptantes, loricam alios induentes, alios ocreas vel galeam sumere, vel balteo se cingere festinantes: rursus videas, qui frenatos equos admittant, alios qui currus conscendunt, illos item qui tesseram per explicatam aciem prodant: tum manipuli ductor ad manipulum, centurio excurrit ad centuriam: postremo equites ad cornu, velites ad stationem quisque suam festinant: cum interim sub uno ductore omnia*

moveantur, qui imperia et ipse significanda accepit ab eo, penes quem summa est imperii. Οὕτω χρὴ καὶ περὶ σύμπαντος φρονεῖν· ὑπὸ γὰρ μιᾶς ῥοπῆς ὀτρυνομένων ἁπάντων, γίνεται τὰ οἰκεῖα· *eodem nos modo censere de universo decet: quum enim ab una vi impultrice cieantur omnia, fit utique quod cuique commodum est et conveniens.*» 1)

Sublimia haec esse et magnifica de Dei natura effata, quis negaverit? Nec vero erit, qui indigna eadem esse Platonicae philosophiae sublimitate putet. Sint adeo fortasse, qui hisce illustrari illa existiment, quae de *boni idea* Plato disseruit. Nam hanc ille ideam et rerum quarumque optimarum caussam esse dixit, et soli adeo comparavit. Verum alias Platonem intellexisse, quam antea Anaxagoram, postea Aristotelem, caussas, jam demonstravimus superiore disputatione, et vero *ideam* vocare proprie sic dictam caussam absurdum est. Nemo facile gravissimae huic disquisitioni criticam adhibuerit, quin, consentanea esse effata illa de Deo metaphysicae Aristotelicae, a Platonis vero de *idea boni* doctrina abhorrere viderit. Anaxagoram in illis magis, quam Socratem aut Platonem agnoscimus: et vel fallor equidem, vel, si non sublimior etiam illis placitis Platonis doctrina est, homini haec certe, ut ad divinam escendat perfectionem, aptior multo est atque efficacior.

Non Deus est apud Platonem idea boni, sed ad hanc ideam Deus mundum formavit.

De divina natura nondum nobis inquirendum est. Nisi de *justo* praecipueque de *sancto* diligentius egerimus, argumentum hoc, omnium argumentorum summum et gravissimum, non licebit tractare. Sed detulit nos illuc Platonis haec de boni idea doctrina, quippe quae, ut ex ipsius *Timaeo* patet, quam proxime est cum rebus divinis conjuncta. Deum enim illic ad hanc ipsam ideam mundum formantem proposuit. Quod cujusmodi sit, princeps nobis dialogi persona, Timaeus, demonstrabit.

Primum ille, de tanta scilicet re dicturus, Deorum opem implorat. Nam Plato, qua simplicitate et verecundia in Politia de boni idea So-

1) Arist. *de Mundo* c. 6. p. 15. De libelli auctoritate variae omni aevo fuerunt eruditorum sententiae, quas recensuit Fabric. *Bibl. Gr.* III. 6. p. 127. Hic quidem germanum Aristotelis scriptum esse contendit; negarunt vero principes critici, Muretus, Scaliger, Casaubonus, Salmasius, Vossius, alii. Sane et ratio libelli et oratio seriorem aetatem refert. Miscuit fere auctor eum Aristotelis metaphysica Platonis placita. Est autem praestantissimum antiquitatis monumentum. Lipsius *aureum libellum* vocat, *de constantia* I. 18. Vid. Meiners *de vero Deo* p. 454.

cratem, eadem et majore etiam in hoc dialogo Timaeum de Deo dicentem induxit. «Omnes, ait, o Socrates, quotquot quocunque tandem modo modestiae participes sunt, in omni suscipiendo et parvo et magno negotio, Deum invocant semper: nos autem, de universitate, genita sit necne, verba facturos, Deos oportet et Deas invocantes precari omnes, ut ipsis e sententia maxime, nobis autem congruenter convenienterque dicamus.» 1) Tum sic ingreditur disputationem, ducto initio a rerum intelligibilium et adspectabilium discrimine. «Principio igitur sic mihi distinguendum videtur. *Τί τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον; καὶ τί τὸ γιγνόμενον μὲν, ὂν δὲ οὐδέποτε; τὸ μὲν δὴ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτὸν, ἀεὶ κατὰ ταυτὰ ὄν· τὸ δ' αὖ δόξῃ μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου, δοξαστὸν, γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν· quid est, quod semper sit neque ullum habeat ortum, et quod gignatur nec unquam sit?. Quorum alterum intelligentiâ et ratione comprehenditur; quod unum semper atque idem est: alterum, quod affert opinionem per sensus rationis expertes, totum opinabile est, et gignitur et interit. nec unquam esse vere potest.* 2) Omne autem quod gignitur, ex aliqua canssa gigni necesse est: nullius enim rei, causså remotâ, reperiri origo potest. Quocirca si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem, quae semper est eadem, intuebitur atque id sibi proponet exemplar, praeclarum opus efficiat necesse est; sin autem eam, quae gignitur, nunquam illam, quam expetet, pulcritudinem consequetur. Omne igitur coelum sive mundus sive quo alio vocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit. De quo id primum consideremus, quod principio est in omni quaestione considerandum, semperne fuerit, nullo generatus ortu, an ortus sit ab aliquo temporis principatu. Ortus est: quandoquidem cernitur et tangitur et est undique corporatus. Omnia autem talia sensum movent: sensus moventia quae sunt, eadem in opinatione consistunt; quae ortum habere gignique diximus; nihil autem gigni posse sine caussis. Atque illum quidem quasi parentem hujus universitatis invenire, difficile: et, cum jam inveneris, indicare in vulgus, nefas. *Τόδε δ' αὖ πάλιν ἐπισκεπτέον περὶ αὐτοῦ, πρὸς πότερον τῶν παραδειγμάτων ὁ τεκταινόμενος αὐτὸν ἀπειργάζετο, πότερον πρὸς τὸ κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχον, ἢ πρὸς τὸ γεγονός· rursus igitur videndum, ille fabricator tanti operis utrum sit imitatus exemplar, idne, quod semper unum et idem et sui simile, an id, quod generatum ortumque dicimus.* Atqui si pulcer est hic mundus, si bonus 3) ejus artifex,

---

1) *Timaeo*. 27. C.

2) Recte ita corruptam Ciceronis versionem partim emendasse Lambinus et Schutzius videntur. Ceterum Orellii editionem secuti sumus.

3) Apud Platonem ἀγαθὸς ac paulo post ὁ δ' ἄριστος των αἰτίων. Quod

profecto speciem aeternitatis imitari maluit; sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplum est pro aeterno secutus. Non igitur dubium, quin aeternitatem maluerit exsequi, quandoquidem neque mundo quidquam pulcrius neque ejus aedificatore praestantius. Sic ergo generatus, ad id est effectus, quod ratione sapientiâque comprebenditur atque immutabili aeternitate continetur. *Τούτων δὲ ὑπαρχόντων αὖ, καὶ πᾶσα ἀνάγκη τόνδε τὸν κόσμον εἰκόνα τινὸς εἶναι· ex quo efficitur, ut sit necesse, hunc, quem cernimus, mundum, simulacrum aeternum esse alicujus aeterni.* Difficillimum autem est in omni conquisitione rationis, exordium. De iis igitur, quae diximus, baec sit prima distinctio. Omni orationi cum iis rebus, de quibus explicandum est, videtur esse cognatio. Itaque cum de re stabili et immutabili disputatur, oratio talis sit, qualis illa, quae neque redargui neque convinci potest. Cum autem ingressa est imitata et efficta simulacra, bene agi putat, si similitudinem veri consequatur: *ὅ, τι γὰρ πρὸς γένεσιν οὐσία, τοῦτο πρὸς πίστιν ἀλήθεια· quantum enim ad id, quod ortum est, aeternitas valet, tantum ad fidem veritas.* Quocirca si forte de Deorum natura ortuque mundi disserentes, minus id, quod avemus, omnino consequemur, ut tota dilucide et plane exornata oratio sibi constet et ex omni parte secum ipsa consentiat, haud sane erit mirum: contentique esse debebitis, si probabilia dicentur. Aequum est enim meminisse et me, qui disseram, hominem esse, et vos, qui judicetis: ut, si probabilia dicentur, ne quid ultra requiratis. 1) Hic Socrates, optime, inquit, o Timaee: prorsusque nos ita, ut jubes, agendum putamus: exordium hoc orationis mirifice probavimus, ipsam autem orationem nunc persequere. Tum pergit Timaeus: quaeramus igitur caussam, inquit, quae eum impulerit, qui haec machinatus sit, ut originem rerum et molitionem novam quaereret. *Ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος· τούτου δ' ἐκτὸς ὤν, πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια αὑτῷ· bonus erat ille: bonus autem invidet nemini. Itaque omnia sui similia generavit.* 2) Haec nimirum gignendi mundi caussa justissima; *βουληθεὶς γὰρ ὁ θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν, οὕτω δὴ πᾶν ὅσον ἦν ὁρατὸν παραλαβὼν, οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν*

---

moneo, ut, expressisse auctorem τὸ καλόν τε καὶ ἀγαθὸν animadvertamus.

1) *Tim.* 27. D. — 29. D.

2) Hic discedere nos a Ciceronis versione ipsa ratio philosophiae Platonicae jussit. Sic ille: *Probitate videlicet praestabat: probus autem invidet nemini.* Atqui Plato in his omnibus *pulcri*, in primis *boni ideam* spectavit.

αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας, ἡγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἄμεινον· θέμις δὲ οὔτ' ἦν οὔτ' ἔστι τῷ ἀρίστῳ δρᾷν ἄλλο πλὴν τὸ κάλλιστον *nam cum constituisset deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiscere, quoad natura pateretur: quidquid erat, quod in cernendi sensum caderet, id sibi assumsit, non tranquillum et quietum, sed immoderate agitatum et fluctuans, idque ex inordinato in ordinem adduxit: hoc enim judicabat esse melius; fas autem nec est nec unquam fuit, quidquam, nisi pulcerrimum, facere ei, qui esset optimus.* Cum rationem igitur habuisset, reperiebat nihil esse eorum, quae naturâ cernerentur, non intelligens intelligente in toto genere *melius;* intelligentiam autem ulli rei adjunctam esse sine animo, nefas esse. Quocirca intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore. Sic ratus est opus illud effectum esse ὅτι κάλλιστον κατὰ φύσιν ἄριστόν τε, *pulcerrimum* naturâ et *optimum*.» 1)

Quatenus haec Pythagoreis Plato ipsique Timaeo debuerit, tum explorabimus, ubi acturi de divina natura sumus. Hîc de ideis ac de mundo νοητῷ agimus. Efficimus autem e sublimi hac Timaei oratione, distingui a Platone Deum cum a boni, quam celebravit, idea, tum vero ab ipsa materia. Non procreat apud eum Deus, sed fingit, informat, componit mundum, ductâ ab artifice, proprieque a figulo, imagine, qui materiem, quae adest sed informi est specie, arte fingit et excolit: facit hoc autem ad perfecti speciem, quam menti habet propositam. Similiter pictor apud Platonem pulcrum, quod mente intuetur, imitando exprimere in tabula dicitur: unde pulcerrima illa, quam supra attendimus, legislatoris descriptio, qui, pictoris instar, id intuens constanter, quod verissime bonum justumque est, ad hujus perfectam speciem et leges condit et res civitatis ordinat. 2) Sic Deum fingit Plato ad divinum pulcri bonique exemplar materiem, quae in perpetuo motu esset, ordinasse, ut pulcerrimus inde optimusque, quem nunc admiramur, mundus exortus sit. Quibus perspectis, quis Deum esse apud Platonem boni ideam arbitrabitur, aut ipsum Platonem in metaphysicis censebit philosophis? Platonicae de ideis doctrinae et metaphysicae Aristotelicae hinc potissimum discrimen intelligitur. Nam ita se profecto res habet. Posteaquam scriptis omnibus Plato ideas celebraverat, scribendo hoc tandem primario dialogo, doctrinam ille suam illustri, imo divino, ipso Dei exemplo illustravit. De bono non minus Aristoteles et metaphysici, quam Plato, ut vidimus, quaesiverunt. 3) Sed hi ad inveniendum illud

---

1) *Tim.* 29. D. — 30. B.
2) *Initia* p. 330, 334.
3) Arist. *Metaph.* I. 1. p. 5, 7. Cff. *Initia* p. 357.

et declarandum moverunt multum, parum promoverunt; Plato simpliciter *ideam* esse pronunciat, perfecti speciem, τύπον quendam, cujus omnia, quae nobis bona apparent, participia sint. Metaphysici, quod de sophistis pronunciat Plato, in obscuro latuerunt; 1) Plato vero, quod nobis licet de ipso pronunciare, et ipse in lucem prodiit et hominem protraxit, praecipiens mortalibus, ut in mundum νοητὸν prodirent atque ad perfectam idearum, in primis *boni* speciem agerent viverentque; Deum autem homini exemplum, quod imitaretur in hisce, proponit. Sed de mundo νοητῷ praesertim diversam Platonis et Aristotelis philosophandi rationem hinc perspiciamus. Aristoteles, ut item vidimus, mundum *adspectabilem* in νοητὸν traducebat, 2) unde universi species effieta est machinae cujusdam ingentis instar: ut patet ex iisdem illis de Deo effatis et ex tota recentiorum metaphysicorum, a Cartesio inde, de universo doctrina. Plato contra νοητὸν mundum in *adspectabilem* adhibuit: id autem in primis hae ipsius Dei imagine illustravit. Nam Deum finxit rudem indigestamque materiem i. e. res sensibus patentes, quae fluerent nulloque ordine moverentur, ad idearum speciem, quae in mundo νοητῷ lucent, fingentem, componentem, ordinantem.

Platonicae de ideis doctrinae sublimitas. Altiusne Plato, quam hominem decebat, evolavit?

Talis autem cum Platonicae doctrinae ratio sit, quid dicamus de illa tandem? Altiusne Plato, quam hominem, quam philosophum decebat, evolavit? De Aristotele id affirmare et metaphysicis recentioribus non dubitaverim equidem. Divina res, non humana est caussarum, quam spectarunt, scientia. Mechanicae convenit nostrae, indeque ad mechanicas mundi leges transfertur recte; sed, quod illi contendendum philosopho esse statuunt, ut caussis rerum omnium et principiis exploratis inventisque, res nobis omnes divinas humanasque explicarent, id scilicet humanae cognitionis fines longe longeque superat. Tam alte non evolasse Platonem, e tota hac nostra disquisitione patet. Non, quin contenderit subinde illuc: id effici ex ipso hoc *Timaeo* multis locis potest; sed de philosophia viri, de ipsa ejus philosophandi ratione agimus: est autem haec Socraticae plane cum simplicitatis, tum modestiae plena. In semet ipsum redire philosophum jubet, ut studiis suis pulcri, boni, justi, sancti exploratis diligenter, convertat ea ad perfecta horum exemplaria: sic autem cum perficiat sese, tum ad divinae naturae perfectio-

1) *Sophist.* 234. A. Cff. *Initia* p. 268.
2) *Initia* p. 356.

nem accedat. Simplicissima haec sane praecepta sunt: idem enim nos sponte nostrâ et nobis et aliis praecipimus: conveniunt autem illis prorsus, quae de divina natura disseruit. Non eam, tanquam caussam rerum omnium, describens, ipse per hanc caussam, qui metaphysicorum mos est, procreat et moderatur omnia. Materiem assumit, quae unde exstiterit non quaerit; sed Deum nobis eam sic formantem ad boni ideam proponit, ut nobismet ipsis in eo exstet, quod ad recte agendum imitemur, exemplum perfectum. Quod autem *sublimitatem* attinet Platonicae doctrinae, ad hanc percipiendam plene, effatum Platonis de mundo, quod inde ductum est, consideremus praesertim: *esse hunc mundum adspectabilem intelligibilis Dei imaginem.* Nam elegans sane est celebratissimus ille Socratis apud Xenophontem de Diis sermo, quo Deos esse et providentiam divinam, ex iis, quae in rerum natura cernimus, per inductionem efficit: 1) unde profecit Aristoteles praeclaro loco, quem nobis e deperdito opere servavit Cicero. *Praeclare Aristoteles, si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent bonis et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis, instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram, accepissent autem famâ et auditione, esse quoddam numen et vim deorum: deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus atque exire potuissent: cum repente terram et maria coelumque vidissent, nubium magnitudinem ventorumque vim cognovissent, adspexissentque solem, ejusque tum magnitudinem pulcritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto coelo luce diffusâ: cum autem terras nox opacasset, tum coelum totum cernerent astris distinctum et ornatum, lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus atque in omni aeternitate ratos immutabilesque cursus: quae cum viderent, profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur.* 2) Praeclare profecto Aristoteles, nec quemquam facile haec legentem fugiat, ductum in his colorem esse a *speluncae* imagine, qua mundum adspectabilem et intelligibilem expressit Plato. Solis pariter et pulcritudo et vero *efficientia, quod is diem efficiat, toto coelo luce diffusâ*, celebratur. 3) Ex his autem comparando efficere Platonicae doctrinae sublimitatem licet. Aristoteles atque ante eum Socrates et Socratici e pulcritudine mundi Deos

---

1) Xen. *Memor.* I. 4.
2) Cic. *de Nat. Deor.* II. 37. ubi vid. Davis.
3) Cf. Plato *de Rep.* VII. 516. B. Cff. *Initia* p. 321.

esse probarunt; 1) sed Plato, altius etiam illis escendens, unde illa pulcritudo exstiterit, hac de ideis doctrina demonstravit. Nam, cum Deum nobis proponeret ad aeternum boni exemplar rerum universitatem fingentem informantemque, quidni nos inde concludamus, *εἴκονα*, imo *ἄγαλμα Dei* mundum hunc esse? 2) Quo profecto nil dici sublimius magnificentiusque potest. Explicatur autem simul inde et sermo ille Socratis elegantissimus et praeclara haec Aristotelis sententia. Nam propterea, quod Deum refert mundus hicce, ut opus quodlibet arte confectum et auctorem solet, et, quod is intuitus est, exemplar perfectum referre, hanc ipsam ob caussam dicemus, mortalibus licere, e mundi specie, qualis Deus sit, sive existimare sive augurari. Quid? quod ipsius Platonis hinc intelligitur plane de vero assequendo sententia. Nam haec cum ita sint, e spectabili mundo nobis, quippe *Dei imagine*, conjecturam capere ad percipiendum intelligibilem conceditur, cernimusque in sole hocce nostro illam ideam, quae illic illustrat alitque omnia, ipsum *bonum*.

Ad erudiendum perficiendumque hominem tota haec composita est doctrina Platonis.

Quo accuratius a metaphysica Aristotelis Platonis philosophiam distinguimus, eo sublimior haec videtur nobis; sed eo magis ejusdem perspicimus ad vitae usum, ad hominem erudiendum et perficiendum vim et opportunitatem. Aristoteles in tradenda *prima* illa, quam appellabat, *philosophia* utilitatis docebat nullam esse rationem habendam. Inde adeo philosophiae hujus praestantiam ducebat, quod, cum caeterae doctrinae ad vitae usum referrentur, haec una suâ ipsius caussâ tractaretur. Itaque theoretica erat plane, imo sapientibus, qui culmen sapientiae attigissent, indeque, Dei instar, universum mundum resque omnes divinas et humanas contemplarentur, conveniebat; philosophis vero, qui contenderent ad sapientiam, non conveniebat. Plato contra, Socratica usus cum prudentia tum verecundia, vitae usum in philosophando praecipue, optimamque erudiendi perficiendique hominis rationem spectavit; huic autem unice proposito explendo idearum doctrinam adhibuit. Nam eo haec pertinet, ut semper homo ad sapientiam progrediatur, nunquam sibi summe sapiens videatur. Ideae enim apud eum perfecta exempla sunt, quae imitemur agendo, non assequamur: *τύποι* sunt, quos exprimamus agendo vivendoque, non aequemus vel superemus: id si fieret, esse illae sive ideae sive *τύποι* desinerent. Et vero homines nos sumus,

1) Unde Ciceronis sententia *de Divin.* II. 72.

2) Vid. praeclara Ruhnkenii de hoc effato animadversio *ad Tim. Lex.* v. *ἄγαλμα*.

infinitumque intervallum est, quo a rebus divinis humanae, ab intelligibilibus spectabiles separantur. Quamobrem Deus a Patone, tametsi et ipse *νοητὸς* et in *νοητῷ* loco versatus, *τὴν ὕλην*, spectabilem mundum, non perfectum, non optimum, ut nihil adesset mali, sed quatenus *ὕλη* ferret, pulcerrimum optimumque effinxit. 1) Itaque in uno Dco perfectio summa est: licetquc homini ad illam in infinitum procedere, attingere eam licebit nunquam. Si qua unquam a philosopho excogitata ratio est, qua optime et erudiretur homo et ad veritatem adduceretur, philosophia est Platonis et haec praecipue in ea de ideis doctrina. Ad sempiternam illam progressionem tota spectat, quam ex ipsius scriptis exposuimus, de artium disciplinarumque studiis disquisitio. Per artes nos ille ad pulcrum, per disciplinas ad veritatem, ad illud, quod ipsum per se vere et pulcrum et bonum et justum sanctumque est, duxit, ut ad horum exempla perfecta quidquid cogitamus, quidquid agimus, quidquid perficimus, informemus. In hoc ipso ad veritatem itinere non ad sapientiae nos fastigium, ut Aristoteles, extemplo evexit: gradus distinxit progressionis, ut ab *εἰκασίᾳ* ad *πίστιν*, hinc ad *διάνοιαν*, tum ad *νόησιν* proeederemus, et sic quidem sensim placideque ad veri, *αὐτοῦ τοῦ ὄντος* scientiam, escenderemus; pervenientibus autem nobis ad summum eorum, ad *νόησιν*, non mundum nobis omniumque rerum eaussas eontemplandas perspieiendasque dedit, sed ideas proposuit, quibus contemplandis vere de rebus pulcris bonisque existimaremus, nosque ipsi pulcre beneque et juste vivere et agere disceremus. Sapienti, divinâ fruenti contemplandi voluptate, otioso esse licet: ast Plato philosophum, qui non esset sapiens, sed ad sapientiam tenderet, assidue jussit ad perfecta exempla et semet ipsum et res suas et vero generis humani negotia gravissima perficere: Deum adeo ipsum mortalium generi, quamvis perfectum, quamvis omnis perfectionis exemplar summum, non otiose eontemplantem ipsum mundum, sed agentem pariter in mundo hoc eum formando, tum moderando, spectandum imitandumque exhibuit.

Quid caussae esse dicamus, cur fere haec Platonis de ideis doctrina multorum in reprehensionem incurrerit?

Considerantibus nobis hanc doctrinae illius eum sublimitatem, tum ad res perficiendas humanas vim atque opportunitatem, mirum aeeidat necesse est, rejecisse eam Aristotelem, omnique deinde aetate plures

---

1) *Tim.* 30. A. *Βουληθεὶς γὰρ ὁ θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν.* Cff. *Initia* p. 362.

fuisse philosophos, qui hujus doctrinam, quam qui Platonis sequerentur. Sed hoc quidem explicandum fortasse e levitate generis nostri est, altius fere evolare, quam ipsius natura fert, gestientis; illud vero magis etiam mirandum et vix explicari posse videatur, inanium somniorum plenam habitam fuisse fere Platonis philosophiam, Platonis, inquam, cujus omne studium unice ad falsa et inania a veris certisque distinguenda pertinuit. Sic autem judicari vulgo de philosophorum principe, quis est qui ignoret? Nil enim exagitari crebrius ab omni hominum genere audimus, qnam fictiones Platonicas, Platonicas respublicas, vana Platonis de perfectis hominibus, legibus, civitatibus, mundis commenta. Repetendus hominum error est a sequioris aevi Platonicis, qui vel placita obtruserunt Platoni ab ipsius philosophia aliena, vel ipsius placita interpretati perverse sunt. Quodsi de his ipsis quaerimus, quid caussae videatur esse, ut a via Platonis aberraverint, Plato ipse eorum caeterorumque erroribus opportunitatem praebuisse dicendus est. Nam primum *poësin* refert, ut ab initio inde identidem animadvertimus, philosophia Platonis. 1) Id vulgaribus philosophis, quorum industria omnisque philosophia ratiocinando, probando, demonstrando concludendoque procederet unice, ansam dedit, ut poëtarum fictionibus placita Platonis annumerarent, et, qua contumaciâ poetas, eâdem Platonem despicerent. Porro iisdem subinde vocibus Plato, qui poëtarum mos est, res diversas significavit. *Εἶδος* et *ἰδέα*, quae distinguit nonnunquam, fere promiscue usurpat: 2) *παραδείγματα* similiter, quae qualia sint e Timaeo intelleximus, de ideis accipit item. 3) Hinc, in primis vero ipsa philosophandi sublimitate factnm, ut multi Platonem et perperam interpretarentur, et vix possent assequi. Cujus rei exempla afferri innumera possint, nos unum e Senecae epistolis afferamus, quod idem nobis admonitionis vim habebit, ne similiter erremus. Agit cum amico auctor de verborum generibus Graecorum, qnae non ita facile Latine vertantur. *Tertium genus est eorum, quae proprie* sunt: *innumerabilia haec sunt, sed extra nostrum posita conspectum. Quae sunt, interrogas? propria Platonis supellex est. Ideas vocat, ex quibus omnia, quaecunque videmus, fiunt, et ad quas cuncta formantur. Hae immortales, immutabiles, inviolabiles sunt. Quid sit idea, id est, quid Platoni esse videatur, audi. Idea est eorum, quae naturâ fiunt, exemplar aeternum. Adjiciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere: exemplar picturae te habeo*

1) *In ihm sprach sich der poëtische Character der Griechen philosophisch aus.* Sic paucis verbis Heerenus rem totam, ut solet, exprimit. *Ideën* III, 1. p. 451.
2) Vid. Wytt. ad *Phaed.* p. 270, 274, 275.
3) *Theaet.* 176. E. Cff. *Initia* p. 333.

ex quo capit aliquem habitum mens, quem operi suo imponat. Ita illa quae me docet et instruit facies, a qua petitur imitatio, idea est. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piscium, arborum: ad quae, quodcunque fieri ab illa debet, exprimitur. Quartum locum habet εἶδος. Quid sit hoc εἶδος, attendas oportet: et Platoni imputes, non mihi, hanc rerum difficultatem: nulla est autem sine difficultate subtilitas. Paulo ante pictoris imagine utebar. Ille quum reddere Virgilium coloribus vellet, ipsum intuebatur: idea erat Virgilii facies futuri operis exemplar: ex hac quod artifex trahit et operi suo imposuit, εἶδος est. Quid intersit, quaeris? Alterum exemplar est, alterum forma ab exemplari sumta et operi imposita. Alteram artifex imitatur, alteram facit. Habet aliquam faciem exemplar ipsum, quod intuens opifex statuam figuravit: haec idea est. Etiamnunc aliam desideras distinctionem? I d o s in opere est: i d e a extra opus; nec tantum extra opus est, sed ante opus. 1)

Acute quidem Seneca ἰδέαν et εἶδος distinguit, sed nullam habet παραδείγματος rationem, quippe quod cum *idea* confundit. Plato, ubi ideas respiciens de pictoribus vel artificibus agit, excellentes intelligit, qui nova omnia fingerent ingenio, non eos, quotquot rem vel hominem, uti sunt, imitarentur unice et exprimerent. Respicit ideas ipsas, quas recte Seneca *immortales*, *immutabiles*, *inviolabiles* appellat: παραδείγματα respicit, eaque talium artificum ingenio tribuit, ad quorum speciem perfectam manum dirigant. Quam philosophi sublimitatem non assequebatur Seneca, quum *vultum* hominis *ideam* vocaret, imo hunc ipsum vultum pictori esse παράδειγμα, quod imitaretur, diceret, divini vero Platonici παραδείγματος vix ullam duceret rationem. Propius ad Platonis sublimitatem Cicero accessit, quum Zeuxidis artem in libris *de Inventione* admirabili elegantia exprimeret. *Crotoniatae quondam, quum florerent omnibus copiis, et in Italia cum primis beati numerarentur, templum Junonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxin, qui tum longe caeteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is et caeteras complures tabulas pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit, et, ut excellentem muliebris formae pulcritudinem muta in sese imago contineret, Helenae se pingere simulacrum velle dixit: quod Crotoniatae, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis praestare saepe accepissent, libenter audierunt. Putaverunt enim, si, quo in genere plurimum posset, in eo magno opere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeuxis*

1) Seneca *Epist.* 58. 15–18.

illico quaesivit ab iis, quasnam virgines formosas haberent. Illi autem statim hominem deduxerunt in palaestram, atque ei pueros ostenderunt multos, magna praeditos dignitate. Etenim quodam tempore Crotoniatae multum omnibus corporum viribus et dignitatibus antesteterunt, atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt. Quum puerorum igitur formas et corpora magno hic opere miraretur: Horum, inquiunt illi, sorores sunt apud nos virgines. Quare, qua sint illae dignitate, potes ex his suspicari. Praebete igitur mihi, quaeso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. Tum Crotoniatae, publico de consilio, virgines unum in locum conduxerunt, et pictori, quas vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit: quarum nomina multi poëtae memoriae tradiderunt, quod ejus essent judicio probatae, qui verissimum pulcritudinis habere judicium debuisset. Neque enim putavit, omnia, quae quaereret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse: ideo quod nihil, simplici in genere, omnibus ex partibus perfectum natura expolivit. Itaque tanquam caeteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi, aliquo adjuncto incommodo, muneratur. 1)

Praeclare ille et elegantissime: quamquam παράδειγμα Platonis, quod ipsi tribuendum ingenio artificis est, in venustissima descriptione desideramus. Tum demum idem Cicero Platonicam sublimitatem, ut supra vidimus, expressit plene, quum ipse postea perfectam Oratoris speciem, *qualis nunquam fuisset*, pictoris aut statuarii instar informabat. Tum de Phidia usurpavit illud: *Nec vero ille artifex, quum faceret Jovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat.* 2) Ingenio plane opus erat, quale Ciceronis fuit, ad recte percipiendam Platonis de ideis sententiam: quod eo fuit omni tempore difficilius, quo sublimior haec est, quoque frequentius Plato ipse iisdem vocibus alia longeque diversa significavit: itaque nec recte intellecta ab omnibus ejus sententia est et multis displicuit.

Sed praeterea in ipsis subinde philosophi scriptis loca de ideis occurrunt, quae, nisi ex ipsa auctoris mente explicentur, inepta, ne dicam absurda continere videantur. In quibus ille praesertim locus censendus est, quem supra memoravimus, ubi lectus et mensa *ideae* dicuntur,

---

1) Cic. *de Invent.* II. 1.

2) Id. *Orat.* c. 2.

quarum Deus sit auctor. 1) Ineptum id, fateor, sit, et vero ipsi Platonis doctrinae repugnet, siquidem sic accipiatur, ut his verbis enunciatur illic, neque ex universae sententiae ratione, apteque ideâ a *παραδείγματι* distinctâ, declaretur. *Παραδείγματα* scilicet eo loco spectavit Plato, quae nos vocare *idealia* solemus, non *ideas* proprie sic dictas. De pictoribus sermo est, qui, quantum a veritate absint, hinc docetur, quod rem a fabris factam, veluti lectum vel mensam, imitantur, fabri autem in his fabricandis divinum mensae ac lecti exemplum respexerunt: unde tertio illos loco a veritate abesse efficitur. Et sic quidem nobis sententiam illius loco interpretantibus, minus illa inepta vel absurda videtur. Sed instant isti. Sive idearum illic, inquiunt, sive *παραδειγμάτων* sive idealium mentio fit, rerum istarum auctor Deus dicitur: quo nil est absurdius. Cernimus, quam facile ipse nos Plato, nisi philosophiam ejus et interius perspexerimus et e poëtica dicendi ratione explicuerimus, in errorem possit ducere. Nam facere ideas, ineptum est: quod ipse ait eodem loco: *οὐ γάρ που τήν γε ἰδέαν αὐτὴν δημιουργεῖ οὐδεὶς τῶν δημιουργῶν.* 2) Nec vero idealia facere aptius dicatur. Ille vero Deum dixit, quum conderet mundum, mundi cujusdam perfecti *παράδειγμα* menti habuisse propositum, ad cujus formam effingeret omnia. Id similiter nos de humanis fabris et artificibus usurpamus: usurpavit de Phidia Cicero; nec tamen quisquam artificem *facere* ideas vel idealia dixerit. Poëtice autem Plato divinum *παράδειγμα* continuisse omnia perfectâ specie finxit, quae complexurus aliquando adspectabilis mundus foret. Verum enim vero non argutandum nobis de his est, ut fuerunt qui facerent quaerentes, ipsine Deo apud Platonem ideae vel formae rerum praestarent, quippe quas Deus intuitus fingatur. Quasi scilicet ideae vel formae rerum, quas mens concipit, non a mente distinguendae, sed separandae essent prorsus: aut quasi haec omnia essent ad dialecticae leges exigenda atque a dialecticorum captiunculis vindicanda.

Verum ut hae videntur caussae opportunitatesque fuisse, quibus accideret, ut multorum in reprehensionem doctrina de ideis Platonica incurreret, ita praecipuam omnium commemoremus tandem. Est illa non ab interpretum vitiis, sed ab ipsius Platonis sive audacia sive temeritate repetenda. Dei instar philosophus rerum humanarum perfecta *παραδείγματα* et mente concepit et nos jussit ad eorum perfectionem res nostras componere. Hoc, si quid, audax negotium fuit et jure reprehendendum.

---

1) *De Rep.* X. 596. Cff. *Initia* p. 328.
2) *Eod.* 596. B.

Παραδείγματα apud Platonem; sive de idealibus.

Nam habuit id Plato cum caeteris Socraticis commune, ut libenter scribendo veluti pingeret res hominesque perfecta specie. Socrates quid pulcrum, quid bonum, quid justum esset, quaesiverat maxime: quod idem quaerentes discipuli ejus, homines et sibimet ipsis et lectoribus repraesentare conati sunt, in quibus et inessent illa et apparerent: quod in primis cum utile erat tum laudabile consilium. Quid enim nobis utilius atque ad virtutem honestatemque efficacius est, quam exempla habere, quae imitemur, perfecta? Inde characterismi in Xenophontis operibus, Proxeui, Cyri minoris, divina praecipue perfecti regis in ejusdem Cyropaedia effigies: deinde apud Platonem et Phaedrus ille ὁ φιλόκαλος et Theaetetus ὁ φιλομαθὴς καὶ φύσει φιλόσοφος, et vero Socrates in ejus Phaedone ὁ δίκαιος. Imagines hae sunt juvenum *καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν*, et vero virorum excellentium perfectae: quibus Plato maxime fingendis ipsum pulcrum bonumque, tum justum exprimere studuit. Et vero Cicero, ut testatur pro Archia dicens, lubens sibi praeclarissimos homines ob oculos ponere solebat: *Quam multas*, inquit, *nobis imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerunt! quas ego mihi semper in administranda republica proponens, animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.* 1) Tum vero M. Catonem memorans, *quo omnes*, inquit, *qui iisdem rebus studemus, quasi exemplari, ad industriam virtutemque ducimur.* 2) Idem vero Cicero Socraticos illos principes imitatus, quippe qui esse haberique Socraticus et Platonicus voluit, pariter perfecti nobis oratoris effigiem repraesentavit scribendo. Atque optime profecto illi: nec reprehendendus in eo Plato est, quod, ut regem perfectum Xenophon, ita perfectos ipse reipublicae gubernatores descripsit: laudandum contra ejus propositum est vehementerque probandum, quum in descriptione illa optimae nobis institutionis normam, qua optimi in civitate custodes atque magistratus, imo veri informarentur philosophi, traderet, unde omnis aetas profecit mirabiliter. Sed non substitit hic Plato: non *hominum* solum exempla perfecta, sed *rerum* item effinxit: quod Deo tribuit, habuisse illnm, cum mundum conderet atque ordinaret, perfectum mundi *παράδειγμα* animo praesens, id, quasi idem sibi contigisset, ut similiter perfectae civitatis exemplar mente intueretur perfectum, ad ejus speciem condere rempublicam sustinet. Hoc autem humani excedit ingenii facultatem.

---

1) *Pro Archia* c. 6. Cf. *de Orat.* I. 2, 6.

2) *De Rep.* I. 1.

Nam homines nobis licet ad idearum speciem perfectos fingere — perfectio scilicet illa, quae ingenii animique cultu cernitur, omnibus locis et temporibus convenit — sed res, sed leges, sed civitatum formae, sed ipsae civitates non omnibus locis temporibusque eaedem, sed aliis aliae maximeque diversae conveniunt. Quae Atheniensibus erant aptae, non adhibendae Corinthiis, Lacedaemoniis, Thebanis; quae Graecorum congruebant indoli, non Romanis, non Germanicis gentibus adhibendae adaptaudaeque erant. Quamobrem, ut hominis, ita reipublicae παράδειγμα perfectum vel ingenio concipere vel scribendo exprimere, majus negotium est, quam quod homo perficiat. Eatenus fortasse in eo tentando recte aliquis procedat, ut, quae omnibus omnino civitatibus esse propria debent, v. c. boni justique studia iisque adaptata puerorum institutio ac vita civium, haec igitur indicet: et sane pervenit eatenus Plato. Sed, quod idem tentavit, ut civitatem ingenio talem fingeret, qualem omnes imitari civitates deceret unice, id nec perfecit nec homini perficiendum Deus concessit. Accidit autem ita, ut poëticis fabulis multi rempublicam illam Platonis accenserent, indeque conjecturâ ductâ, totam Platonis de ideis doctrinam contemnerent prorsus. Nobis vero, si recte interpretari doctrinam illam, inde autem ad usum ipsi nostrum proficere velimus, a placitis quibusdam ac conatibus philosophi ipsa ejus philosophia diligenter distinguenda est: quod, age, in fine hujus de ideis disquisitionis illustri exemplo declaremus.

Deus homini est, secundum Platonicae hujus doctrinae rationem, ipsius veritatis παράδειγμα.

Aggressus scribendo Plato est, quae hominis facultatem superabant: qua in re idem, quod post eum Aristoteles, egit. Verum Aristoteles eo philosophiae ipse suae ratione ducebatur; Platonis autem philosophia, quippe quae non sapientia, ut illius, sed φιλοσοφία i. e. *studium sapientiae* est, quamvis sublimis, accommodata tamen captui nostro est et facultatibus humanis. Ipsa haec idearum doctrina, si recte a commentis philosophi discernitur, tantum abest, ut vana et inania proferat, ut contra nos in nullarum non rerum, in divinarum adeo, in ipsius divinae naturae disquisitionibus ad veritatem adducat. Nam ipsius veritatis in ea τύποι, ut aliquoties monuimus, ideae sunt. Jubens nos igitur illa ideas unice in agendo vivendoque intueri, referre nos eadem, factisque et moribus prodere, *veritatem* jubet. Deus in ea fingitur ad τύπους illos veritatis rerum universitatem fingens: quod reputans quis est, quin *veritatis* studium in Deo cum agnoscat maxime, tum ad ipsam Dei naturam referat? Sed hoc animadvertamus potissimum. De Deo rebusque divinis non licet mortali homini nisi per metaphoras et imagines loqui

vel existimare. Quamobrem *ἰδέαι* hoc nomine, a sensibus ducto, tanquam *formae* dicuntur, et Deus ipse mundum informans similiter *ποιητὴς τοῦ κόσμου* ac *δημιουργὸς* appellatur. 1) Sed proprie, secundum ipsam Platonicae philosophiae rationem, ideae sunt *τὰ ὄντως ὄντα*. Deus autem *νοητὸς* est atque *ἐν τῷ ὄντι* ad illa *ὄντως ὄντα* cum *παράδειγμα* illud rerum, quae aliquando futurae essent, concepit *τῷ νῷ*, tum ad ejusdem similitudinem mundum *ὁρατὸν* informavit.

Hoc igitur modo cum existimare nos de ideis ac de divina natura doceat philosophia Platonis, quidni nos divinae naturae non solum attribuamus veritatem, sed ipsa eam veritate constare dicamus? Haec scilicet una dominatur in illis: nam veritatem quid esse aliud putemus, praeter illud, quod *est*, non fit ac nascitur, non alio tempore aliud vel est vel videtur esse, sed idem est perpetuo? Id autem ipsum, quod ita nobis e sublimi hac philosophia sublimis philosophus percipiendum, certe augurandum praebuit, admirabile est, ut exprimere omni aevo mortales conati sint. Celebratissima est Aegyptiaci templi inscriptio, a Plutarcho nobis servata: *Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον· καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν.* 2) Quid? quod nostris nos linguis *τὸ ὄν, τὴν οὐσίαν, veritatem sempiternam*, Deo adscribimus, et hac constare supremum numen dicimus, essentiam supremam, *être suprème*, unoque nomine *opperwezen*, Deum, quem colimus, appellantes. Quod item de ideis, ut paullo ante monui, usurpamus, quoties *αὐτὸ τὸ καλὸν* Graece *τῷ ὄντι καλὸν*, Belgice *wezenlijk schoon* vocamus. Sic sponte ipsi nostrâ hac *veritatis* notione quasi repraesentare animis nostris et Deum et res intelligibiles consuevimus. Quae cum ita sint, quidni et naturae convenire philosophiam Platonicam, et Deum ex hujus principiis philosophiae *ipsius veritatis ideale nostrum* sive *παράδειγμα* dicendum habendumque arbitremur? Philosophi post Platonem fere, auctore maxime Aristotele, quo magis caussarum assequerentur scientiam, interius hanc principem, hanc divinam caussam, ejusque naturam indagare ausi sunt: peplum illud, quod in antiqua inscriptione memoratur, quamvis mortales ipsi, detectum iverunt. Unde *ontologiae* disciplina exstitit, ab Aristotele jam prodita in libris de metaphysica; 3) verbis vero illa verborumque definitionibus magis, quam rebus constans. Praestabat ignorantiam in his nostram confiteri, vel Deum simpliciter ex usu linguarum *ipsam veritatem* appellare, vel, si Platonica exprimere imagine notionem nostram naturalem mallemus, secundum ejusdem de ideis doctrinam sic pronunciare: *esse Deum mortalibus ipsius verita-*

1) *Timaeo*. 28. C.
2) Plut. *de Is. et Osir*. 354. C.
3) Libro quinto praecipue.

tis, i. e. omnium quae sunt, ipsius pulcri, boni, justi, sancti summum, quod imitentur, παράδειγμα.

Ipsius haec ita adumbravimus philosophiae Platonicae caussâ; valent autem non minus, ni fallimur, ad sublimia sanctae doctrinae nostrae effata sive explicanda quodammodo sive interius perspicienda. Dicitur in ea ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ divinae ὑποστάσεως χαρακτὴρ 1); *ipsam* se esse *veritatem* profitetur: ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή. 2) Idemque hinc discessurus, discipulis se suis dixit absentiae suae consolatorem relicturum τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ ὁ κόσμος οὐ δύναται λαβεῖν, ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτὸ, οὐδὲ γινώσκει αὐτό· ὑμεῖς δὲ, inquit, γινώσκετε αὐτὸ, ὅτι παρ' ὑμῖν μένει καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται 3). Nam ita se profecto res habet. Quo magis in integritatem suam restituerimus philosophiam Platonis, eo plenius percepturi inde religionis nostrae vim omnem et sublimitatem sumus. Nec vero mirum. Verissimae enim religioni non potest non verissima philosophia cum convenire, tum lucem affundere.

---

1) Auct. *Ep. ad Hebr.* I. 3.

2) Joann. XIV. 6. Deum non semel antiqui Hebraeorum prophetae *veritatem* appellarunt. Vid. Deut. XXXII. 4. et Jer. X. 10.

3) Joann. XIV. 17.

DE HOMINIS AD VERITATEM

περιαγωγῇ.

Introduxit nos Plato per disciplinarum disquisitionem, tum maxime speluncae adhibitâ imagine, in mundum νοητὸν· quo nos translatos sublimis haec ejusdem de ideis et idealibus doctrina ad summa omnia et divina eduxit. Non quaerendum nobis magnopere hîc est, quod in aliorum doctrinis philosophorum persequendis quaerere solemus subinde nec perspicere, cur hoc iter sublime et quo proposito instituerimus. Nam *hominis* in his omnibus maxime rationem habuimus: ad erudiendum perficiendumque hominem valere Platonis doctrinam vidimus: hominis omnino humanarumque rerum provehendarum caussâ veritatem assequi cum Platone studuimus. Sed de hoc ipso quaerimus, in quo tamdiu jam versati sumus, *mundo νοητῷ*, quid proprie apud Platonem sit. Nam in eundem nos mundum et Aristoteles duxit et quotquot philosophi rem a specie, verum a falso distinguere nos docuerunt: quotquot item recentiore aevo de *substantiis*, de *monadibus*, de *essentiis*, denique quotquot de ipsis *νοουμένοις* et *φαινομένοις* egerunt; nec tamen horum omnium philosophia, quamvis videatur Platonicae similis, convenit cum illa, imo longe a Platonico philosophandi proposito recedit. Quamobrem, nisi quis, missis plane placitis his recentioris philosophiae, integro animo de Platone judicare studuerit, quid apud eum mundus νοητὸς sit, intelligere non poterit. Quo vero id rectius perspexerimus, eo plenius cum alia multa assequemur, tum etiam quid illud sit, quod in omni hac disputatione identidem et saepius nos monuit philosophus, *converti* nos mente animoque totos ad veritatem debere. Opus igitur denuo nobis discernendi diligentiâ erit, fructumque ex hac nova disquisitione, si quid video, hunc

sumus capturi, ut prouti hactenus admirati *sublimitatem* Platonicae philosophiae sumus, ita nunc ejusdem *simplicitatem*, sine qua vera sublimitas nulla est, agnoscamus et amemus.

Quid proprie est apud Platonem mundus νοητός; Discernuntur a recentiorum substantiis, monadibus, essentiis, νοουμένοις, τὰ νοητὰ Platonis.

Dici omnino Platonicâ voce νοητὰ possunt quae a recentioribus philosophis variis, quae memoravimus, nominibus vocantur. Nam non nisi ipsâ mente, αὐτῷ τῷ νῷ, intelligi *substantiae*, *monades*, similia possunt. Videantur adeo philosophi illi, prorsus Platonis instar, mundum νοητὸν spectabili mundo opposuisse, ut non miraremur magnopere, si quis eorum placitis Platonici specûs imaginem adhiberet. Rerum scilicet substantiam ab ea, quae nobis apparet, specie discreverunt; ut autem haec nobis species apparet, ita substantiam sive essentiam contenderunt soli Deo patere. Unde efficiamus facile, latere in his plane Platonicum illud, quod fertur, umbras nos rerum cernere, res ipsas nec cernere nec cogitare. Leibnitzius adeo de his substantiis vocabulum Graecum, non quidem Platonicum, sed Pythagoreum tamen, neque iccirco a Platonis philosophia alienum, usurpavit, quum *monades* eas appellaret. Sed multo propius etiam ad antiquam illam rationem Kantius et Hemsterhusius accesserunt. Kantius res sensibus percipiendas diligentissime, ut animadvertimus 1), a rebus νοηταῖς distinguens, plane Platonica ratione illas τὰ φαινόμενα, has τὰ νοούμενα vocavit, idemque, si minus ad haec distinguenda speluncam Platonis, ejusmodi certe imaginem usurpavit, quae videri a Platonis philosophia non aliena possit. Mundum adspectabilem insulae esse similem dixit, vasto oceano circumdatae: licere homini in hac insula, sensuum in primisque purae rationis ope, singula quae adsunt, cognoscere: quae vero extra eam sunt, nec sensibus posse nec purâ sive theoreticâ, sed unâ practicâ ratione, quae ad τὰ νοούμενα conversa est, percipi: quodsi quis ea sensibus velit assequi, quod plerique studuerunt metaphysici, huic verendum magnopere esse, ne, pariter atque illi, in isto metaphysicae oceano naufragium patiatur. Sed ipsa philosophi verba apponamus. In prooemio disquisitionis de *phaenomenorum*, quae vocat, et *noumenorum* discrimine sic pronunciat. *Wir haben jetzt das Land des reinen Verstandes nicht allein durchreiset; und jeden Theil davon sorgfältig in Augenschein genommen, sondern es auch durchmessen, und jedem Dinge auf demselben seine Stelle be-*

---

1) *Initia* p. 335.

stimmt. Dieses Land aber ist eine Insel, und durch die Natur selbst in unveränderliche Grenzen eingeschlossen. Es ist das Land der Wahrheit (ein reizender Name), umgeben von einem weiten und stürmischen Oceane, dem eigentlichen Sitze des Scheins, wo manche Nebelbank, und manches bald wegschmelzende Eis neue Länder lügt, und indem es den auf Entdeckungen herumschwärmenden Seefahrer unaufhörlich mit leeren Hoffnungen täuscht, ihn in Abentheuer verflechtet, von denen er niemals ablassen, und sie doch auch niemals zu Ende bringen kann. 1)

Dicamus, expressum plane a Kantio Platonem esse, qui similiter nos opinari et errare dixit, siquidem sensibus percipere, quae iis percipi non possunt, velimus. Idem dicendum de Hemsterhusio videatur. De materia is statuit nos pauca novisse, nec nisi partem illam, quae sensibus nostris convenit: caeterum praeter materiam, sive physicum hunc mundum, alium esse, *moralem* videlicet, prorsus a materia diversum alienumque, quem ita nobis percipere *organo morali* liceat, ut sensibus externis mundum physicum percipimus. Rem ille monumenti sive lapidis comparatione illustrabat, cujus in quatuor lateribus diversarum linguarum inscriptiones exstarent. In eodem monumento, ait, alii aliud longeque diversum, pro linguarum quas tenent diversitate, animadvertent. Eadem universi ratio est: infinitas numero et varietate partes ipsius essentia habet, quarum alias aliae naturae pro facultatum diversitate animadvertere et cognoscere possunt. Nobis, qui his quinque sensibus externis et interno praeterea, sive morali sensu, praediti sumus, partes ejus his sensibus facultatibusque nostris patentes exquirere et cognoscere licet, caeteras omnes non licet. Verum et hujus philosophi ipsa adscribamus verba. *Supposons*, sic Euthyphron apud eum in pulcerrimo dialogo de philosophia, *supposons un bloc de marbre, sur lequel il y auroit quatre inscriptions différentes, en grec, en arabe, en latin, en françois. Moi, qui ne sais que ma langue, je vous dirai le fait que ce monument me révèle. Mais écoutez le Grec; il vous dira: cette pièce me dit bien des choses sur le siége de Troie. L'Arabe dira: ce marbre donne de grandes lumières sur l'histoire de la chevalerie de Saladin. Le Romain: je ne savois pas que Cestius étoit l'affranchi de Pompée. Vous voyez que ces gens ne sauroient juger que sur ce qui est tourné de leur côté, sur ce qui est compréhensible pour eux: et il en est de même des essences.* 2)

---

1) Kant *Crit. der r. Vern.* p. 294. Ed. Rigae 1787.

2) Hemst. *Oeuv. philos.* Vol. I. 281 et 282. Ed. Paris. 1792. Cf. J. G. Römer *Spec. in doctr. Hemst. de nat. div.* Traj. 1839. p. 13 sqq.

Ad hominem refertur unice, non ad res, philosophia Platonis.

Non parum his placitis cum philosophia Platonis similitudinis intercedere, lectores vident. Nobis, quo hanc accuratius et secernamus ab illis et ipsam definiamus, hoc notandum, *res* in primis et *rerum* naturam respexisse philosophos illos, cum Platonis doctrina ad ipsum *hominem* referatur unice. Uti speluncae apud eum imago, ita ejus philosophia παιδεύσεως maxime et ἀπαιδευσίας declarandae causså prodita est. Sunt in pulcerrima illa comparatione multa, quibus declarare *substantias* illas, *monades*, *essentias* liceat. Fingere illi quoque potuissent philosophi, nos in caverna habitare, in qua umbras rerum, non res, spectemus, quippe sensibus non ad ipsas rerum substantias, ad interiorem earum naturam, quod uni Deo licet, penetrantes. Veruntamen ad hominis παίδευσιν non continuo, non proprie hae doctrinae pertinent. Magis huc valent quae ab aliis de *ratione practica*, de *morali organo* et *mundo morali* prodita sunt: hi nos e specu in alium mundum, atque ille est quem sensibus percipimus, transferunt, et propius, ut vidimus, ad Platonicam philosophiam accedunt. Verum, quemadmodum homo a mundi spectabilis umbris totus converti ad τὰ νοητὰ debeat, ut puram intaminatamque veritatem mente videat, id nemo philosophorum, quos nos coguovimus, tam studiose, tam apte, tam plene, quam hac imagine Plato, demonstravit. Sed illud animadvertamus praesertim.

Haec ipsa, quae Plato νοητὰ appellat, extra mundum adspectabilem, extra materiem, quam fere vocare philosophi solent, adsunt. Censet in illis, ut vidimus, τὸ ἴσον, τὸ μέγεθος, *notiones* omnino, quae ad cogitandum et judicandum necessariae nobis sunt, tum *ideas* proprie sic dictas, ut τὸ καλὸν, το ἀγαθὸν, τὸ δίκαιον. Esse autem haec ab eo extra mundum adspectabilem ficta, e Phaedro, e Timaeo aliisque ejus dialogis didicimus. In Timaeo prorsus ideas, ut animadvertimus modo, 1) a *materia* distinguit. Nam Deus illic ad ideam boni materiem format. Referuntur igitur apud eum τὰ νοητὰ ad mentem unice, certe non, ut Kantii νοούμενα aliorumque substantiae et monades, ad materiem item, cui haec subesse dicuntur. Sic autem Plato ad mentem proprie τὰ νοητὰ referens, παίδευσιν esse dixit *hominis ad τὰ νοητὰ, τὰ ὄντα, ad veritatem conversionem*, deque homine erudiendo effatum protulit, quo nullum facile ad usum vitae accommodatius efficaciusque est, hujusmodi illud: hominis ignorantiam minus facultatum, quibus praeditus est, tenuitati, aut rerum, quas cognoscere studet, conditioni esse tribuendam, quam perversae rationi, qua utitur facultatibus suis: sive, ut rectius il-

1) *Initia* p. 374.

lud, ut Platonice enunciemus, *icciroo nos opinari fere, non vero scire, quia non illuc, quo oportet, mentis oculum conversum habemus.*

Nihil nos detrahimus excellentium, quos diximus, philosophorum laudibus. Fatemur ingenue, mirifice nobis placuisse fere cum Kantii illam insulam, quacum purae rationis fines comparavit, tum magis etiam monumentum inscriptionum varietate conspicuum Hemsterhusianum, quo is praesentem nostram cognoscendi facultatem determinavit. Quodsi utilitas agitur, quae ad vitae usum, ad rite excolendum hominem e philosophia capienda est, majorem equidem uberioremque e philosophia Platonis, quam ex his illorum philosophorum placitis, percipi dixerim. Nam utile omnino negotium est, quid coguoscere possimus, quid non possimus, describere accurate, quo magis ab affirmandi temeritate, quae fere est philosophorum propria, abstineamus; sed demonstrare, quid caussae sit, cur quae possint cognoscere mortales, non exquirant, tum etiam, quemadmodum ea facillimâ ratione cum exqnirere iisdem liceat tum invenire, id, inquam, demonstrare viamque qua eo perveniatur ostendere, majoris etiam esse et summae utilitatis videtur. Utrumque autem praestitit nobis Plato. Non res ille, quum de mundo *νοητῷ* ageret, ut alii, respexit. Non finxit in spelunca homines, qui caliginis caussâ vix quidquam conspicerent: quod in aliorum quadrat philosophorum placita, qui *rerum* conditioni obscurae et reconditae, non *hominis* torpori, ignorantiam tribuunt humanam. In fabula Platonis ignis adest continuo, adest lucetque sol: finguntur vero captivi nec ad ignem nec ad solem oculis conversi, quippe captivi et vinculis cohibiti, quo minus ab umbris se ad ignem convertant escendantque e carceris tenebris ad ipsum solem adspiciendum. Plane id convenit philosophiae Platonicae. Opinamur de Platonis sententia et erramus, non quia fato nobis destinatae tenebrae sunt, vel propterea, quod ipsi videre non possumus; sed hac maxime caussa, quod oculos habemus non ad lucem, quae adest, i. e. ad mundum *νοητὸν*, ad ideas, sed ad tenebras incertasque umbras conversos, umbrasque istas et tenebras luci anteponimus.

Id supra nos docuerat Plato 1); nunc vero demum, ni fallor, intelligimus. Nam disertis id verbis ipsa oculorum et mentis comparatione significavit: quod lubenter hìc, credo, iterum legemus. *Ὀφθαλμοὶ*, inquit illic Socrates, *οἶσθ᾽ ὅτι, ὅταν μηκέτι ἐπ᾽ ἐκεῖνά τις αὐτοὺς τρέπῃ, ὧν ἂν τὰς χρόας τὸ ἡμερινὸν φῶς ἐπέχῃ, ἀλλ᾽ ὧν νυκτερινὰ φέγγη, ἀμβλυώττουσί τε καὶ ἐγγὺς φαίνονται τυφλῶν, ὥσπερ οὐκ ἐνούσης καθαρᾶς ὄψεως;— Καὶ μάλα. — Ὅταν δέ γ᾽, οἶμαι, ὧν ὁ ἥλιος καταλάμπει, σαφῶς ὁρῶσι, καὶ τοῖς αὐτοῖς τούτοις ὄμμασιν ὄψις ἐνοῦσα φαίνεται.* —

1) *Initia* p. 338

Τί μήν; — Οὕτω τοίνυν καὶ τὸ τῆς ψυχῆς ὧδε νόει· ὅταν μὲν οὗ 1) *καταλάμπει ἀλήθειά τε καὶ τὸ ὄν, εἰς τοῦτο ἀπερείσηται, ἐνόησέ τε καὶ ἔγνω αὐτὸ, καὶ νοῦν ἔχειν φαίνεται· ὅταν δὲ εἰς τὸ τῷ σκότῳ κεκραμένον, τὸ γιγνόμενόν τε καὶ ἀπολλύμενον, δοξάζει τε καὶ ἀμβλυώττει, ἄνω καὶ κάτω τὰς δόξας μεταβάλλον καὶ ἔοικεν αὖ νοῦν οὐκ ἔχοντι· oculi, ut nosti, ubi quis eos non ad ea converterit, quorum colores diurna lux illustrat, sed ad illa; quibus affusa nocti similis lux est, coecutiunt ac coeci fere esse videntur, acsi visus ipsis purus non inesset. — Sic accidit. — Quodsi, credo, ad ea sunt conversi, quorum coloribus sol lumen affundit, clare cernunt, iisdemque illis inesse videtur visus. — Quidni? — Sic item de mente cogita: ubi ad illud, quod veritas et τὸ ὂν illustrat, intenta fuerit, intelligit cognoscitque id et sapere videtur; sin vero ad ea spectat, quae tenebris mixta sunt, quae fiunt atque intereunt, opinatur ac coecutit, nunc huc, nunc illuc opiniones versans, similisque rursus insipienti est.* 2)

Itaque, ut in cavernae descriptione, sic in ipsa philosophia Platonis mira simplicitas est rationis, qua homo ad veritatem cognoscendam accedit. Non tenebris istis loci subterranei lumen adhibetur, quo diffundantur; sed ipsi captivi, vinculis soluti, ad ignem illum, qui adest, convertuntur simpliciter. Eadem manet antri, quae fuerat antea, conditio; sed illi egrediuntur ex illo et ipsi solem, qui lucet, adspiciunt. Pari simplicitate Plato de homine hominisque ad veritatem progressibus philosophatur. Misera est profecto, ait, praesens animi humani conditio: sensibus fere fidem habemus, atque ita pro veritate simulacra et simulacrorum adeo umbras conspicimus: unde infiniti errores nostri et ignorantia summa. Sed malorum ipsi suorum mortales auctores sunt. Licet nobis veritatem in hac ipsa conditione nostra, qualicunque tandem illa, conspicere, modo sensuum ac praejudicatarum opinionum vinculis solvi nos et converti ab umbris ad simulacra et ipsas res siverimus. Mundi adspectabilis, ut cavernae, qualis est ac fuit, talis manet ratio; sed nobis opera danda est, ut disciplinarum ope illarum, quae a sensibus nos revocant, ac trahunt nos ad *τὰ ὄντα*, harum igitur nos ope e spectabili mundo in alterum illum, *τὸν νοητὸν*, in quo lucent ideae, escendamus.— Haec item nos docuit in superioribus Plato, quum optimam nobis traderet philosophi institutionem. Nunc, quo dilucidius nobis Platonicae doctrinae vis pateat, iterum commemorare praeclaras ejus sententias juvat.

---

1) Videtur legendum ὅ—*εἰς τοῦτο.*

2) *De Rep.* VI. 508. C. D.

Quas vis proprie est Platonici placiti de hominis ad veritatem περιαγωγῇ;

«Non puerile negotium est, ait Plato, οὐκ ὀστράκου ἂν εἴη περιστροφὴ animi illa circumversio; verum ipsius est mentis a die qui noctem refert ad verum diem ἐπάνοδος· eandemque illam ἐπάνοδον veram appellare philosophiam licet." 1) Sed locum in primis apud Platonem attendamus, quo et divinam hanc sententiam explicuit plane et summum nobis tradidit philosophiae officium. «Ut recte, ait, philosophos instituamus, qui civitati aliquando nostrae praefuturi sunt, τὴν παιδείαν existimemus non talem esse, qualem vulgo putant. Φασὶ δέ που, οὐκ ἐνούσης ἐν τῇ ψυχῇ ἐπιστήμης, σφεῖς ἐντιθέναι, οἷον τυφλοῖς ὀφθαλμοῖς ὄψιν ἐντιθέντες. Ὁ δέ γε νῦν λόγος σημαίνει, ταύτην τὴν ἐνοῦσαν ἑκάστου δύναμιν ἐν τῇ ψυχῇ καὶ τὸ ὄργανον ᾧ καταμανθάνει ἕκαστος, οἷον εἰ ὄμμα μὴ δυνατὸν ἦν ἄλλως ἢ ξὺν ὅλῳ τῷ σώματι στρέφειν πρὸς τὸ φανὸν ἐκ τοῦ σκοτώδους, οὕτω ξὺν ὅλῃ τῇ ψυχῇ ἐκ τοῦ γιγνομένου περιακτέον εἶναι, ἕως ἂν εἰς τὸ ὂν καὶ τοῦ ὄντος τὸ φανότατον δυνατὴ γένηται ἀνασχέσθαι θεωμένη· τοῦτο δ' εἶναι φαμεν τἀγαθόν· *dicunt fere, cum non sit in animo scientia, se imposituros, acsi coecis oculis visum imponerent. Praesens autem haec nostra disputatio ostendit, vim hancce, quae cujusque in animo inest et organum, quo discit quisque, perinde acsi oculum aliquis non posset aliter, quam una cum toto corpore, ab obscuro loco ad lucidum convertere, sic illa ab iis, quae fiunt et pereunt, una cum toto animo circumvertenda esse, donec ad illud quod est, eorumque quae sunt, lucidissimum, aciem intendere sustinuerit: id autem esse ipsum bonum dximus.*" Hinc unice ars intelligitur institutionis verae. «Τούτου τοίνυν αὐτοῦ τέχνη ἂν εἴη τῆς περιαγωγῆς, τίνα τρόπον ὡς ῥᾶστά τε καὶ ἀνυσιμώτατα μεταστραφήσεται· οὐ τοῦ ἐμποιῆσαι αὐτῷ τὸ ὁρᾶν, ἀλλ' ὡς ἔχοντι μὲν αὐτὸ, οὐκ ὀρθῶς δὲ τετραμμένῳ, οὐδὲ βλέποντι οἷ ἔδει, τοῦτο διαμηχανήσασθαι· *hujus igitur ipsius organi circumvertendi ars institutio justa sit, quemadmodum et facillime et efficacissime convertatur: non, ut ingeratur ei videndi facultas, sed, cum habeat hancce, non vero recte conversum sit, nec quo decet spectet, ut convertatur apte, efficiatur.*"

Est scilicet in homine divinum quid, quod confundi cum caeteris ejus virtutibus non debet: id autem eo conversum, quo non oportet, ad pessima eum rapit. Nam sic se omnino res habet: non mentis facultatibus constat praestantia hominis, sed ipsius mentis ad optima quaeque conversione. «Αἱ μὲν τοίνυν ἄλλαι ἀρεταὶ καλούμεναι ψυχῆς κινδυνεύου-

1) *De Rep.* VII. 521. C. Cff. *Initia* p. 33.

σιν ἐγγύς τι εἶναι τῶν τοῦ σώματος -- τῷ ὄντι γὰρ οὐκ ἐνοῦσαι πρότερον, ὕστερον ἐμποιεῖσθαι ἔθεσί τε καὶ ἀσκήσεσιν — ἡ δὲ τοῦ φρονῆσαι παντὸς μᾶλλον θειοτέρου τινὸς τυγχάνει, ὡς ἔοικεν, οὖσα, ὃ τὴν μὲν δύναμιν οὐδέποτε ἀπόλλυσιν, ὑπὸ δὲ τῆς περιαγωγῆς χρήσιμόν τε καὶ ὠφέλιμον, καὶ ἄχρηστον αὖ καὶ βλαβερὸν γίγνεται· ἢ οὔπω ἐννενόηκας, τῶν λεγομένων μὲν σοφῶν, πονηρῶν δὲ, 1) ὡς δριμὺ μὲν βλέπει τὸ ψυχάριον, καὶ ὀξέως διορᾷ ταῦτα ἐφ' ἃ τέτραπται, ὡς οὐ φαύλην ἔχον τὴν ὄψιν, κακίᾳ δ' ἠναγκασμένον ὑπηρετεῖν, ὥστε ὅσῳ ἂν ὀξύτερον βλέπῃ, τοσούτῳ πλείω κακὰ ἐργαζόμενον; *caeterae enim animi quae dicuntur virtutes, similes quodammodo esse corporis virtutibus videntur: nam cum non insint ei reapse primum, postea consuetudine et exercitationibus adsciscuntur; cogitandi vero virtus divinioris cujusdam, ut videtur, naturae est, quae vim suam amittit nunquam, conversione vere utilis et salutaris ac noxia fit. Nondumne animadvertisti, malorum hominum, sed qui sollertes habentur, quam acute cernat animula, quamque celeriter omnia, ad quae est conversa, perspiciat, quippe visum non malum habens, sed pravitati servire coacta, ut quo acutius cernit, eo plus mali perficiat?"* Sursum igitur mens hominis a tenera inde aetate erigenda convertendaque ad veritatem est. «*Τοῦτο μέντοι τὸ τῆς τοιαύτης φύσεως, εἰ ἐκ παιδὸς εὐθὺς κοπτόμενον, περιεκόπη τὰ τῆς γενέσεως ξυγγενῆ, ὥςπερ μολυβδίδας, αἳ δὴ ἐδωδαῖς τε καὶ τῶν τοιούτων ἡδοναῖς τε καὶ λιχνείαις προσφυεῖς γιγνόμεναι περὶ τὰ κάτω στρέφουσι τὴν τῆς ψυχῆς ὄψιν· ὧν εἰ ἀπαλλαγὲν περιεστρέφετο εἰς τἀληθῆ, καὶ ἐκεῖνα ἂν τὸ αὐτὸ τοῦτο τῶν αὐτῶν ἀνθρώπων ὀξύτατα ἑώρα, ὥσπερ καὶ ἐφ' ἃ νῦν τέτραπται· hujuscemodi natura, sollers quidem illa, sed ad prava conversa, si a tenera continuo aetate sic fuisset culta, ut amputatae in ea essent naturae affines cupiditates, quae comestionibus similibusque voluptatibus ipsi adhaeserunt et tanquam plumbea pondera deorsum eam premunt, ejusque aciem ad inferiora vertunt: his igitur liberata si ad vera converteretur, illa rursus eadem acutissime perspiceret, sicuti nunc perspicit, ad quae nunc est conversa.* Sic autem eruditi civitatis nostrae gubernatores, sic ad veritatem, ad ipsum *bonum* conversi, administrabunt eam recte. Quamobrem *ἡμέτερον δὴ ἔργον τῶν οἰκιστῶν, τάς τε βελτίστας φύσεις ἀναγκάσαι ἀφικέσθαι πρὸς τὸ μάθημα ὃ ἐν τῷ πρόσθεν ἔφαμεν εἶναι μέγιστον, ἰδεῖν τε τὸ ἀγαθὸν, καὶ ἀναβῆναι ἐκείνην τὴν ἀνάβασιν· nostrum igitur, qui condidimus civitatem, officium erit, ut optimas quasque naturas et pervenire cogamus ad eam, quam esse maximam diximus, disciplinam et bonum cernere et illo modo ad superiora escendere."* 2)

---

1) Sic legendum esse mihi persuasit juvenis optimus, mecum haec Platonis legens, *P. J. Scheltema.* Ficini versione emendata lectio confirmatur.

2) *De Rep.* VII. 518 C.—519 D.

Quid spectaverit maxime Plato, quum *converti* nos ad veritatem oportere statueret, hinc, credo, intelligere coepimus; sed quaerendo discernendoque pergamus, totamque hanc philosophi doctrinam e Socraticae philosophiae principiis illustremus.

Socraticam refert rationem tota haec Platonis cum de mundo νοητῷ deque ideis, tum de hominis ad veritatem περιαγωγῇ doctrina.

Confunditur fere cum Aristotelis metaphysico, qui inepte sic vocatur, mundo mundus Platonis νοητὸς. Quo fit, ut Plato dicatur subinde cognitionis humanae fines migrasse. Fecit id, ut vidimus, Aristoteles. Ὑπὲρ τὰ φυσικὰ se erigens, caussas exquisivit rerum omnium, ut hinc res divinas omnes et humanas explicaret. Quod Humio primum, tum Kantio, uti novimus, item Hemsterhusio opportunitatem dedit, ut cognitionis humanae fines ponerent. Plato, fateor non posuit illos; veruntamen migrasse eosdem nullo jure dicitur. Duxerit is Aristotelem, quod animadvertimus, ad metaphysicam tradendam; 1) sed νοητὸς ejus mundus á metaphysico illo Aristotelis longe diversus est. Non enim escensio hominis ex antro eo valet apud Platonem, ut e superioribus regionibus caussas rerum omnium peteret, sed eo simpliciter, ut, quae illic viderit, hic ad res nostras recte componendas adhiberet. Vidit autem illic τὰ νοητὰ, quae nisi percepisset animo intuitusque fuisset, nec recte cogitare de rebus nostris aut judicare, nec vero perficere quod vere sit pulcrum et bonum possit. Alte evolarunt metaphysici fere, ut in sublime elati mitterent plane mundum adspectabilem; sed apud Platonem redeunt in antrum qui escenderant, et, licet huc reversi displiceant hominibus, qui etiamnunc pulcri bonique falsis speciebus tenentur unice, consulere tamen eorum rebus, vindicare eorum libertatem, evehere eos et convertere ad veritatem non cessant. «Ἀνάγκη ἐκ τῶν προειρημένων, ait, μήτε τοὺς ἀπαιδεύτους καὶ ἀληθείας ἀπείρους ἱκανῶς ἄν ποτε πόλιν ἐπιτροπεῦσαι, μήτε τοὺς ἐν παιδείᾳ ἐωμένους διατρίβειν διὰ τέλους· τοὺς μὲν, ὅτι σκοπὸν ἐν τῷ βίῳ οὐκ ἔχουσιν ἕνα, οὗ στοχαζομένους δεῖ ἅπαντα πράττειν ἃ ἂν πράττωσιν ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ· τοὺς δὲ, ὅτι ἑκόντες εἶναι οὐ πράξουσιν, ἡγούμενοι ἐν μακάρων νήσοις ζῶντες ἔτι ἀπῳκίσθαι· *e dictis necessario consequitur, nec rudes homines veritatisque ignaros civitatem administrare recte posse, nec vero eos, qui perpetuo doctrinae studiis operam navare pergunt: illos, quia non unum habent in vita, quo omnia privatim publiceque referant, propositum, hos, quia sponte ipsi suâ nihil sunt peracturi, existimantes, vivos jam sese*

---

1) *Initia* p. 349.

in beatorum insulis degere. 1) Ergo, ut escenderint ex antro et singula viderint, non cedendum nostris philosophis est, quod nunc iis cedi solet, *τὸ αὐτοῦ καταμένειν καὶ μὴ ἐθέλειν πάλιν καταβαίνειν παρ' ἐκείνους τοὺς δεσμώτας, μηδὲ μετέχειν τῶν παρ' ἐκείνοις πόνων τε καὶ τιμῶν, εἴτε φαυλότεραι, εἴτε σπουδαιότεραι· ut illic maneant nec descendere denuo ad illos captivos velint nec laborum istorum honorumque, sive viliores sint sive honoratiores, participes esse.*" 2)

Socraticus nempe philosophus Plato fuit, quod identidem in his disquisitionibus et saepenumero animadvertimus, et quamvis ipse subinde altius tendere, quam Socratica ratio ferret, videretur, tamen, si philosophiam viri, si id quod constanter et perpetuo secutus est, si ipsam hanc mundi *νοητοῦ* apud eum descriptionem spectamus, non magnopere nobis discessisse a magistri sententia ac proposito videbitur. Refert plane haec descriptio philosophiam Socraticam. Nam abest tantum ut, quae prodidit in illa auctor de mundo *νοητῷ*, metaphysicorum somniis adscribenda sint, ut ad tuendam veritatem optimamque institutionem commendandam unice pertineant; Socrates autem quid egit per totam vitam magis constantiusque, quam nt utramque proveheret? Vel fallor eqnidem, vel in ipsa hac descriptione Plato Socratis sui meminit, ubi de philosophis narrat, qui in antrum reversi ac solvere captivos et edncere inde conati, sic displicent captivis, ut hi illos, *εἴ πως ἐν ταῖς χερσὶ δύναιντο λαβεῖν, si manibus possent comprehendere*, occiderent. 3) Simplicissimum omnino negotium mundus *νοητὸς* est, si a metaphysico illo Aristotelis distinguitur diligenter. Ipse Socrates, quod Plato hoc loco significasse videtur, in eum educere cives suos studuerat, qui quaesivisset semper, quid pulcrum, quid justum, quid bonum esset. E mundo adspectabili haec discere non poterant, quippe qui ipsum pulcrum, ipsum justum bonumque non sensibns percipiendum praebet: quaerendo igitur educere eos illuc conabatur, ubi non corporis, sed mentis oculo veritatem assequerentur. Imaginibus haec Plato fingendoque mundo *νοητῷ*, *τόπῳ ὑπερουρανίῳ*, veritatis prato, hoc ipso specu declarare studuit; sed res ipsa simplicissima naturaeque convenientissima est. Usurpare autem ille imagines istas debuit, quia non tantum ipse illuc, ut Socrates, evehere discipulos suos conabatur, sed idem, qua homo ratione et ipse ad veritatem per philosophiam perveniret et alios educeret, describendum susceperat.

---

1) *De Rep.* VII. 519. B. C.
2) *Eod.* 519. D.
3) *Eod.* 517. A.

Quid maxime effecisse difficilem doctrinae hujus Platonicae interpretationem videtur?

Sed ut difficilis quodammodo haec res, quamvis simplex et naturae consentanea, recentioris aetatis hominibus esset, metaphysicâ non tantum Aristotelis, sed multo magis etiam placitis effectum philosophorum est, quibus illustrari Plato videbatur, quum essent reapse ab ejus philosophia aliena; accessit autem sacrae doctrinae nostrae auctoritas. In morum disciplina tractanda *mundum moralem* memorarunt fere recentiores. Distinguere hunc a *physico mundo* non minore diligentia Hemsterhusius studuit, quam Plato ab ὁρατῷ mundo τὸν νοητὸν distinxerat: similiterque is in homine organum exploravit, quo res morales, ut oculo physicas, percipit. 1) Et vero pariter nos jussit, si, quid justum sit, quid bonum, quid pulcrum, vellemus explorare, relicto spectabili mundo, in moralem illum escendere. 2) Conjecturam hinc capere in promtu erat, quemadmodum et τόπον illum apud Platonem νοητὸν et vero ὄργανον τῆς ψυχῆς, quod memorat, interpretari nos oporteret. Et fateor, juvenem me cum aliorum philosophorum, tum Hemsterhusii in his placitis exponendis sublimitate abreptum, ad eorum sententiam Platonicam doctrinam accommodatum ivisse. Postea, ut e scriptis unice Platonis ipsius placita explicare conatus sum, erroris me mei poenituit: distinguere a recentioribus his philosophis antiquum illum didici, visusque mihi sum perspicere, recte Platonem ad veritatem verique studium retulisse omnia. Nam sensus moralis nisi idem *veri* sensus sit, fallere nos non minus, quam visus, auditus, caeteri sensus potest; magis adeo de rebus bonis et malis, justis et injustis discesserunt omni aevo a se invicem hominum sententiae, quam de physicis, quae dicuntur, rebus: mundus autem moralis, nisi *veritas* in eo dominatur, reapse, qualis sit, intelligi nullo modo potest. Simplicius igitur Plato rectiusque, ut videtur, *veri* unice laudavit *sensum*, ὄργανον illud scilicet τῆς ψυχῆς, μυρίων ὀμμάτων κρεῖττον, ᾧ γε μόνῳ ἀλήθεια ὁρᾶται· mundumque νοητὸν huic fecit sive sensui sive ὀργάνῳ sive ψυχῆς ὄμματι respondentem. 3) *Verum* scilicet illud est, quod unum spectare hominem omni in caussa oportet, nec ulla dici recte morum disciplina potest, nisi quae eadem ipsius sit *veritatis* disciplina.

Quod autem memoravi *sacrae* doctrinae nostrae auctoritatem, factum in primis ejus *sublimitate* est, ut animi apud Platonem in mundum νοητὸν escensio vulgo acciperetur perperam. Nam regnum veritatis, quod

---

1) Hemst. *Oeuv. phil.* Vol. I. 177.
2) Id. Vol. II. 50.
3) *Initia* p. 284.

Plato spectat, in quo *βασιλεύει ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα,* 1) in ea vocari *coeleste regnum* solet, quippe *coelum* non quidem unice, praecipue tamen spectans. Cui dicendi rationi vulgo homines a teneris assueti, facile hanc ipsam in Platonis philosophiam transtulerunt, ut *ὁρατῷ* mundo *terrestrem* hanc vitam nostram, *νοητῷ* vero *coelestem* intelligerent. Perperam profecto illi. Nam Plato licet futuram animi conditionem negligeret minime, praecipue tamen, quemadmodum *in his terris* erudiremur recte ac per disciplinas ad veri scientiam perveniremus, quaesivit: *παιδείας* unice, ut ipse ait, atque *ἀπαιδευσίας* gratiâ totam hanc de mundo *νοητῷ* disquisitionem instituit. 2) Non confundenda igitur erant, quae naturâ sunt distincta. Praestabat a divinis humana discernere, atque ad assequendam divinae illius doctrinae sublimitatem, humanam hanc adhibere. Nam pariter illa ipsis his verbis continet *hominis ad lucem et veritatem conversionem.* 3) In illa pariter atque apud Platonem non rebus, sed ipsis hominibus hominum iguorantia tribuitur: *ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος, ἢ τὸ φῶς.* 4) Quod in Hemsterhusii ac plerorumque philosophorum morali disciplina desideramus, veritatis dico studium, id tam religio nobis nostra, quam Platonis philosophia, praestat, quippe quae et spirat veritatem pariter et hominem non ad virtutem, ut fere philosophorum doctrinae, nec ad vitae sanctitatem, ut caeterae fere religiones, sed ad *veritatem* ducit: *ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς.* 5) Pariter adeo eadem non lumen admovendum tenebris, unde nil quidquam percipere utilitatis coeci mortales possent, sed ipsos horum oculos aperiendos esse ac convertendos ad lucem praecipit: *ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς* gentium, *τοῦ ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκότους εἰς φῶς.* 6) Quid? quod *πνεῦμα* in eadem doctrina illa *τῆς ἀληθείας,* pariter atque ipsa veritas apud Platonem, capi a vulgo propterea non posse dicitur, quia non *conspicit* illud, cum tamen sit *in homine.* *Ὑμεῖς δὲ γινώσκετε αὐτὸ, ὅτι παρ' ὑμῖν μένει καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται.* 7) Quae singula omnibus nota, sed a paucis explorata satis,

---

1) *De Rep.* VI. 509. D. Cf. VII. 516. B. et 517. B. C.

2) *Eod.*

3) Luc. *Act. Apost.* XXVI. 18. Frequenter in primis homines ad *Deum ἐπιστρέφεσθαι* dicuntur, ut *Ep. ad Cor.* II. 3, 16. Petri *Ep.* I. 2, 25. Pauli *Ep. ad Thess.* I. 1, 9 Cave autem, ne loca huc referas, quae *μετανοίας*, non *ἐπιστροφῆς* notionem habent, uti Marc. *Euang.* I. 4. et infinita alia: quamquam vertendo fere interpretes has notiones confuderunt.

4) Joann. *Euang.* III. 19.

5) Id. *eod.* 21.

6) Luc. *Act. Apost.* XXVI. 18.

7) Joann. *Euang.* XIV. 17. Cff. *Initia* p. 375.

eo profecto facilius percipiemus, eoque magis quam sint sublimia, quam unice vera ac naturae humanae congruentia, assequemur, quo omnem hanc Platonis de *veri amore*, de *disciplinis*, de *mundo intelligibili*, de *ideis* et *idealibus*, de *hac* item potissimum *hominis ad veritatem conversione* doctrinam perspexerimus interius.

DE VERI APUD PLATONEM, SIVE τοῦ ὄντος, SCIENTIA.

Sic autem secretis a philosophia Platonis simillimis quibusque cum philosophorum placitis, tum effatis etiam divinis, quis ejus *finis* sit maxime, patere nobis quodammodo incipit: videorque mihi cernere, *hominis* eam proprie esse *ad veritatis scientiam institutionem*. Nam ad *hominem* refertur tota, ut haec omnis nos docuit disquisitio nostra: in explorando autem homine nil magis spectat, quam, ut erudiat nos, ut perficiat, in ipsum nos ducat veritatis regnum. Quaerendum igitur nunc nobis porro de hac ipsa veritatis, *τοῦ ὄντος*, *αὐτοῦ τοῦ ὄντος*, *scientia*, quid tandem sit, videtur, ut de fine Platonicae philosophiae constet nobis aliquando. Quodsi talem hunc compererimus, qualem nunc esse auguramur, videbimus profecto, hoc proposito praeclaro philosophiam illam cum distingui maxime ab illorum doctrinis, quibus caussarum scientia unicus finis est, tum proxime a divinis praeceptis abesse.

Sed huc progredientibus tandem, in mentem nobis sophistarum istorum et oratorum venit, qui in ipso itineris nostri ingressu 1) inania nos agere, si veritatem et scientiam quaereremus, clamabant, veritatem esse nullam contendentes, unam in rebus humanis *opinionem* dominari. In quibus erant qui de hac ipsa re, de *opinione*, satis acute, partim etiam vere, dicerent: in primis Protagoras, qui illud crepabat, *omnium rerum hominem esse mensuram*. Nos tum quidem illos non morati sumus. Fla-

---

1) *Initia* p. 121. 236.

grantes ipsi veri amore, hoc summum philosophiae principium in ipso homine explorare gestiebamus. Nunc vero, postquam et hoc philosophiae principium et disciplinas, quibus haec nos ad veri scientiam ducit, et exploravimus et declaravimus, cumque jam simus de ipso philosophiae fine acturi, nunc, inquam, non tantum non rejiciendi illi nobis sunt, sed in consilium adeo adhibendi videntur. Nam quamvis apud nos de insito illo nobis veri amore deque disciplinarum vi et efficacitate ad alendum hunc amorem, hominemque in mundum νοητὸν, in regnum veritatis evehendum constet, si nec scientia ulla est nec veritas cum scientia conjuncta, irrita nobis erunt, quae tam studiose, tam longo et arduo itinere persecuti sumus. Assequemur enim pro scientia, quam jamjam nobis attigisse videbamur, opinionem scilicet, veram fortasse illam, ut perhibent illi, certe probabilem et veri simillimam, sed *opinionem* tamen, quae item esse falsa potest. Redeamus igitur in hoc exitu disquisitionis nostrae ad sophistarum illorum similiumque philosophorum doctrinas. Si probabiliter non tantum, sed vere de opinione dixisse videbuntur, assentiemur iis: nam quod videtur verissimum, tum quidem, si scientia nulla sit, unice amplectendum erit. Sin vero sententiam nobis suam non persuaserint, id lucrati erimus, ut scientiam ab opinione, quod nobis nunc potissimum agendum esse duximus, recte didicerimus distinguere: tum vero nobismet ipsis persuaserimus plene, unum esse philosophiae, eundemque certum et immutabilem finem, veri sive τοῦ ὄντος scientiam.

Comparantur cum universa hac Platonis doctrina sophistarum priscorumque philosophorum de opinione placita.

Ut orsi hanc totam de philosophia veri disquisitionem a *Theaeteto* Platonis sumus, ita ad postremum jam argumenti locum accedentibus idem nobis dialogus prae caeteris attendendus erit. Socratis enim in eo cum Theaeteto adolescente et Theodoro sermones ἐπιστήμην, ipsam de qua nunc agimus *scientiam*, materiam habent. Sed tum potissimum *puerum* hunc consideravimus, τὸν εὐμαθῆ, τὸν φιλομαθῆ, τὸν φύσει φιλόσοφον, quo magis in explorando veri amore insitam illam homini philosophiam hoc exemplo declararemus. 1) Nunc ipsum nobis dialogi *argumentum* considerandum proprie erit. Nam pertinet quidem maxime disputatio illa ad μαιευτικὴν Socraticam dramatice, ut animadvertimus, lectoribus proponendam: definitiones argumenti, quas profert Theaetetus, a Socrate explorantur et confutantur. Sed quamvis iccirco magis in dialogo hocce, quid non sit scientia, quam quid sit, ostendatur, hoc ipsum

1) *Initia* p. 124.

quid non sit, vidisse, magni nobis ad scientiam assequendam momenti erit, ut secernamus ab ea continuo, quae falso hoc praeclaro nomine dicuntur. Sed hac de re postea: nunc, quod nobis proximum est, ipsas sophistarum ac priscorum philosophorum de opinione sententias e Platonis Theaeteto proferamus.

Protagorae effatum:
ἁπάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος.

Celebratissimum in illis sententiis hoc Protagorae effatum est, quod accuratissime exposuit Plato. Nam ubi interrogatus apud eum de scientia Theaetetus, *αἴσθησιν*, *sensum*, eam esse dixit, Socrates « videris sane, inquit, sententiam de scientia haud abjectam excitasse, sed eandem quam Protagoras dixit: quamquam ille aliâ quadam ratione pronunciavit. Dixit enim, *πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπον εἶναι· τῶν μὲν ὄντων, ὡς ἔστι· τῶν δὲ μὴ ὄντων, ὡς οὐκ ἔστιν· omnium rerum mensuram hominem esse, earum, quae sunt, ut sint, quae non sunt, ut non sint:* legistine aliquando? — Et saepius quidem legi. — Nonne sic fere ait: *ὡς οἷα μὲν ἕκαστα ἐμοὶ φαίνεται, τοιαῦτα μέν ἐστιν ἐμοί· οἷα δὲ σοί, τοιαῦτα αὖ σοί· ἄνθρωπος δὲ σύ τε κἀγώ; qualia singula mihi videntur, talia mihi sunt: qualia vero tibi, talia tibi rursus: homines autem ambo sumus?* — Vero; sic ait. — Probabile autem est, sapientem virum non nugari: quocirca sequamur illum. Nonne saepenumero, vento flante eodem, alius nostrum riget, alius minime? alius item leniter, vehementer vero alius? — Procul dubio. — Utrum igitur ventum ipsum per se et frigidum esse et non frigidum dicemus, an Protagorae fidem habebimus dicenti, rigenti eum frigidum esse, non rigenti non frigidum? — Sic videtur. — Numquid ita utrique *φαίνεται*; — Ita omnino. — *Φαίνεται* autem illud *αἰσθάνεσθαι* est? — Est. — *Φαντασία* igitur et *αἴσθησις* in calidis omnibusque hujuscemodi negotiis idem est: qualia enim sentit quisque, talia cuique videntur esse. — Omnino. — *Αἴσθησις* igitur semper ejus est, quod *est*, nec falsa est, quippe quae *scientia* est. — Apparet. — Nonne, per Gratias, virorum sapientissimus Protagoras erat, et haec nobis, de plebe homunculis, obscure significavit, discipulis vero in arcano veritatem aperuit? — Quo id pacto, o Socrates, ais? — Dicam, nec contemnenda sane sententia est: nihil ipsum per se *unum* esse nec recte appellari *quid*, aut *quale*; sed, si magnum appellaveris, parvum item, si grave, leve item apparituram, atque ita omnia: nihil enim omnino vel unum esse vel quid vel quale; *ἐκ δὲ δὴ φορᾶς τε καὶ κινήσεως καὶ κράσεως πρὸς ἄλληλα γίγνεται πάντα, ἃ δή φαμεν εἶναι, οὐκ ὀρθῶς προςαγορεύοντες· ἔστι μὲν γὰρ οὐδέποτ' οὐδέν, ἀεὶ δὲ γι-*

νεται· omnia vero agitatione, motu et commixtione mutua fieri, quae esse dicimus, non recte dicentes: nihil enim omnino est, sed fit semper." 1)

Conjunctum illud Protagorae effatum, ut hinc colligimus, quam proxime est cum philosophorum sententiis, qui labi ac mutari omnia contendebant. De his fuse deinceps Socrates.

Sententiae philosophorum, quos Plato τοὺς ῥέοντας φιλοσόφους appellat.

«In hoc autem, inquit, omnes deinceps sapientes, excepto Parmenide, consenserunt, Protagoras, Heraclitus, Empedocles, et poëtarum etiam in utraque poësi principes, in comoedia Epicharmus, in tragoedia Homerus; qui cum diceret: *Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν*, 2) omnia dixit e fluxu motuque nata: nonne id dicere videtur? — Mihi quidem. — Quis ergo adversus tantum exercitum, ejusque ducem Homerum pugnare audeat, quin ridiculus habeatur? — Non facile id, o Socrates, est. — Non est profecto, Theaetete: praesertim cum haec sint illi sententiae idonea argumenta, quod, ut quid esse videatur et fiat, motus, ut non esse videatur et intereat, quies efficit. Ignis enim calorque, qui caetera gignit ac regit, ipse agitatione et frictione fit: id autem motus est: nonne haec ignis origo? — Est omnino. — Quin etiam animalium genus ex iisdem nascitur. — Quidni? — Quid corporum habitus? nonne otio et torpore corrumpitur, exercitatione vero motuque plurimum conservatur? — Certe. — Animi quoque habitus disciplinâ et meditatione, quae motus sunt, doctrinas consequitur, servaturque et perficitur; quiete vero, id est, negligentiâ et pigritiâ, nec discit quidquam, et si quid didicit, obliviscitur? — Et maxime quidem. — Bonum igitur tam in animo quam in corpore motus est, malum vero contrarium? — Videtur. — Praeterea in iis, quae serenitates coeli tranquillitatesque vocantur et his sunt similia, id assero, quiete res putrefieri ac perdi, motu vero conservari: et vero colophonem his addens evincam, auream catenam nihil aliud quam solem dici ab Homero 3) ac declarari, quousque circumvertatur cum coelo sol, esse omnia et servari apud Deos hominesque; sin autem universum quasi ligatum staret, res omnes corruptum iri eventurumque, quod dicitur, sursum deorsumque cuncta. — Mihi vero item videntur, o Socrates, quae dicis his declarari." 4)

Distant sane toto, quod ajunt, coelo haec placita a philosophia Plato-

1) *Theaet.* 151. E. — 152. D.

2) *Iliad.* ξ'. 201. Cff. *Initia* p. 122.

3) Id. *Eod.* θ'. 17.

4) *Theaet.* 152. D. — 153 D.

nis. Deprehendisse nobis modo, quod certum et immutabile esset, visi sumus; nunc contra nihil esse certum, omnia mutari atque in perpetua esse fluctuatione dicamus. Sed veritatem quaerimus unice, quae etiamsi nulla sit, sed esse duntaxat *videatur*, id ipsum existimabimus verum esse. Age igitur, hanc quaecunque tandem sit, veritatem e recondita istorum hominum sapientia expromat nobis Socrates. Sic ille porro: « tune vero intelligis, inquit, Theaetete, quare haec secundum Protagorae, quam memoravimus, sententiam, talia sint? — Nondum equidem. Gratiam igitur mihi habebis, si tibi viri, imo virorum celeberrimorum abditam sententiae veritatem 1) investigavero. — Quidni habeam et magnam quidem? — Vide igitur et circumspice, ne quis ea profanus audiat. Sunt autem illi, qui nihil aliud esse putant, nisi quod manibus firmiter possint comprehendere; actiones vero generationesque et quidquid cerni non potest in eorum numero, quae *sunt*, non habent. — Duros, o Socrates, et asperos homines memoras. — Sunt enim, o puer, a Musis admodum alieni: illi vero multo elegantiores, quorum tibi traditurus mysteria sum. Principium, unde et ea, quae hactenus dixi, omnia pendent, hoc illis est, ὡς τὸ πᾶν κίνησις ἦν καὶ ἄλλο παρὰ τοῦτο οὐδὲν· *universum hocce motum et aliud praeter motum nihil esse:* motûs autem duo esse genera, utrumque multitudine infinitum, vim vero alterum habens agendi, alterum patiendi: ex horum autem congressu et frictione mutuâ nasci numero infinita, specie bina, alterum αἰσθητὸν, αἴσθησιν alterum, quorum hoc cum illo convenire et generari: caeterum αἰσθήσεις his apud nos nominibus appellari, visûs, auditûs, olfactûs, gustûs, sensûsque frigidi et calidi, quique voluptates et dolores, appetitus et timores vocantur: aliosque affectus innumeros, qui nomine carent, nominatos quam plurimos; αἰσθητὸν autem genus his singulis esse cognatum, visibus omnigenis omnigenos colores: auditibus itidem voces: caeterisque αἰσθήσεσι caetera αἰσθητά." 2)

Hunc in modum Socrates sophistarum illorum et philosophorum placita exponit: illustrat autem singula cum aliis exemplis, tum hoc, ab oculis et coloribus ducto. « Quod colorem vocas album, inquit, id nec aliud quidquam extra oculos tuos esse, nec in oculis, existimes: neque illi tu locum certum tribuas: jam enim maneret alicubi ordine nec fieret generatione. — Quomodo igitur illud se habet? — Sequamur sermonem superiorem, quum nihil per se ipsum unum esse ponebamus: atque ita nobis niger albusque et quivis alius color ex oculorum ad convenientem ipsis rerum motum applicatione exstitisse videbitur, et quodcunque colo-

1) Protagorae antiquitus liber exstitit Ἀλήθεια inscriptus. Vid. Groen. *Prosopogr. Plat.* p. 80.

2) *Theaet.* 155. D. — 156. C.

ris nomine vocamus, nec quod applicatur, sed intermedius quidam cuique proprius affectus. An vero asseverare ausis, qualis tibi unusquisque color appareat, talem canibus etiam singulisque animalibus apparere? — Non ego, per Jovem. — Quid, autem? alteri homini et tibi utrum quidquam apparere simile, firmiter contendas? an vero multo magis, ne tibi quidem ipsi idem appareге semper, quoniam nunquam tui ipsius similis es? — Hoc magis, quam illud mihi videtur. — Ergo si id, quod metimur vel attingimus, magnum reapse vel album vel calidum esset, nunquam id, alteri accidens, aliud fieret, nisi mutaretur: sin autem rursus id, quod metitur vel attingit, horum aliquid esset reapse, non sane, altero accedente vel aliquid patiente, aliud fieret, quum ipsum nihil pateretur." 1) Efficit hinc Socrates, album colorem nec oculo spectantis nec rei, quae spectatur, inesse: unde vero exsistat, ex illo rerum omnium motu, quem loquuntur sapientes isti, explicat, demonstratque simul nihil esse ipsum per se unum vel quid vel quale. « Nam, ait, cum sensibus, ut diximus, res, quae iis percipiuntur, respondeant, in motu illo perpetuo conveniens cum re cognata oculus gignit colorem album. Sic nobis album apparet sive lignum sive saxum et caetera pariter negotia, durum et calidum: ipsum per se nihil est, sed per motum, mutuo congressu, fiunt omnia et omnigena: quandoquidem tam agens quam patiens unum aliquid esse per se, haud firmiter, ut ajunt, cogitare licet. Neque enim agens quidquam est prius, quam cum patiente congrediatur: neque patiens prius, quam cum agente. Quod enim congreditur cum aliqua re et vim efficiendi habet, ubi in aliud inciderit, ibi tum primum patiens apparet. 2) E quibus omnibus consequitur, quod ab initio diximus, nihil esse ipsum per se unum, sed aliquo semper fieri: *esse* autem omni e negotio tollendum esse; quamquam nos in superioribus consuetudine atque inscitia nostra uti illo saepius coacti fuimus. Non vero decet illud, ut sapientum fert sententia, nec admittere *quid* vel *cujus* vel *mei* vel *hoc* vel *illud* vel aliud quodcunque nomen, quod statuat, oportet; sed secundum naturam nomina pronuncianda, quae *fieri*, *confici*, *interire*, *mutari* notant. Nam si quid aliquis dicendo statuit, facile redarguitur. Hunc autem ad modum et singulatim de singulis loqui oportet et de multis in unum collectis: in quibus hominem censent et lapidem atque animal unumquodque et genus. Placentne tibi haec, Theaetete?" 3)

Ironiae plena sunt fere, quae apud Platonem Socrates in sophistas dicit. Quo fit, ut multis hi homines non magnopere solertes, imo ridiculi videantur. Perperam nos autem inde hoc judicium petamus. Nam eadem de caussa pariter et poëtas tantum non omnes, qui a Platone memoran-

1) *Theaet.* 153. D. — 154. B.

2) Illustrat haec Socrates deinceps, ubi eadem ad gustum refert p. 159. C. D.

3) *Theaet.* 155. D. — 157. C.

tur, ipsum adeo divinum Homerum, ridiculos et contemnendos judicemus. Haec eadem sophistarum, in primis Protagorae, placita qui non miri esse acuminis, non summae sagacitatis dicit, hunc ipsum vel praejudicatis occoecatum opinionibus, vel non magnopere solertem esse suspicemur. Plato vero ipse videtur de sophistis, certe de Protagora, aliter existimasse. Reprehendit in illo hanc de veritate sententiam multoque etiam magis, quod de Diis sic pronunciavit, essentne illi necne, nec scire se nec quaerere. Verum idem Plato, nisi legendis viri scriptis admiratus ejus ingenium fuisset, non profecto ex illis praeclarissimum placitum de institutione et de republica, 1) non fabulam illam de Prometheo et Epimetheo, qua nullam antiqua philosophia elegantiorem magisque philosopham tulit, in sua ipse scripta transtulisset 2). Dicitur adeo, nec temere profecto, *Politiam* scribens, e Protagorae *Politia* multum profecisse 3). Sed hoc ipsum principis sophistae placitum πάντων χρημάτων μέτρον εἶναι ἄνθρωπον, si futile prorsusque rejiciendum putasset, non ita diligenter nec tanta probabilitatis specie nobis proposuisset. Scilicet, ut Socrates, ita germanus Socratis discipulus Plato iccirco ironice nec sine contemtu exagitabat sophistas, tum poëtas plerosque et oratores, quod virtutis justitiaeque vix ullam habere rationem videbantur: idque ipsum in scriptis suis reprehendit maxime; caeterum vero eorundem in literas, in ipsam philosophiam merita non reticuit. Quae ratio aliorum etiam Socraticorum fuit. Nam ut Plato Protagorae, quam modo laudavi, ita Xenophon Prodici fabulam, eximiam illam et philosopham de Hercule, scribens *Socratis Memorabilia*, commendavit 4). Nec vero prorsus abhorrebant a Socratica et Platonica philosophia sophistarum placita, uti e fabulis illis, tum vero etiam ex his ipsis eorum de perpetua omnium rerum fluctuatione sententiis patet.

Placita illa de opinione non prorsus rejecit Plato.

Convenire cum illis aliquâ certe ex parte philosophiam Platonis, inde suspicamur continuo, quod Academici aliquando plane eadem ratione de rebus omnibus dubitarunt. Sed Plato ipse, in perpetua mutatione omnia esse, quae sensibus percipiuntur, non diffitetur. Ubivis memorat τα ὄντα, quae *sunt*, opponit autem illis τὰ γιγνόμενα καὶ ἀπολλύμενα,

1) *Protag.* 325. 326.

2) *Eod.* 320. C. — 322. D. Vidd. intpp. praecipue *Ekkeri* disputatio *in Protagorae apud Platonem fabulam de Prometheo*. Traj. ad Rh. 1822.

3) Vid. Diog. Laërt. III. 37. p. 186. Cf. p. 577.

4) *Memor.* II. 1, 21.

quae ad sensus refert. Si quis est apud Platonem sermo, qui ipsius sententiam declaret, est certe, quem Diotimae tribuit in Symposio. Illic autem mulier sic loquitur de rerum omnium mutatione, ut nunm ex Heracliteis istis et sophistis audire nobis videamur. «Dicitur, ait, unumquodque animal vivere idemque esse, veluti a puero aliquis idem esse, donec senex fuerit, dicitur: is vero, nunquam eadem habens, idem tamen vocatur: fit scilicet novus identidem ac vetera exuit, quod et crines et carnem et ossa et sanguinem et totum omnino corpus attinet. Nec corporis tantum, sed animi etiam ratione habita, sic sese homo habet. Mores, consuetudines, opiniones, cnpiditates, voluptates, dolores, timores, horum singula nunquam eadem unicuique adsunt, *ἀλλὰ τὰ μὲν γίγνεται, τὰ δὲ ἀπόλλυται· alia vero nascuntur nobis, pereunt alia.* Imo vero, quod multo etiam mirabilius est, scientiae non solum cum nascnntur nobis, tnm pereunt, ut earum etiam ratione habitâ nunquam iidem simus; sed uniuscujusque adeo scientiae eadem conditio est. Id enim, quod *meditari* appellamus, quasi exierit scientia, dicitur: oblivio enim scientiae exitus est, meditatio vero novam memoriam semper abeuntis loco restituens, scientiam servat, ut esse eadem videatur." 1) Haec Diotime in Symposio: quae si attendimus, non sane videatur Plato *τῶν ῥεόντων φιλοσόφων* placita rejecisse. Quod autem Protagorae dictum attinet, id cuique verum esse, quod sensibus apparet, non comprobavit illud, fateor: imo datâ operâ refutavit. Cujus refutationis cum alia prodidit argumenta, tum hocce: vera esse hominibus futura etiam, quae non apparent sensibus; quae autem in somniis apparent v. c. homines volantes, haec iis non vera esse 2). At vero id, quo spectat placitum proprie, sensibus non esse fidem habendam, siquidem quod verum per se, si scientiam qnaerimus, id ipsum Platonicum est, ut e tota Socratis in carcere disputatione 3), tum hercle! ex ipsa speluncae cum mundo adspectabili comparatione intelligitur.

Partim igitur consentiebat cum sophistis istis et philosophis Plato. Quocirca, si forte confectâ comparatione rejecerimus ejus de scientia sententiam, non tota haec nobis improbanda erit. Academici recentioris aetatis hanc partem philosophiae Platonicae comprobarunt maxime: sic adeo eam exposuerunt, ut Platonem, imo ipsum Socratem sophistarum illorum simillimum facerent. Cujus rei auctor Cicero est, qui ipse dictus habitusque Academicus fuit. *Arcesilas primum ex variis Platonis libris sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus aut animo percipi possit: quem ferunt, eximio quo-*

---

1) *Symp.* 207. D. — 208. A.
2) *Theaet.* 158. B.
3) *Phaed.* 65 et passim.

dam usum lepore dicendi, aspernatum esse omne animi sensusque judicium, primumque instituisse, (quamquam id fuit Socraticum maxime) non, quid ipse sentiret, ostendere, sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputare. Hinc haec recentior Academia emanavit 1). Illi igitur e dictis sententiisque Socratis et Platonis sententiam ipsi suam hac gravissimorum auctoritate philosophorum commendare et confirmare solebant. Et sane tota eorum philosophia sententiam Platonis, sensibus vix ullam fidem habendam esse, referebat: quamquam augebant omnia, qui imitatorum fere mos est, et nihil esse verum contendebant. *Itaque Arcesilas*, ut alio loco idem Cicero, *negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset. Sic omnia latere censebat in occulto, neque esse quidquam, quod cerni aut intelligi posset: quibus de caussis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assensione approbare: cohibereque semper, et ab omni lapsu continere temeritatem: quae tum esset insignis, cum aut falsa aut incognita res approbaretur: neque hoc quidquam esse turpius, quam cognitioni et perceptioni assensionem approbationemque praecurrere. Huic rationi quod erat consentaneum, faciebat, ut contra omnium sententias dies jam plerosque deduceret, ut, cum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assensio sustineretur. — Hanc Academiam novam appellant: quae mihi vetus videtur: siquidem Platonem ex illa vetere numeramus, cujus in libris nihil affirmatur et in utramque partem multa disseruntur, de omnibus quaeritur, nihil certi dicitur* 2); *sed tamen illa, quam exposui, vetus: haec, nova nominetur: quae usque ad Carneadem perducta, qui quartus ab Arcesila fuit, in eadem Arcesilae ratione permansit* 3).

Judicare nobis de Protagorae similiumque sive sophistarum sive philosophorum placitis tum demum licebit, postquam his Platonis sententiam de veri αὐτοῦ τοῦ ὄντος scientia apposuerimus. Videntur autem illi arctis sane finibus doctrinam suam descripsisse, referentes quippe eam ad solum mundum adspectabilem, ut facile conferas eos cum speluncae Platonicae incolis, qui praeter umbras simulacrorum, quas oculis cernebant, nihil esse verum arbitrabantur: hac tamen exceptione, ut nonnulli horum philosophorum, quippe captivis illis longe sapientiores, nihil omnino esse verum certumque, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset, nihil se scire, decreverint. Quodsi haec est istorum philosophorum conditio, non erit facile, qui non escendere cum Platone in

1) Cic. *de Orat.* III. 18.
2) Veluti in Theaeteto de scientia: de ideis h. l. non cogitavit Cicero.
3) Cic. *Acad.* I. 12.

mundum νοητὸν, in sedem veritatis, quam delitescere cum illis in errorum sede malit. Sed persequamur comparationem nostram.

Quod primum nobis erat in conferendo cum sophistis priscisque philosophis Platone agendum, ut, quae in eorum doctrinis similia essent, exquireremus, perfecimus. Nunc ad gravissimam comparationis partem accedimus. Quaerimus, quibus in rebus discesserit ab illis Plato. Quae disquisitio nos sponte ducit ad Eleaticorum placita philosophorum. Nam his ille debuisse maxime videtur, quae περὶ τοῦ ὄντος, de eo quod est, de rebus firmis et immutabilibus philosophatus est.

Eleaticorum περὶ τοῦ ὄντος effata. Quid in his probavit Plato?

Ut non prorsus rejecit philosophorum, qui πάντα κινεῖσθαι dicebant, doctrinam, ita habuerunt Eleaticorum placita, qui τὸ πᾶν ἑστάναι contendebant, quod admiraretur probaretque vehementer. Quod enim hi de immutabili τοῦ ὄντος conditione asseveraverant, id cum studio veri, quo ipse ardebat, congruebat mirifice; et vero, quamvis sententia eorum, nil mutari, sed stare omnia, absurda ipsi videretur, tamen acerbius eos reprehendere, Parmenidis maxime caussâ, principis illius sectae philosophi, verecundabatur. Quod e proximis Theaeteti locis intelligitur. Nam postquam illic Protagorae dictum, omnium rerum hominem mensuram esse, sub Socratis persona explicuit, ad Eleaticos deinceps transgressus, sic facit eundem Socratem de his et Parmenide dicentem. *Μέλισσον μὲν καὶ τοὺς ἄλλους οἳ ἓν ἑστὸς λέγουσι τὸ πᾶν, αἰσχυνόμενος μὴ φορτικῶς σκοπῶμεν, ἧττον αἰσχύνομαι, ἢ ἕνα ὄντα Παρμενίδην. Παρμενίδης δέ μοι φαίνεται, τὸ τοῦ Ὁμήρου, αἰδοῖός τέ μοι εἶναι ἅμα δεινός τε· συμπροσέμιξα γὰρ δὴ τῷ ἀνδρὶ πάνυ νέος πάνυ πρεσβύτῃ· καί μοι ἐφάνη βάθος τι ἔχειν παντάπασι γενναῖον* 1). Quae dicta disputatio subsequitur Socratis cum Theaeteto, e qua intelligi optime posse videtur, tum quid in Eleaticis probaverit Plato, tum vero maxime, quid ipse de scientia ac de eo, quod est, περὶ τοῦ ὄντος, existimaverit. «Hoc autem, inquit, Theaetete, de dictis insuper considera: sensum esse scientiam dixisti, nonne? — Dixi. — Si quis igitur ex te quaereret, quonam alba et nigra homo videat, quove acuta et gravia audiat, oculis, ut arbitror, et auribus, responderes. — Equidem. — Uti negligentius nominibus verbisque, nec nimis ea curiose exquirere, saepenumero generosi animi est, contrarium autem illiberalis: nonnunquam tamen necessarium est: veluti nunc

1) *Theaet.* 183. E. De Eleaticis nuper palmarii, ut auguramur, operis initium prodiit: *Karsten Philos. veterum reliquiae.* Vol. I. Brux. 1830.

id quod respondisti reprehendere cogimur, qua parte non recte se habet. Attende enim: utrum rectius respondeatur: *ᾧ ὁρῶμεν, τοῦτο εἶναι ὀφθαλμούς, ἢ δι' οὗ ὁρῶμεν, καὶ ᾧ ἀκούομεν, ὦτα, ἢ δι' οὗ ἀκούομεν; quo videmus, hoc esse oculos, an per quod videmus, quo audimus, hoc esse aures, an per quod audimus?* — Potius mihi, *per quae* singula sentimus, quam *quibus* sentimus, respondendum videtur. — Iccirco ista tecum diligenter perquiro, ut videamus, num uno quodam eodemque, quod insit nobis, per oculos alba et nigra, per alios autem sensus alia quaedam percipiamus: possisque interrogatus ad corpus singula referre. Sed praestat te singulatim de his respondere, quam aegre me tuas vices gerere. Dic igitur: ea, per quae sentis calida, sicca, levia, dulcia, utrum corporis sensûs singula existimas? an vero alterius cujusdam? — Nullius alterius. — Numquid fateberis, quae per alium sensum sentis, per alium sentire non posse? veluti quae per auditum, non eadem per visum: et contra, quae per visum, non eadem per auditum? — Quidni fatear? — Quodsi de ambobus cogitas, non sentis id per hunc alterumque sensum. — Non certe. — De voce igitur et colore hoc ipsum de ambobus cogitas, esse ambo. — Cogito. — Tum alterutrum ab alterutro diversum esse et sibimet idem. — Quidni? — Et ambo esse duo, alterutrum vero unum. — Hoc item. — Potes insuper, utrum similia inter se, an dissimilia sint, judicare. — Fortasse. — Haec autem omnia per quod potissimum de illis existimas? Neque enim per auditum nec per visum fieri potest, ut quod commune illis est percipiatur. Hinc praeterea quod dicimus conjicere licet. Si de ambobus judicari posset, salsane sint necne, posses procul dubio declarare, quo judicares: idque non visum, non auditum, sed aliud quid esse constat. — Quidni? linguae id vis esset. — Scite loqueris. Cujusnam vero rei vis id declarat, quod omnibus et his commune est, cui tanquam nomen tribuis *τὸ ἔστιν* et *τὸ οὐκ ἔστιν* et quae paullo ante de iis quaerebamus? His omnibus quales assignaveris sensus, per quos singula percipiat sentiendi facultas nostra? — *Essentiam* ais et ipsum *non esse*, *similitudinemque* et *dissimilitudinem* atque *idem* et *alterum* itemque *unum* et caeteros numeros, praeterea *par* et *impar* et quaecunque his sunt congrua, haec quaeris per quem tandem corporis sensum animo percipiamus. — Optime omnium, o Theaetete, assequeris, et haec ea ipsa sunt, de quibus quaero. — Ego vero per Jovem, o Socrates, quid dicam ignoro, *πλήν γ' ὅτι μοι δοκεῖ τὴν ἀρχὴν οὐδ' εἶναι τοιοῦτον οὐδὲν τούτοις ὄργανον ἴδιον ὥσπερ ἐκείνοις, ἀλλ' αὐτὴ δι' αὐτῆς ἡ ψυχὴ τὰ κοινά μοι φαίνεται περὶ πάντων ἐπισκοπεῖν· nisi ab initio mihi visum esse, nullum hujusmodi proprium sensum his esse, ut illis, accommodatum, sed ipsum per se animum communia illa de omnibus considerare.* — Pulcer es, o Theaetete, neque, ut ajebat Theodorus, deformis: nam qui pulcre loquitur, pulcer est et bonus. Praeterea recte fecisti, qui me longo

sermone liberaveris, siquidem videtur tibi animus alia ipse per se, alia per corporis facultates percipere et considerare: idem enim mihi videbatur: volebam autem tibi esse persuasum. — Mihi vero persuasum est. — Utrorumne igitur in numero essentiam censes? Hoc enim nunc maxime illis omnibus consequens est. — Eorum, quae animus ipse per se appetit. — Non item simile et dissimile, idem et alterum? — Haec item. — Quid vero? pulcrum et taetrum, bonum et malum? — Et horum quidem omnium maxime videtur animus essentiam comparando considerare, reputans secum praeterita praesentiaque et cum futuris conferens. — Hoc quoque adverte: rei durae duritiem per tactum sentiet et mollis similiter mollitiem? — Ita sane. — Essentiam autem et quid ambo sint mutuamque contrarietatem et ipsius contrarietatis essentiam ipse animus explorans et comparans invicem, judicare conatur? — Omnino. — Nonne hominibus brutisque animalibus naturâ datum est, ut quaecunque παθήματα per corpus ad animum tendunt, statim atque in lucem prodierunt, sentiant: ratiocinari vero de eorum essentia et utilitate, id vix tandem longo temporis intervallo frequentique studio ac disciplinâ iis contingit, quibus quidem contingat? — Ita prorsus. — Fierine potest, ut veritatem assequatur, qui non assecutus essentiam est? — Non potest. — Cujus autem rei aliquis veritatem non assequitur, hujus unquam scientiam habebit? — Quo id fieri pacto possit? — In iis quae alicui accidunt, ἐν τοῖς παθήμασι, non est scientia; est vero in ratiocinatione de illis. Hîc enim, ut par est, essentiam assequi et veritatem licet, vi illis non licet. — Sic videtur. — Num idem illud et hoc vocas, cum adeo sint a se invicem diversa? — Haud sane deceret. — Quod igitur illi tribuis nomen, ipsi dico τῷ videre, audire, odorari, frigefieri, calefieri? — *Sentire* equidem: quid enim aliud tribuam? — Universum igitur hoc *sensum* vocas? — Necesse. — Huic convenire veritatis perceptionem negavimus, quippe essentiae non particeps est. — Sic est. — Neque scientiae igitur compos erit. — Non sane. — Iccirco, o Theaetete, sensus et scientia non idem esse potest. — Non videtur." 1)

Stare omnia, quod unice placebat Eleaticis, non probabat Plato, sed admirabatur amabatque in philosophis illis veri ardorem, qui in eorum carminibus scriptisque omnibus, in tota eorum philosophia dominabatur. Quod autem iidem, hoc ducti ardore, τὸ ὄν celebraverant ac rebus, quae esse viderentur, opposuerant, laudabat vehementer. Hinc adeo profectus, quod illi neglexerant, perfecit. Nam praeclaras quidem pronunciaverant de veritate sententias, quibus mortales monuerant, ne fidem haberent sensibus, sed id, quod *esset*, persequerentur, ut Parmenides ille αἰδοῖός τε ἅμα δεινός τε in his:

1) *Theaet.* 184. B. — 186. E.

— Χρεὼ δέ σε πάντα πυθέσθαι,
ἠμὲν ἀληθείης εὐπειθέος ἀτρεκὲς ἦτορ,
ἠδὲ βροτῶν δόξας, τῆς οὐκ ἔνι πίστις ἀληθής·
ἀλλὰ σὺ τῆσδ᾽ ἀφ᾽ ὁδοῦ διζήσιος εἶργε νόημα. 1)

Sed, quid sensibus tribuendum esset, quid non tribuendum, quid opinio, quid scientia, quid τοῦ ὄντος scientia esset, nec Parmenides, ut videtur, nec ullus Eleaticorum datâ operâ et dialectica ratione exposuerat. Id igitur fecit Plato, et quo id modo fecerit, cum ex hac ejus, quam descripsimus, in Theaeteto disputatione, tum ex iis, quae illic proxime consequuntur, efficere licet.

Quid sensibus tribuit Plato? quid tribuendum esse negavit?

Non leviter Plato, quid sensibus debeamus, quid non debeamus, inquisivit. Huc autem maxime ejus sententia redit: affici per eos animum rebus externis, indeque ejus παθήματα quaedam exsistere; esse autem haec παθήματα scientiae quidem expertia, at necessaria tamen, ut mens iis adhibeat deinceps, quae ipsa per se percepit, i. e. τὰ νοητά, τὰ ὄντα Id comparando subinde illustrat, ut in eodem hoc Theaeteto, ubi opiniones exquirit veras et falsas. Cerae confert animum, quae aliunde signa, quae ipsi imprimuntur, accipit. Sic animum ait per sensus rerum externarum sive signa sive formas sive imagines suscipere. Sed comparatio tantopere ipsi mentis naturae et conditioni, quam linguae referunt, convenit, ut tota hoc loco apponenda videatur. «Finge mihi, ait Socrates, rei declarandae caussa, ἐν ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ἐνὸν κήρινον ἐκμαγεῖον, τῷ μὲν μεῖζον, τῷ δ᾽ ἔλαττον, καὶ τῷ μὲν καθαρωτέρου κηροῦ, τῷ δὲ κοπρωδεστέρου καὶ σκληροτέρου, ἐνίοις δὲ ὑγροτέρου, ἔστι δ᾽ οἷς μετρίως ἔχοντος· *in animis nostris finge effigiem ceream: in hoc majorem, minorem in illo: in hoc purioris cerae, sordidioris durioris ve in illo; in quibusdam mollioris, in nonnullis etiam modicae.* Donum hoc igitur esse dicamus Musarum matris, Mnemosynae, καὶ ἐς τοῦτο, ὅ τι ἂν βουληθῶμεν μνημονεῦσαι ὧν ἂν ἴδωμεν ἢ ἀκούσωμεν ἢ αὐτοὶ ἐννοήσωμεν, ὑπέχοντας αὐτὸ ταῖς αἰσθήσεσι καὶ ἐννοίαις, ἀποτυποῦσθαι, ὥσπερ δακτυλίων σημεῖα ἐνσημαινομένους· καὶ ὃ μὲν ἂν ἐκμαγῇ, μνημονεύειν τε καὶ ἐπίστασθαι, ἕως ἂν ἐνῇ τὸ εἴδωλον αὐτοῦ· ὅταν δὲ ἐξαλειφθῇ, ἢ μὴ οἷόν τε γένηται ἐκμαγῆναι, ἐπιλελῆσθαί τε καὶ μὴ ἐπίστασθαι· *nosque in illo, quidquid eorum, quae vel videmus vel audimus vel ipsi excogitamus, sensibus notionibusque sus-*

1) Apud *Steph.* in *poësi philosophica*, p. 42. Cff. *Fülleborn*, *Beyträge* P. 6. p. 48. *Karsten*, *Parmenid.* p. 30, 32.

ceptum, meminisse cupimus, effingere ac tanquam annulorum signa imprimere: quodque signatum fuerit, meminisse nos et scire, quoad forma permanet; at, cum aboletur aut imprimi nequit, oblivisci ac nescire." 1)

Habemus hîc plane quasi oculis nostris propositam mentis ejusque per sensus *παθημάτων* imaginem, quam referunt, ut dixi, linguae, in primis recentiores. Frequens in iis et vulgaris usus vocis *imaginatio*, *verbeelding*, *verbeeldingskracht*: tum dicere consuevimus *indruk van iets krijgen: iemand iets inprenten.* Sed utitur imagine Plato non tantum, ut, quemadmodum per sensus rerum externarum notiones accipiamus, manifestum fieret, sed in primis ad distinguendas opiniones veras et falsas atque utrarumque caussas perspiciendas. Inde haec repetit deinde Socrates: «*ὅταν μὲν ὁ κηρός του ἐν τῇ ψυχῇ βαθύς τε καὶ πολὺς καὶ λεῖος καὶ μετρίως ὠργασμένος ᾖ, τὰ ἰόντα διὰ τῶν αἰσθήσεων, ἐνσημαινόμενα εἰς τοῦτο τὸ τῆς ψυχῆς κέαρ — ὅ ἔφη Ὅμηρος, αἰνιττόμενος τὴν τοῦ κηροῦ ὁμοιότητα — τότε μὲν καὶ τούτοις καθαρὰ τὰ σημεῖα ἐγγιγνόμενα, καὶ ἱκανῶς τοῦ βάθους ἔχοντα, πολυχρόνιά τε γίγνεται καὶ εἰσὶν οἱ τοιοῦτοι πρῶτον μὲν εὐμαθεῖς, ἔπειτα μνήμονες, εἶτα οὐ παραλλάττουσι τῶν αἰσθήσεων τὰ σημεῖα, ἀλλὰ δοξάζουσιν ἀληθῆ· σαφῆ γὰρ καὶ ἐν εὐρυχωρίᾳ ὄντα ταχὺ διανέμουσιν ἐπὶ τὰ αὐτῶν ἕκαστα ἐκμαγεῖα, ἃ δὴ ὄντα καλεῖται· καὶ σοφοὶ δὴ οὗτοι καλοῦνται. ubi cera in alicujus animo profunda, copiosa, laevis recteque subacta est, his tum hominibus signa, quae per sensus ad hoc processerunt animi κέαρ, quod vocat Homerus* 2), *obscure τοῦ κηροῦ similitudinem significans, in eoque expressa exstant, et pura sunt et satis habent profunditatis et diuturna fiunt: suntque illi primum dociles, tum etiam non permutant sensuum signa, sed vera opinantur. Nam, cum clara haec sint atque in ampla regione, singula celeriter in suas quaeque effigies distribuunt, quae ὄντα vocantur. Et hi quidem sapientes appellantur.*" 3) Quibus in dictis Socratis postremum hoc potissimum attendendum est. Ab iis scilicet, quae per sensus percipimus, *τὰ ὄντα* distinguit, quae ipsi menti debemus ac visis auditisque judicandis adhibemus. Sed pergat Socrates. «*Ὅταν τοίνυν λάσιόν του τὸ κέαρ ᾖ, ὃ δὴ ἐπῄνεσεν ὁ πάντα σοφὸς ποιητής, ἢ ὅταν κοπρῶδες καὶ μὴ καθαροῦ τοῦ κηροῦ, ἢ ὑγρὸν σφόδρα ἢ σκληρόν, ὧν μὲν ὑγρόν, εὐμαθεῖς μέν, ἐπιλήσμονες δὲ γίγνονται, ὧν δὲ σκληρόν, τἀναντία· οἱ δὲ δὴ λάσιον καὶ τραχὺ, λιθῶδές τι ἢ γῆς ἢ κόπρου συμμιγείσης ἔμπλεων ἔχοντες, ἀσαφῆ τἀκμαγεῖα ἴσχουσιν·*

1) *Theaet.* 191. C. D.
2) *Batrachom.* vs. 208.
3) *Theaet.* 194. C. D.

ἀσαφῆ δὲ καὶ οἱ τὰ σκληρά· βάθος γὰρ οὐκ ἔνι· ἀσαφῆ δὲ καὶ οἱ τα ὑγρά· ὑπὸ γὰρ τοῦ συγχεῖσθαι ταχὺ γίγνεται ἀμυδρά· ἐὰν δὲ πρὸς τούτοις ἐπ' ἀλλήλων συμπεπτωκότα ᾖ ὑπὸ στενοχωρίας, ἐάν του σμικρὸν ᾖ τὸ ψυχάριον, ἔτι ἀσαφέστερα ἐκείνων. Πάντες οὖν οὗτοι γίγνονται οἷοι δοξάζειν ψευδῆ· *quodsi densum alicujus κέαρ est, quod laudavit ille omnium rerum peritus poëta, vel lutulentum nec purae cerae, vel molle nimis vel durum: quibus molle nimis est, dociles hi quidem sed obliviosi fiunt, quibus vero nimis durum, tardi contra: qui porro densum habent atque asperum, lapideum quoddam vel terrae sordiumque plenum, obscuras rerum effigies accipiunt: obscuras item, qui durum: nam profunditas deest: obscuras pariter, qui molle habent: confusione enim evanescunt facile: quodsi praeterea propter loci angustiam, si cui exigua sit animula, in unum conciderint signa, hi obscuriores etiam illis effigies accipiunt. Omnes igitur hi falsa opinantur fere.*" 1)

Quantam iccirco sensibus Plato, ad rerum scientiam, vim tribuerit, hinc iutelligitur. Veruntamen non esse apud eum mentem, ut apud veteres ac recentiores quam plurimos ipsosque fere sophistas, ***tabulam rasam*** 2), quae extrinsecus tantum rerum formas et imagines susciperet, e praeclaris ejus, quae supra adduximus, in Theaeteto locis patet. Per sensus, ait, rebus externis afficimur; attamen nec *τοῦ ὄντος* in hisce perceptio ulla est, nec scientiae quae proprie vocatur. Ut haec asseqnamur quaenam sint, primum rectius nos loqui, quam multi solent, oportet. Non enim cernimus oculis, ut loquuntur, sed *per* oculos: non auribus audimus, sed *per* aures: non sensibus omnino, sed *per* sensus res percipimus. Homo scilicet ipse sive mens hominis per sensus, tanquam *ὄργανα*, singula assequitur. « Miserum enim esset, (praeclaram sententiam et tum usurpavimus 3), quum de insito nobis veri amore agebamus) miserum enim esset, si multi nobis sensus, quemadmodum ligneis equis, insiderent, non vero haec omnia in unum quoddam negotium, sive id animus sive quocunque tandem nomine dicendum sit, contenderent, quo, *per* sensus hosce, tanquam organa, sentiremus quaecunque sensu percipiuntur." Tum hoc animadvertendum. Mente percipimus, quae percipi per sensus non possunt. Nam ut per oculos aliud, aliud per aures assequimur, ita *ambo* haec dicimus et utrumque *unum*: hoc autem ipsum *ambo* et *unum* et universe numeros non per sensus, sed unâ mente percipimus. Eadem ratio similitudinis et dissimilitudinis est, eadem illorum, qnibus loquen-

1) *Theaet.* 194. C. — 195 A.
2) De Stoicis vid. Plut. *de plac. phil.* IV. 11.
3) *Theaet.* 184. D. Cff. *Initia* p. 137.

do tribuere *est* vel *non est* solemus. In omni haec sermone usurpantur, quippe communia omnibus. Haec igitur, in primis ideae proprie sic dictae, τὰ ὄντα sunt, quae mens nostra ipsa per sese, sine sensuum ope, percipit; adhibet autem cognoscendis judicandisque rebus, quas per sensus perceperit. Id illud est, quod in elegantissima animi cum cereo ἐκμαγείῳ comparatione de sapientibus dixit, nosque attendendum in primis duximus. « Vulgaribus hominibus, inquit, vel densum τὸ κέαρ est vel lutulentum vel molle nimis vel durum, ut sensuum in eo signa obscura sint; *sapientes vero, cum clara haec ipsis sint et in ampla regione, singula celeriter in suas quaeque effigies distribuunt, quae ὄντα vocuntur.*" 1)

Hunc igitur in modum Plato, ab Eleaticorum profectus περὶ τοῦ ὄντος placitis, eo pervenit, non ut, prouti illi, vix ullam haberet sensuum rationem, nec, hercle! ut sophistis placebat, omnia iis tribueret, sed suam sensibus vim concedens, summam tribueret menti ad veri scientiam auctoritatem. Quibus expositis, quaerat hic fortasse aliquis, utri philosophorum generi Plato, sceptico an dogmatico, accensendus sit. Nam recentiores Academicos vidimus, quamvis non minus quam veteres in Platonis successoribus numerandos, prorsus fuisse ad scepticorum rationem pronos: haec autem Platonis de mente et scientiâ doctrina dogmaticorum videatur rationem referre. Quo plenius aliquando Platonis absolvamus cum sophistis priscisque philosophis comparationem, operae pretium videtur in hanc rem inquirere.

Scepticisne philosophis Plato, an dogmaticis accensendus est?

Mihi quidem proprie neutris esse accensendus videtur. 2) Confuderunt Platonem ipsumque adeo Socratem Arcesilas ejusque sectatores cum philosophis, qui asseverare nihil, de omnibus dubitare solebant. Nam quo certius persuaderent discipulis placita sua, auctoritatem iis conciliare, abusi tantorum philosophorum nominibus, studebant. Nec vero id temere agere videbantur. Celebratissimum iis temporibus erat, ut hodieque est, Socratis effatum, *nihil se scire*. Quod sic interpretabantur, quasi parens philosophiae incerta esse omnia contendisset nec homini iccirco quidquam affirmare licere. Plato autem cum in scriptis suis haec usurpantem Socratem induxisset 3), atque ipse inquirere in res omnes magis, quam de iis statuere videretur, hunc pariter nec minore, ut arbitrabantur, jure scepticis annumerabant. Socra-

1) *Theaet.* 194. D.
2) Quaesiverunt hae de re antiqui. Cf. Sextus Empir. I. 33.
3) Vid. *Apol. Socr.* 20. D. 21 D.

tes vero illud per ironiam dixerat, sophistis adhibens, qui omnia se scire profitebantur: quo scilicet facilius certiusque illuc eos interrogando adduceret, ut ipsi, se nihil scire, confiterentur. 1) Caeterum conveniebat apprime hoc dictum Socratis cum ipsius tum Platonis in disserendo rationi. Syllogistica ratio theses ponit, quas confirmet atque a dissentientium argumentationibus defendat; sed ἐπαγωγὴ Socratis, pariterque Platonis analysis, quae cum ἐπαγωγῇ quam proxime, ut vidimus, conjuncta est, ad quaerendum inveniendumque tota pertinet. Consentanea igitur *nescientibus*, non *scientibus* erat: ecquis enim quaerit invenitve quod scit vel scire se ait? Sed illud praeterea de utroque philosopho tenendum. Quum quaererent de eo, quod verum justumque esset, tanquam nescientes prorsus, quid illud esset, non dubitabant de eo, num esset: si dubitassent, non quaesivissent: imo vero hoc ipso, quod quaerebant, palam faciebant omnibus, se esse illud pro certo habere; scepticis vero, quales Arcesilas eiusque discipuli fuerunt, id proprium fuit ut, quod Cicero testatur, *nihil esse certi, quod aut sensibus aut animo percipi posset*, statuerent. 2) Uti vero Plato una cum magistro probe a scepticis distinguendus est, ita cavendum etiam, ne eum cum dogmaticis confundamus: quo ipsius nos facile adducere philosophia possit, quippe ad illud, quod certum et immutabile est, tota spectans. Fatemur, id subinde Platonem in scriptis suis commisisse, quod dogmaticorum proprium putatur, ut nobis placita sua, adductis undique argumentis, probare ac persuadere conaretur; sed fecit id, ut suo loco demonstravimus, quaerendo, interrogando, Socraticâ et analyticâ ratione, non, ut dogmatici, statuendo ac tanquam ex tripode pronunciando. Quod vero de ipsa viri philosophia dicitur, ad illud eam spectare unice, quod constans, certum, immutabile est, id vero nec reprehendendum nos, nec solis esse dogmaticis adscribendum hominibus existimamus. Quis enim reprehendat, ubi philosophus, ut unusquisque integri animi judiciique homo, de pulcro, de bono, de justo, de veritate quaerens, haec esse immutabilia contendit? Plato autem, in his praesertim indagandis explorandisque, optimâ, quam diximus, methodo, inductione et analysi usus est.

Dogmaticae rationis, quam Stoici usurparunt, et Platonicae discrimen.

Nec scepticis igitur philosophis Plato, nec dogmaticis accensendus videtur. Sed fuerunt in dogmaticis Stoici, quorum de sensibus atque opinio-

1) Sic Cicero accepit *Bruto* c. 85. *Acad.* I. 4. II. 5. 23. *de Off.* I. 30. *de Orat.* II. 67.

2) Cic. *de Orat.* III. 18.

ne, imo vero de scientia placita proxime accedere ad Platonis doctrinam viderentur: quamquam philosophandi de his rationem a Platonica diversissimam usurparunt. Quam rationis notasse diversitatem, ut sophistis tandem scepticisque et toti fluitantium philosophorum genti recte aliquando Platonem, dijudicandi caussâ, apponamus, non poenitebit. Audiamus Ciceronem Stoicam doctrinam veteris Academiae disciplinae opponentem. *Plurima*, ait, *Zeno in illa tertia philosophiae parte* — quae erat in ratione et disserendo — *mutavit: in qua primum de sensibus ipsis quaedam dixit nova* 1)*: quos cunctos* 2) *esse censuit e quadam quasi impulsione, oblata extrinsecus: quam ille φαντασίαν, nos visum appellemus licet: et teneamus hoc verbum quidem: erit enim utendum in reliquo sermone saepius. Sed ad haec, quae visa sunt et quasi accepta sensibus, assensionem adjungit animorum: quam esse vult in nobis positam et voluntariam. Visis non omnibus adjungebat fidem, sed iis solum, quae propriam quandam haberent declarationem earum rerum, quae viderentur: id autem visum, cum ipsum per se cerneretur, comprehensibile. Feretis haec? — Nos vero, inquit: quonam enim modo καταληπτόν diceres? — sed, cum acceptum jam et approbatum esset, comprehensionem appellabat, similem iis rebus, quae manu prenderentur: ex quo etiam nomen hoc duxerat, cum eo verbo ante nemo tali in re usus esset: plurimisque idem novis verbis* (*nova enim dicebat*) *usus est. Quod autem erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appellabat, et, si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, scientiam: sin aliter, inscientiam nominabat: ex qua exsisteret etiam opinio, quae esset imbecilla et cum falso incognitoque communis. Sed inter scientiam et inscientiam comprehensionem illam, quam dixi, collocabat, eamque neque in rectis, neque in pravis numerabat, sed soli credendum esse dicebat.* 3) Id ille, quod, idem testante Cicerone, gestu conficiebat. *Nam, quum extensis digitis*, ait, *adversam manum ostenderat, visum, inquiebat, hujusmodi est: deinde, cum paullum digitos constrinxerat, assensus hujusmodi: tum, cum plane compresserat pugnumque fecerat, comprehensionem illam esse dicebat: qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, κατάληψιν imposuit. Cum autem laevam manum admoverat et illum pugnum arcte vehementerque compresserat, scientiam talem esse dicebat, cujus compotem, nisi sapientem, esse neminem* 4).

1) Acute Ernest. conjicit *nove*: novis enim verbis utebatur fere Zeno; sed in proximis occurrit: *plurimisque idem novis verbis* (*nova enim dicebat*) *usus est.*

2) Sic Ern. emendat: vulgo *junctos.*

3) Cic. *Acad.* I. 11. Cf. Plut. *de plac. phil.* IV. 8.

4) Cic. *eod.* II. 47.

Agnoscimus in his multa, quae Platonicam doctrinam referunt. Similiter progressio occurrit hominis ad scientiam, similiter in hac progressione *opinioni* opponitur *scientia*, studium apparet similiter *scientiae* et *veritatis*. Et quod κατάληψιν, *comprehensionem* similem iis rebus dixit, *quae manu prenderentur*, id dixit, quod recentiores linguae verbis exprimunt, ut hisce *comprendre*, *vatten*, *bevatten*, *begrijpen*, *begrippen krijgen*, nec vero abhorret idem ab aviario Platonis. Nam ut hic in Theaeteto, quod exposuimus, κήρινόν τι ἐν ταῖς ψυχαῖς οὐκ οἶδ' ὅ τι πλάσμα 1) effinxerat; ita deinceps in eodem dialogo animum hominis, scientiae declarandae caussâ, aviario comparavit. Quaeritur illic, quemadmodum nos scientiam nacti et habere eam et non habere dici possimus: quod exemplo illustrat hominis, qui vestem emit ac possidet, non vero gerit. « Sed vide, inquit Socrates, num hoc modo fieri possit, ut scientiam nacti tamen non habeamus eam atque aberremus, veluti, si quis sylvestres aves, columbas sive aliud quid venatus, aviario domi constructo, alat, quodammodo habere eas semper dicitur, quod possidet, quodammodo vero nullam habere, sed facultatem ipsi in eas esse, ut, quamcunque voluerit, capiat habeatque, rursusque dimittat, et hoc ipsi licere facere, quotiescunque libuerit." 2) Hinc duplicem esse efficit scientiae veluti venationem, alteram possidendi caussâ, anteaquam quis nactus fuerit, alteram, postquam fuerit nactus, τοῦ λαβεῖν καὶ ἔχειν ἐν ταῖς χερσὶν ἃ πάλαι ἐκέκτητο, *ut capiat manibusque teneat*, *quae antea fuit nactus* 3). Ingeniose haec Plato longeque festivius, quam Stoicus ille; at pariter ambo naturalem mentis, quam linguae produnt, agendi rationem expresserunt. Sed quamvis Stoica illa de opinione et scientia placita et convenire cum Platonicis nec vero rejicienda philosophis videantur, cavendum, ne Zenonis philosophandi rationem cum illa confundamus, quam Plato usurpavit. Dogmaticus ille erat: quaerebat quidem, quemadmodum per sensus animus rerum notiones susciperet, quidque agendum esset homini, ut scientiam et veritatem assequeretur; sed eo spectabat proprie viri studium, ut quod ipsi verum certumque visum esset, id firmiter tenere atque ab Arcesilae scepticorumque dubitationibus vindicare posset. Itaque, ut ait Cicero, *quod erat sensu comprehensum*, *id ipsum sensum appellabat*, *et*, *si ita erat comprehensum*, *ut convelli ratione non posset*, *scientiam*. Plato vero scientiam et veritatem non ad placita et doctrinas, sed ad ipsas mentis notiones retulerat; quibus et placita et doctrinas ipsa mens dijudicaret.

1) *Theaet.* 197. D.
2) *Eod.* C.
3) *Eod.* 198. D.

Mediamne igitur Plato inter scepticos et dogmaticos viam tenuit?

Discreto ita a scepticis et dogmaticis Platone, suspicemur fortasse, mediam illum inter utrosque viam tenuisse: quod de illis fere dictum Academicis est, qui, a dubitando pariter ac statuendo abstinentes, probabilia, simillima veri, sequebantur. Sic enim de iis Cicero: *proprium est Academiae, judicium suum nullum interponere: ea probare, quae simillima veri videantur: conferre causas, et, quid in quamque sententiam dici possit, exprimere* 1). Quam philosophandi rationem eo probabilius tribuere Platoni videare, cum idem ille Cicero, qui et Socraticus et Platonicus haberi voluit 2), hanc se esse potissimum secutum saepius profiteatur. *Defendat*, ait, *quod quisque sentit; sunt enim judicia libera: nos institutum tenebimus, nulliusque unius disciplinae legibus adstricti, quibus in philosophia necessario pareamus, quid sit in quaque re maxime probabile, semper requiremus* 3). Quid? quod Socratem antiqui, ipsum Platonis magistrum, hujus fuisse rationis auctorem dixerunt. Quod Cicero testatur. *Haec in philosophia ratio contra omnia disserendi, nullamque rem aperte dijudicandi, profecta a Socrato, repetita ab Arcesila, confirmata a Carneade, usque ad nostram viguit aetatem: quam nunc propemodum orbam esse in ipsa Graecia intelligo. Quod non Academiae vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse* 4). E qua Ciceronis sententia, quo ipse loco hanc philosophandi rationem habuerit, efficimus. Et sane principum scepticorum, qui non dubitarunt, ut caeteri, de rebus omnibus, sed jure ἀπὸ τοῦ σκέπτεσθαι nomen habuerunt deque philosophia excellenter sunt meriti, horum igitur disquisitiones palmariae ex hac potissimum Academicorum ratione et doctrina fluxerunt. 5) Quid igitur? Illisne nos philosophis annumerandum esse Platonem censebimus? Equidem non existimem.

Nam elegans haec quidem est et homini liberaliter instituto convenientissima philosophandi ratio. *Philosophiam nos adjuvemus*, ait Cicero, *nosqui ipsos redargui refellique patiamur. Quod ii ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt, eaque necessitate constricti, ut etiam, quae non probare soleant, ea*

1) Cic. *de Div.* II. 72.
2) Id. *de Off.* I. 1.
3) *Tusc. Q.* IV. 4.
4) *De Nat. Deor.* I. 5.
5) Vid. praestantissimum de his opus *Städlini Geschichte und Geist des Scepticismus.* Lips. 1794.

coguntur constantiae causâ defendere. Nos, qui sequimur probabilia, nec ultra quam id, quod verisimile occurrerit, progredi possumus, et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus 1). Praebet item haec ratio uberrimam cum cognoscendi tum disputandi materiam, quippe non coërcita dogmaticorum angustiis, sed libere in omnes partes inquirens: quo nomine se item commendabat Ciceroni, quamquam ipsum rei difficultas non latebat. *Nam si singulas disciplinas*, ait, *percipere magnum est, quanto majus omnes? Quod facere iis necesse est, quibus propositum est veri reperiendi causâ et contra omnes philosophos et pro omnibus dicere. Cujus rei tantae tamque difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse prae me fero* 2). Verum eadem haecce via, quamvis omnium, ut videtur, in philosophando tutissima, proclivis tamen ad dubitandum est. Quod ex Arcesilae recentiorumque Academicorum exemplo intelligitur, qui, hinc profecti, in extremam lapsi dubitandi audaciam ac temeritatem fuerunt. *O volaticam Academiam!* exclamat Cicero, ad Atticum scribens, *modo huc modo illuc* 3). Et in libris de Finibus, *cum Academicis*, ait, *incerta luctatio est, qui nihil affirmant et, quasi desperatâ cognitione certi, id sequi volunt, quodcunque verisimile videatur* 4). Et licet quis caute hac ratione philosophetur, ut Cicero scepticorumque optimi sapientissimique fecerunt, non tamen habent probabilia illa et simillima veri, quo germani philosophi animum expleànt. Ergo nec Socrati satisfacere haec ratio nec vero Platoni potuit: uterque certa, Plato vero quae perfecta, quae immutabilia, quae aeterna essent, quaerebat. Quamobrem quae de Socrate feruntur et ipse de se professus Cicero est, non hanc apud nos vim debent habere, ut inter scepticam dogmaticam rationem mediam fuisse Platonicam putemus. Imo vero, ut Socrates, ita Plato suam sibi patefecit, qua in philosophia progrederetur, viam, eamque Cicero unice demiratus est.

Propria Platonis de opinione et scientia philosophandi ratio.

Si propriam hanc assequi Platonis rationem velimus, non solum non, ut fecerunt quam plurimi, e Stoicorum philosophia interpretari illam, nedum e recentioris Academiae placitis debemus; sed accuratissime nobis Plato ab his philosophis distinguendus est. Vixerunt scilicet illi non aureâ, sed istâ videlicet philosophiae Graecae aetate, qua nativa philoso-

1) Cic. *Tusc. Q.* II. 2.
2) Id. *de Nat. Deor.* I. 5.
3) Id. *ad Attic.* XIII. 25.
4) Id. *de Fin.* II. 14.

phandi facultate Graeci et vigore illo suo destitui coeperant. Itaque novitii Academici id crepabant unice, quod apud Platonem reperiebant, sensibus fidem non esse habendam; Stoici contrarium ponebant, quod item continebat philosophia Platonis, esse homini scientiam et veritatem vindicandam naviter; neutri vero *idearum* doctrinam, quae princeps est in philosophia Platonis, assequebantur, disquisitionibus certe de opinione et scientia non adhibebant eam satis. Quod item in optimorum quorumque sequioris aevi Academicorum, in ipsius adeo Ciceronis placitis desideramus: quamquam hic insito Platonis amore propius ad eum accessit. Id vero *veteres* Academici fecerunt, germani illi Platonis discipuli, itemque Peripatetici: et nobis quidem, ut propriam percipiamus philosophi de hoc argumento et philosophandi rationem et sententiam, horum in primis ratio, ut a Cicerone tradita est, attendenda videtur. Platonis illi rationem, ait, sequebantur fere. *Definitiones rerum probabant et has ad omnia, de quibus disceptabatur, adhibebant. Verborum etiam explicatio probabatur, id est, qua de caussa quaeque essent ita nominata: quam ἐτυμολογίαν appellabant: post argumentis, et quasi rerum notis, ducibus utebantur ad probandum et ad concludendum id, quod explanari volebant: in quo tradebatur omnis dialecticae disciplina, id est, orationis ratione conclusae: huic, quasi ex altera parte* 1) *oratoria vis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuae ad persuadendum accommodatae. Haec erant illis prima a Platone tradita* 2). Sed in his primis alia etiam Cicero longeque graviora memorat, veluti praeclaram sententiam: *quamquam oriretur a sensibus* 3), *tamen non esse judicium veritatis in sensibus: mentem volebant rerum esse judicem: solam censebant idoneam, cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset* 4) *simplex et uniusmodi et tale, quale esset. Hunc illi ἰδέαν appellabant, jam a Platone ita nominatam: nos recte speciem possumus dicere. Sensus autem omnes hebetes et tardos esse arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas, quae subjectae sensibus viderentur: quae essent aut ita parvae,*

---

1) Interpretatur Ern.: *graece*, ἐκ παραλλήλου· sed Aristotelem cogitasse Cicero videtur, qui dialecticae rhetoricam ἀντίστροφον dixit *Rhet.* I. 1.

2) Cic. *Acad.* I. 8. (Vitium latere multi viderunt. Madvigius leg. *forma* pro *prima*. Fortasse rectius: *Haec erat illis disciplina a Platone tradita.* Sequitur *auctoritas veteris disciplinae.* — *corrigere conatus est disciplinam.* Cf. 4, 17. — Ed.)

3) Nec *judicium* intelligendum, ut Lambino, nec *veritas* vel *indicium veritatis*, ut Ernesto placuit, sed ipsum e proximis *judicium veritatis*.

4) Inserendum puto *et*, ut vim habeat *semper*, quod fere in his addit Plato: *quod semper esset et simplex.*

ut sub sensum cadere non possent, aut ita mobiles et concitatas, ut nihil unquam unum esset 1) *constans; ne idem quidem, quia continenter laberentur et fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant; scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus atque rationibus* 2).

Haec Cicero de ipsius Platonis discipulis, qui et proxime ab integro doctrinae fonte aberant et hunc referebant maxime. Sic autem cum philosophantes illi ex ipso hominis animo potissimum repeterent omnia, ac, secundum *idearum* doctrinam, unice spectandum homini contenderent, quid pulcrum, quid bonum, quid justum, omninoque quid verum esset, fructus eorum philosophia, ut ante Platonica, ad artium literarumque, ad ipsius adeo sapientiae studium provehendum, uberrimos tulit. Quocirca captus Cicero hac veteris Academiae ac Platonis sui praestantia, Pisonem inducit generosum adolescentem sic adhortantem: *Ad eos igitur* — veteres Academicos et Peripateticos — *converte te, quaeso. Ex eorum enim scriptis et institutis cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere* 3). Si quo alio ex loco veterum, ex his potissimum Ciceronis sententiis, quae propria Platonis fuerit de opinione et scientia philosophandi ratio, quamque vim illa et efficacitatem ad optima hominum studia alenda habuerit, intelligere licet. Et sic quidem nos tandem, comparatis cum Platonis doctrina sophistarum priscorumque philosophorum placitis, ipsoque Platone a variis et scepticorum et dogmaticorum generibus distincto, talem philosophum summum et apposuimus sophistis istis et lectoribus judicandi caussâ proposuimus, qualis reapse fuisse nobis, imo Ciceroni, visus est. Nunc lectoribus ad judicandum accedendum est.

De aestimandis recte Protagorae similiumque sophistarum ac philosophorum decretis.

Integrum cuivis homini judicium relinquimus, sophistisne malit, an Platoni assentiri. Ut autem vere justeque judicemus, recte sophistae nobis suoque pretio aestimandi sunt. Nam molestum hi quidem hominum genus illis sunt, qui veri ardent amore; veruntamen non tales sunt habendi vel eum in modum Platoni oppositi, ut odisse eos debeat, quicunque Platonis fuerit amore captus. Admirati in his disquisitionibus saepe-

1) Et hic inserendum *et* puto: *unum esset et constans, ne idem quidem.*
2) Cic. *Acad.* I. 8.
3) Id. *de Fin.* V. 3.

numero eorum acumen et sagacitatem sumus, nec temere nobis affirmasse videmur, profecisse ex eorum doctrina multum Platonem. Tantum autem abest, ut Platonicae philosophiae philosophandique rationi contraria eorum ratio fuerit, ut similiter hominem explorare diligentissime niterentur, ac ne rejecerit quidem Plato, quae, priscorum instar philosophorum, de sensibus, de opinione, de rerum motu et fluctuatione philosophati fuerunt. Ergo non contemnendi nobis sophistae sunt, nec vero isti quoque repudiandi prorsus, quos imitati magnam partem fuerunt, fluitantes quos vocavimus philosophos. Horum, fateor, in philosophando consuetudo inepta ac ridicula fuit. «Colloqui cum iis non magis, ait Socrates, quam cum furentibus licet. Referunt adeo ipsi disserendo scribendoque motum illum rerum omnium, quem loquuntur, et agitationem: plane sic fluctuant et agitantur eorum scripta. Persistere autem in sermone et quaestionibus ac placide vicissim respondere et quaerere, minus iis est, quam nihil: superat etiam nihil illud, quod iis est: adeo parum viris istis tranquillitatis est; sed si quem eorum interrogaveris, statim veluti e pharetra obscura verba depromentes tanquam sagittando emittunt: et horum si rationem quaeras, altero ferieris dicto, nove conficto: nunquam autem quidquam apud hos perficies neque ipsi etiam secum invicem; sed scite admodum id cavent, ne quidquam maneat sive in sermone sive in ipsorum animis stabile: existimantes, ut arbitror, id ipsum unum esse stabile 1)."

Sed esto: fuerint isti homines omnium mortalium ineptissimi molestissimique; si mundum visibilem, qui sensibus patet, cognoscere velimus, non solum non repudiandi nobis sunt, sed in consilium adeo adhibendi. Debuisse illis Diotime, mulierum sapientissima, videtur, quae Socratem ipsa docuit perpetuam rerum omnium, quae sensibus percipiuntur, comm tationem 2). Quamquam latuit fortasse eos, quod item divina mulier, in iisdem cum Socrate sermonibus, de altero illo mundo, qui non patet sensibus, de rebus *νοητοῖς*, de ideis, quae *immutabiles* sunt pronunciavit. Illud vero omnis aevi philosophos ac sophistas et latuit et debuit latere, quotquot quidem in homine praeter externos sensus nihil explorarunt. Hac vero in re non laudandi illi nobis magnopere, imo reprehendendi videntur. Nam partem tractare philosophiae, alteram vero partem, quae longe difficillima gravissimaque est, ignorare, saltem negligere, ecquis decere philosophum dixerit? Quocirca non inepte nobis supra suspicati videmur, esse illos quodammodo specûs Platonici incolis similes, qui pariter alterius cujusdam mundi, quem non videbant, ignari, ea tantum, quae

---

1) *Theaet.* 179 E — 180. A. B.

2) *Symp.* 207, 208.

videbant, sermonibus disputationibusque usurpabant. At vero sunt iidem, quod non est nobis silentio praetermittendum, hac in caussa dissimiles illorum, quod longe ipsorum major miseria est. Captivi enim delectabantur iis, quae videbant, mirifice, ne suspicati quidem, umbras haec esse rerum, quas non videbant; illi ipsas res esse umbras contendunt. Quod monendi lectores, ad recte eos aestimandos, videbantur, ne forte imprudenter iis assensi, hujus fierent miserae conditionis participes. Quodsi iidem nos rogant, quid ipsis suadeamus, iteramus quod diximus, suum nos cuivis judicium relinquere; verum sic nobis acturi aptissime videmur, ut, si *opinio* quaeritur, a sophistis eorumque similibus philosophis proficiamus. Nam instar eorum, quos Plato φιληκόους et φιλοθεάμονας vocat, rerum videntur peritissimi, quae videndo audiendoque percipiuntur, ipsique nobis documento erunt, quam parum sit et sensibus et talibus hominibus ad vera assequenda fidei tribuendum. Sin *scientiam* et *veritatem* quaerimus, non audiendos illos putemus: sunt enim harum rerum ignari plane. Imo manebunt isti in specu illo suo; nos vero cum Platone in alterum illum mundum, ipsius veritatis regnum, scientiae et veritatis assequendae causså, escendemus.

Quodsi hunc in modum aestimandum nobis de illis est, qui ab initio disputationis nostrae occludere nobis aditum ad veri philosophiam studuerunt 1), non video, quid obsint nobis eorum cavillationes, quominus iter nostrum ad veri, αὐτοῦ τοῦ ὄντος scientiam, quod magnam partem confecimus, persequamur. Quin etiam profuisse nobis illi ad assequendam eam ac percipiendam mirifice videntur. Nam dubitationibus eorum acutisque sententiis hanc totam debemus de opinione et scientia disquisitionem, ut nunc apud nos constet, quid sensibus tribuendum de Platonis sententia sit, quid negandum, quid inter opinionem, quam sensibus, et scientiam, quam ipsi menti debemus, discriminis apud eum sit, quae item scepticorum, quae dogmaticorum sit conditio et quantum horum de scientia philosophandi rationi ratio Platonis praestet. Tum vero, si Platonicae philosophiae studium hanc apud nos vim habere debet, ut ipsi philosophari recte discamus, proficere nobis ex eadem hac disquisitione ad recentioris etiam aevi sophistas dijudicandos licebit. Minus hi quidem ingeniose, quam antiqui illi, sed tamen haud dissimili ratione ab αἰσθήσει, a sensibus externis omnem repetiverunt et cognitionem et scientiam nostram 2), ut pariter usurparent

1) *Initia* p. 121, 389.

2) Helvetius v. c. duas homini ad cogitandum facultates tribuit, quarum alteram *sensibilitatem physicam*, alteram *memoriam* vocat: utramque autem proprie unam eandemque esse contendit: *la sensibilité seule produit toutes nos idées. De l'Esprit.* Disc. I. 1. p. 2. et 9.

Protagorae effatum, *omnium rerum hominem mensuram esse;* Platonicam autem sententiam, ex interiore naturae humanae cognitione ductam, *Deum esse mortalibus omnium rerum mensuram*, non respicerent ac rejicerent adeo. Nec vero hi quoque repudiandi nobis prorsus sunt. Acutis eorum accuratisque de physica, quam vocant, hominis conditione disquisitionibus, ad hominem cognoscendum multum debemus; veruntamen usurpandum pariter de iisdem Platonicum est, δοξοσόφους eos magis, quam φιλοσόφους, i. e. τῆς ἀληθείας, αὐτοῦ τοῦ ὄντος, φιλοθεάμονας esse. Et sane, quod modo animadvertimus, quo jure censeri in philosophorum choro ii possunt, qui partem philosophiae longe gravissimam difficillimamque, quae interiore indaganda hominis natura continetur, neglexerunt? Sed ut de antiquis, ita de his etiam sophistis, utrum assentiendum sit, an Platonis philosophia praeferenda, penes lectores judicium esto. Nos, cunctis illis in mundo visibili, errorum sede, relictis, iter nostrum in regno veritatis persequamur, ut, quid tandem scientia, αὐτοῦ τοῦ ὄντος scientia sit, percipere nobis liceat.

Qualis est Platonis, quae vulgo appellari hoc nomine solet, metaphysica?

Et superiores disputationes nostrae de mundo νοητῷ, de ideis, de hominis ad veritatem conversione, et haec ipsa, quam modo de opinione et scientia instituimus, disceptatio, eo tetenderunt fere, ut gravissimum hunc in Platonica philosophia locum, qui est de scientia, explicaremus aliquando plene. Idearum autem disquisitio, in qua Aristotelis metaphysicam cum Platonica ratione contulimus, proxime nos illuc adduxisse videtur. Nam assecuti comparando hoc sumus, non cadere in hominem metaphysicam sive caussarum scientiam Aristotelis; Platonem vero praecepisse hominibus, ut τὰ νοητά, τὰ ὄντα, ut ideas, pulcrum, bonum, justum, caeteras cogitando agendoque spectarent: harum autem rite diligenterque explorandarum studium et cadere in humanae naturae facultates et esse adeo homini ad recte cogitandum agendumque necessarium. Sed quaerimus hîc, qualis nobis tandem Platonis sive metaphysica sit quae vulgo appellatur, sive doctrina veri quocunque tandem nomine nuncupanda, qua ad assequenda illa, ad veri, τοῦ ὄντος, αὐτοῦ τοῦ ὄντος scientiam perveniamus. Ut hoc inveniamus, dialogorum nobis Platonicorum, qui metaphysici appellari solent, in primis Parmenidis et Philebi, ratio erit habenda. Sed primum consideremus denuo metaphysicam Aristotelis.

Superat haec omnino naturae nostrae facultatem: sic supra eam est, ut Protagorae doctrina infra esse dignitatem nostram videtur. Nam est

quidem, ut ait ille, 1) hominis ingenio insitum, ut in caussas rerum inquirat. Faciunt parvuli, ubi cogitare et ratiociuari coeperunt: omnique aetate homo, et sollertissimus quisque maxime, id summa ope nititur constanter: debemus adeo studio huic nostro quam plurima gravissimaque in rebus mechanicis et astronomicis inventa. Nec repudiandus magnopere est, si quis e mundi conditione et pulcritudine conjecturam capere ad assequendam harum rerum caussam i. e. divinam mentem et sapientiam velit. Fecit Socrates 2), ac probarunt ejus studium optimi quique philosophi. Sed hunc in modum de philosophia pronunciare, esse eam caussarum scientiam, quibus omuia, quae sunt ac fuerunt, exstiterunt, id vero reprehendendum est. Non quin pulcrum videatur: imo divinum est negotium scientia illa et divinae sapientiae proprium; sed propterea, ut diximus, supra facultatem humanae naturae est. Quamobrem aptissime hanc scientiam ipse Aristoteles et *sapientiam* appellavit et destinavit *sapientibus.*

Nec vero aliter existimasse Plato de hac sive doctrina sive scientia sive sapientia videtur. In Phaedone, ut vidimus, Socratem induxit simillime et exquirentem caussas rerum et Anaxagorae studium dijudicantem. «Juvenis, inquit, dici non potest, quanto studio *τῆς φύσεως ἱστορίαν* persecutus sim: *ὑπερήφανον γάρ μοι ἐδόκει εἶναι εἰδέναι τὰς αἰτίας ἑκάστου, διὰ τί γίγνεται ἕκαστον καὶ διὰ τί ἀπόλλυται καὶ διὰ τί ἐστιν· magnificum enim mihi esse videbatur, caussas uniuscujusque negotii scire, quo quid fieret, quo periret, quo esset:* et saepenumero me sursum deorsumque jactavi, considerans primum, num, postquam calida et frigida putredinem susceperunt, ut dixerunt nonnulli, tunc alantur animalia: deinde, sanguisne sit quo sapiamus, an aër, an ignis, an vero horum nihil, sed cerebrum sit, quod sensus praebeat audiendi, videndi, olfaciendi: ex his autem memoria fiat et opinio: ex memoria vero et opinione recte temperata, eadem ratione scientia fiat. Sed exitus horum studiorum hujusmodi fuit, ut tandem mihimet ipsi ad ea sic hebes viderer, ut nihil magis 3). Deinde vero placuit mihi unice Anaxagoreum illud, *ὡς ἄρα νοῦς ἐστιν ὁ διακοσμῶν τε καὶ πάντων αἴτιος, mentem esse, quae ordinasset omnia omniumque esset caussa.* Arbitrabar enim, si ita se res haberet, ut mens ordinans ordinaret omnia, singula etiam eandem sic disponere, ut *optime* se haberent. Quamobrem si vellet aliquis caussam invenire, qua singula aut fiant aut pereant aut sint, hoc ipsum esse inveniendum, qua ratione *optimum* sit unicuique aut esse aut facere quodvis aut pati: hoc autem pacto nil aliud hominem considerare nec de se nec de aliis

1) Arist. *Metaph.* initio. Cff. *Initia* p. 350.
2) Xen. *Mem.* I. 4, 2.
3) *Phaed.* 96. A. B. Cff. *Initia* p. 349.

oportere, nisi quod *potissimum* sit et *optimum:* caeterum eundem item *pejus* cognovisse: hujus enim eandem scientiam esse." 1) E qua Socratica apud Platonem disputatione efficimus, non abhorruisse ab illa scientia auctorem, sed supra nostram facultatem positam esse existimasse: intelligimus autem simul, id illum maxime spectasse, ut haberet, *secundum quod* de rebus omnibus gravissimis existimaret recte. Et hoc, quod spectavit, ni fallimur, illud est, quod in dialogis plerisque, praesertim in metaphysicis, quos diximus, exploravit: nos autem appellare *metaphysicam* Platonis *doctrinam* solemus.

Animadvertere hoc omnes decuerat, quicunque interpretari Platonis metaphysicam aggressi sunt. Ineptum hoc nomen est, quo philosophi doctrinam appellarunt: ipsi adeo Aristotelicae doctrinae non convenit. Vocavit is eam, ut vidimus, *τὴν πρώτην φιλοσοφίαν*, statuit eam ipsam *σοφίαν* esse, quique eam tractarent, hos philosophari *θεολογικῶς* dixit 2); metaphysicae nomen in scriptis usurpavit nusquam. Usu autem invaluit postea, ut nomen illud scholasticorum in primis doctrinae, quae medio aevo exstitit, tribueretur. Quo accidit, ut, quod supra monuimus, horum argutiae et perversa philosophandi ratio Aristoteli, tanquam doctrinae auctori, imo vero divino Platoni obtruderetur 3). Nobis iccirco caute, si doctrinam Platonis recte interpretari velimus, metaphysicae nomen usurpandum est. Relinquamus illud scholasticis, iisque philosophis, qui ab eorum sordibus purgare metaphysicam instituerunt; de Aristotele autem et Platone, ut vero nomine utriusque doctrinam philosophandique rationem significemus atque exprimamus, sic pronunciandum: Platonem *philosophatum* simpliciter esse, ut a magistro, philosophiae parente, didicerat, quaesivisse, quid pulcrum, quid bonum, quid justum, quid omnino verum esset, rectâ autem de his ratione quaesivisse, ut disquisitioni adhiberet dialecticam: iccirço simplici *φιλοσοφίας* nomine ejus studium ac doctrinam appellari oportere; Aristotelem vero altius spectantem et caussarum adeo scientiam philosophiae vindicantem, *πρώτην* quandam excogitasse *φιλοσοφίαν*, quamquam proprie non esset *φιλοσοφία*, sed *σοφία* ipsa, imo vero *θεολογία* quaedam.

Sed invenimus jam, ut nobis visi sumus, quid proprie sit metaphysicâ Platonis intelligendum. Misso igitur scholasticis hoc nomine, vel, si cum maxime adhibendum philosophiae Platonicae videatur, rectâ accepto sententiâ, ex ipsis jam porro Platonis scriptis, qualis haec doctrina sit quoque tractanda modo, exquiramus.

---

1) *Phaed.* 97. B. C. D.
2) Aristot. *Metaph.* V. p. 100. Cff. *Initia* p. 351, 375.
3) *Initia.* p. 353.

Qua ratione hanc Plato sive metaphysicam sive veri doctrinam tractavit?

Est elegans sane philosophandi ratio, qua nos e linguis solemus proprias mentis et nativas notiones ducere, ut ipsius sic naturae viam in colenda veri philosophia inveniamus et teneamus. Haud inepte haec ratio *philosophia linguarum* vocatur: a qua profecto non alienus Plato fuit. Sermo apud eum est, ut animadvertimus, colloquii interni, quo homo secum ipse agit, effluvium, scriptio autem, hujus effluvii imago 1): unde sponte efficimus, nomina et verba ipsius mentis cogitationisque veluti expressa esse simulacra, ex iisque nobis licere notiones mentis humanae proprias, quae unice verae sunt, quippe naturam referentes, explorare et cognoscere. Et vero Plato, ubi vel Socratem vel alium quemcunque placita sua enunciantem inducit, nullâ non opportunitate eosdem e loquendi consuetudine sententiam suam probantes fecit. Abest autem multum, ut haec sit ratio, qua tractandam esse veri doctrinam existimaverit. Non quin convenerit ipsius philosophiae: quae ipse subinde verba e sua lingua excitavit, ut *excribrare*, *vannare*, *carminare*, similia, 2) vidimus, quam apte illa ipsius dialecticae, quae *discernendo* in primis procedit, conveniant; et sane nos in his disquisitionibus omnibus de philosophia Platonica explicare eam ferme totam e veterum recentiorumque loquendi consuetudine, e propria verborum significatione, non sine fructu, ut nobis videmur, studuimus. Sed fuerunt Platonis aetate, qui perverse id agerent, sophistae in primis, quos diximus, et Heraelitei philosophi. Hi miro acumine, sed inepte haec studia persequentes, non e verbis et nominibus ducere nativas mentis humanae notiones, sed in verba et nomina sua ipsi decreta transferre, et sic ea probare nitebantur. Id displicebat Platoni. Cratylum hic adeo, qui totus his in studiis fuit versatus, pucr audiverat, quum is fluitantium philosophorum doctrinae vindicandae hanc verborum interpretationem adhibebat. 3) Hoc vero minus etiam ferre poterat. Inepta hac igitur perversaque philosophandi ratione factum videtur, ut non solum a justo et philosopho linguae studio deduceretur, sed etymologiae isti, quam voca-

1) *Phaedr.* 276. A. Cff. *Initia* p. 177, 300.

2) *Sophist.* 226, 227. Cff. *Initia* p. 259, 287.

3) Arist. *Metaph.* I. 6. *ἐκ νέου τε γὰρ συγγενόμενος πρῶτον Κρατύλῳ καὶ ταῖς Ἡρακλειτείοις δόξαις, ὡς ἁπάντων τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ ῥεόντων καὶ ἐπιστήμης περὶ αὐτῶν οὐκ οὔσης* — quamquam hinc non efficiendum esse, sic primum Platoni Cratylum, ut postea Soeratem, praeceptorem fuisse, recte statuit *Ast Platon's Leben* p. 19.

bant, suam ipse opponeret cum philosophandi rationem, tum veri doctrinam. Rem intelligere recte ex ejus dialogo, qui *Cratylus* inscribitur, licet.

De Cratylo Platonis, sive de linguarum, quam nos vocamus, philosophia.

Quum comparabamus modo cum Protagora similibusque sophistis et philosophis Platonem, duplex memoravimus philosophorum genus, quorum pars *κινεῖσθαι* omnia, altera autem pars contrarium, omnia *ἑστάναι* contendebant. Utrorumque sententiam Plato, hoc scribendo dialogo, hunc ad modum et exposuit et per ironiam exagitavit atque explosit, ut simul etymologiae istius perversitatem demonstraret. Inducuntur hac de re secum invicem colloquentes Hermogenes et Cratylus, quorum hic e verborum significatione omnia fluere contendit. Socrates in utramque partem disputat; veruntamen, quod nobis minime est negligendum, illuc, si minus pervenit, contendit tamen constanter, ut rei recte dijudicandae rationem inveniat. Itaque, cum philosophi fere ac sophistae sonum unice verborum attenderent, ex eoque quidquid luberet efficere conarentur, Socrates, ut in omni disquisitione, ita in hac *dialecticam* potissimum *rationem* usurpandam statuit. «Prima vero nomina, ait, quae non succedunt aliis, quo pacto quam maxime res ipsas nobis ostendent? Ad hoc autem mihi responde. Si nec vocem nec linguam habuissemus, voluissemus autem res invicem declarare, nonne perinde ac nunc muti, manibus capiteque ac caeteris membris significare tentavissemus?— Quo enim alio, o Socrates, modo?— Si superni quidquam, credo, vel leve declarare voluissemus, coelum versus manum extulissemus, ipsam rei naturam imitantes; inferiora vero et gravia significaturi, demisissemus terram versus manum. Equum item currentem vel aliud quodvis animalium si voluissemus indicare, corpus quisque suum gestusque et figuras iis simillime composuisset.— Necesse est.— Hunc in modum, ut arbitror, corpus significasset singula, illud imitans scilicet quod vellet declarare.— Omnino.— Cum vero voce, lingua et ore velimus significare quaeque, nonne per haec declarabimus, ubi per ea imitati res fuerimus?— Necesse esse mihi videtur.— Nomen autem est, ut apparet, imitatio vocis, qua quicunque aliquid imitatur, per vocem imitatur et nominat." 1) Veruntamen in his alia quaedam imitatio est, quam quae per musicam fit vel picturam. Id enim, quod *est*, sive *οὐσίας* est particeps, exprimendum. «*Ἀλλὰ τίς ἂν εἴη ὁ τρόπος τῆς διαιρέσεως, ὅθεν*

---

1) *Cratyl.* 422. E. 423. A. B.

ἄρχεται μιμεῖσθαι ὁ μιμούμενος; ἆρα οὐκ ἐπείπερ συλλαβαῖς τε καὶ γράμμασιν ἡ μίμησις τυγχάνει οὖσα τῆς οὐσίας, ὀρθότατόν ἐστι διελέσθαι τὰ στοιχεῖα πρῶτον; ὥσπερ οἱ ἐπιχειροῦντες τοῖς ῥυθμοῖς, τῶν στοιχείων πρῶτον τὰς δυνάμεις διείλοντες, ἔπειτα τῶν συλλαβῶν· καὶ οὕτως ἤδη ἔρχονται ἐπὶ τοὺς ῥυθμοὺς σκεψόμενοι, πρότερον δ' οὔ. quis vero sit discretionis modus? Nonne, quandoquidem syllabis et literis essentiae fit imitatio, primum praestat elementa distinguere? Quemadmodum qui rhythmis dant operam, elementorum primum vim discernunt, tum syllabarum: sic tandem ipsos aggrediuntur rhythmos, non vero prius." 1)

Non est, quod haec persequamur. Dialectica Platonis ratio, quae cernendo, ut vidimus, ad inveniendum procedit, in hac Socratica *περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος* disputatione elucet maxime. Sed diximus modo, perversae sophistarum ac philosophorum etymologiae suam Platonem philosophandi rationem verique doctrinam, quam metaphysicam dicunt vulgo, opposuisse. Id e Socratis sub finem dialogi sermone intelligitur. Effecerat in ea ex verborum significatione, vere pariter statuisse videri tum qui moveri, tum qui stare omnia contendissent: quibus subjungit deinceps: « tumultuantibus igitur, inquit, nominibus, et asseverantibus aliis, se esse, quae veritati sunt similia, aliis autem se esse contendentibus, cujus ad normam litem dijudicabimus? vel quonam nos tandem convertemus? non enim ad alia nomina confugiemus, quia praeter haec non sunt. *Ἀλλὰ δηλονότι ἄλλ' ἄττα ζητητέα πλὴν ὀνομάτων, ἃ ἡμῖν ἐμφανιεῖ ἄνευ ὀνομάτων, ὁπότερα τούτων ἐστὶ τἀληθῆ, δείξαντα δῆλον ὅτι τὴν ἀλήθειαν τῶν ὄντων· verum alia quaedam praeter nomina quaerenda sunt, quae nobis sine nominibus patefaciant, utra istorum vera sint, rerum videlicet veritatem demonstrantia.* — Ita mihi videtur. — Si haec ita se habent, Cratyle, possunt, ut videtur, res sine nominibus percipi. — Apparet. — Per quid igitur aliud speras haec percipere, nisi qua ratione justum et consentaneum sit, ut ex mutua eorum cognatione, siquidem cognata sint, discamus, tum etiam ipsa per se? Nam quod ab illis diversum atque aliud est, aliud ac diversum, non illa significaret. — Vera loqui videris. — Dic, obsecro, nonne jam saepe concessimus, nomina, quae recte posita sunt, similia illorum esse, quorum sunt nomina, rerumque esse imagines? — Concessimus. — *Εἰ οὖν ἔστι μὲν ὅ τι μάλιστα δι' ὀνομάτων τὰ πράγματα μανθάνειν, ἔστι δὲ καὶ δι' αὐτῶν, ποτέρα ἂν εἴη καλλίων καὶ σαφεστέρα ἡ μάθησις; ἐκ τῆς εἰκόνος μανθάνειν αὐτήν τε αὐτήν, εἰ καλῶς εἴκασται, καὶ τὴν ἀλήθειαν, ἧς ἦν*

1) *Eod.* 424. B. C.

ἡ εἰκών, ἢ ἐκ τῆς ἀληθείας αὐτήν τε αὐτὴν καὶ τὴν εἰκόνα αὐτῆς, εἰ πρεπόντως εἴργασται;— Ἐκ τῆς ἀληθείας μοι δοκεῖ ἀνάγκη εἶναι· si igitur cum maxime discere e nominibus res licet, licet autem item per se ipsas, utra praestantior dilucidiorque discendi ratio erit? ex imagine discere et ipsam, si recte expressa sit, et veritatem, cujus est imago, an vero ex veritate et ipsam et imaginem ejus, si ei congruenter sit effecta?— Ex veritute mihi videtur necesse esse 1)."

Haec Socrates in Cratylo Platonis. Assequimur autem inde non hoc solum, qualis sit quaque tractanda ratione metaphysica philosophi, sed, quoduam item apud eum *metaphysicum* sit, quod nos appellare consuevimus, *linguurum studium.* Quod paucis demonstrasse, ad ipsam veri, quam spectavit, doctrinam percipiendam penitus, non mediocriter nos juvabit.

De metaphysico,
quod dicitur, linguarum studio.

Sunt nomina et voces, de Platonis sententia, uti ex Phaedro didicimus, notionum imagines, quibus mens nostra uti in cogitando, colloquio illo interno, solet. Viderunt hoc, certe suspicati quodammodo illi sunt, qui de verborum origine disquisiverunt; sed non recte inde, ut Plato statuit, disquisitionem instituerunt. Nam ex verbis, tanqnam veritatis imaginibus, veritatem, non ex veritate et veritatem ipsam et imagines ejus judicatum iverunt. Hinc diversissima eorum de eo, quod verum est, judicia et errores gravissimi. Nam constare primum de verbis oportebat, esse ea reapse veritatis imagines: id vero incertum. « Hoc consideremus, ait Socrates, ne multa haec nomina in idem tendentia nos decipiant, quique eorum auctores fuerunt, veluti in quandam lapsi vertiginem, et ipsi agitati misere sint et nos in eandem rapientes immergant 2)." Id vero non considerarunt fere etymologi: ipsi adeo e nominibus, quae exstabant, quidquid ipsis videbatur verum, ineptissima adeo commenta, commendare et comprobare studuerunt. Praeterea, qui etymologorum omni aevo mos fuit, non rebus perspectis earum in vocibus ima-

---

1) *Cratyl.* 438. D.— 439. B. Videtur plane Plato posteris peragendum reliquisse, quod ipse praecepit. Nam vix occurrit in toto Cratylo caeterisque ejus scriptis nominis etymologia, quae ad grammaticae rationem rite sit exacta. At hoc ipsum grammaticae studium rite demum post Platonem et recentiore aevo excultum est. Cujus historiam, quod dolendum, desideramus etiamnunc.

2) *Cratyl.* 439 B. C.

gines attenderunt, sed in voces continuo veluti venationem instituerunt, ut nullam non obviam et ipsam explicare et inde demonstrare opiniones suas niterentur. Perturbarunt igitur omnia, suscepitque hinc etymologia apud germanos non solum grammaticos, sed philosophos etiam infamiam quandam, cujus ipsa adeo linguarum philosophia particeps fuit. Hoc vero ne committamus, sed contra, elegantissimae disquisitioni suum restituamus honorem. Nam secundum praeceptum Platonis non ex imagine discere et imaginem et veritatem oportet, sed haec longe *καλλίων καὶ σαφεστέρα ἡ μάθησις* est, *ἐκ τῆς ἀληθείας αὐτήν τε αὐτὴν* efficere, *καὶ τὴν εἰκόνα αὐτῆς, εἰ πρεπόντως εἴργασται.* Rem, si fortasse etiamnunc nonnullis subobscura est, ipsius illustrare Platonis exemplo liceat.

Quum tradere is in scribendo *Sophista* verissimam dialecticam, quae cernendo jungendoque constat, instituisset, non continuo verba illa, quae excitat, *διηθεῖν, διαττᾶν, βράττειν, διακρίνειν* 1), similia, exploravit, ut ex his, tanquam veri imaginibus, cernendi illam artem efficeret, sed ingenio ipse suo excogitaverat hanc artem, tum vero exprimere et declarare, quod excogitaverat, nisus, in his verbis sibi visus est *cernendi* illam notionem deprehendere. Nec alia ratio eorum esse videtur, qui quamvis non, ut Plato, inveniendi sunt facultate praediti, inventa Platonis interpretari student: quod cujusmodi sit, usu equidem in his conscribendis philosophiae Platonicae initiis saepius expertus sum. Nam quo magis me insinuare cogitando scribendoque in interiorem hujus philosophiae rationem conabar, eo crebrius mihi vocum in mentem veuit, quae in antiquis nec minus in recentioribus linguis id plane videbantur exprimere, quod longâ disputatione explicuit Plato. Veluti, ut his utar, sexcenties usurpaveram dicendo scribendoque voces, *waarheidsliefde, ὄργανα, zintuigen, waarheidszin, oordeelen, κρίνειν, cernere, putare, cogitare, onderwijzen, enseigner*, similes alias innumeras; usurpaveram autem, ut omnes solent, vim earum propriam non magnopere attendens. Nunc vero Platonis exquirens placita de principio cognitionis philosophiaeque summo, quod veri amor est, de sensibus et quo per eos modo res cognoscamus, de sensu interno et quid sit discere, quid judicare, quid item docere, quaenam adeo et quales sint dialecticae methodi primariae, his igitur de rebus placita exquirens tradensque Platonis, attendere nunc demum vim vocum illarum coepi. Sic usu ipse meo didici, quid esset tandem Platonicum illud, non a verbis ad res, sive ab imaginibus ad veritatem, sed contra, a rerum intelligentia ad verborum observationem, a veritate perspecta ad ejus imagines attendendas judicandasque procedendum esse: lectores autem, opi-

---

1) *Soph.* 226. B.

nor, quae vera sit habenda linguarum philosophia, et quale sit, quod vulgo dicere cousuèvimus, *metuphysicum linguarum studium*, hinc optime judicabunt.

Plato ex his studiis, ut monuimus, non multum profecit. Quae puer a Cratylo didicerat, sic deinceps inepta falsaque judicavit, ut iis suam veri doctrinam opponeret. Abfuit autem tantum, ut ad verissimam etymologiam hanc adhiberet doctrinam constanter, ut identidem in scriptis id ipsum committeret, quod in Cratylo ac sophistis reprehenderat 1). Tam ardua scilicet res est, philosophiam linguarum recte tractare. Veruntamen nobis quantum proficere ad studia illa naviter apteque persequenda, cum ex illa philosophi doctrina, tum e tota ejusdem philosophia liceat, dici vix potest. Nam non est, quo haec magis constantiusque spectet, quam, ut elicere ex ipso animo hominis omnia studeamus. Refertur illuc tota philosophi dialectica, quippe cum μαιευτικῇ et ἐπαγωγῇ Socratis, quam usurpavit scribendo, conjuncta: statuit adeo, primas notiones nostras quantitatis et qualitatis, ideas praesertim proprie sic dictas, jam tum perceptas mente nostrâ fuisse, antequam in hoc corpus sensibus instructum migraverat: quod in *Menone*, ut vidimus, pueri exemplo, a Socrate de quadrati dimensione interrogati, demonstravit 2). Huic autem philosophandi rationi quid magis consequens est, quam ut mirari id desinamus, quod vidimus modo, exstare in linguis voces, quibus nativam suam homo cogitandi judicandique rationem expresserit? Nam si insunt haec hominum generi naturâ, quidni enunciare ea gentes loquendo sponte sua sint conatae? Quodsi documenta expetimus, quibus id, quod probabile videtur, pateat nobis, voces illae singulae, quas in his disquisitionibus attulimus, attendendae nobis sunt. Non arte sunt a philosophis confictae, sed communi omnium hominum usu teruntur, ut prorsus naturâ videantur exstitisse: et tamen, quam apte pleneque exprimant, quod longis disputationibus Plato demonstravit, eaedem hae disquisitiones nostrae probarunt. Sed vel fallor equidem, vel insigne omniumque illustrissimum hujus rei documentum ipsa nobis est philosophia Platonis. Quo frequentius mihi naturales voces illae in explicando Platone occurrerunt, eo certius mihi persuasi, si eas ordine, secundum philosophiae Platonicae progressionem proponeremus et explicaremus, facile nos ita ipsam simul esse philosophiam hanc tradituros et expósituros. Fateor adeo, eo me accuratius mihi visum esse mentis in cogitando, judicando, cognoscendo rationem assequi, quo magis una cum placitis Platonis linguas attendebam, ut parum absit, quin statuam, linguas nobis ipsam veluti *repraesentare* philosophiam Platonis.

---

1) V. c. *Phaedr.* 238. C. 244 D.
2) Cic. *Tusc.* Q. I. 24.

Caeterum, quemadmodum, quod posuit Plato, a veritate inchoandum sit indeque ad ejus imagines procedendum, id suo nos philosophus exemplo docuit. Thesauros esse philosophiae locupletissimos linguas, omnes consentiunt, nobisque in his disceptationibus patuit manifestissime. Ille vero, quamvis philosophandi, quam usurpavit, ratio nos duxerit illuc, ipsiusque philosophia sic naturae sit consentanea, ut dixeris fere, haustam illam inde esse, minus tamen, quam par erat, e thesauris istis profecit. Nempe de veritate philosophatus continuo est, eamque optimâ et indagandi et tradendi viâ cum ipse invenire tum nobiscum communicare studuit. Id autem quo aptius perfecit, eo nunc nobis clarius, e veritatis illis, quas dixit, imaginibus, veritas patet. Quod hîc duximus monendum esse, quo magis aetatis nostrae philosophi, quibus sane longe majore copiâ thesauri illi, quam olim Platoni, patent, hoc duce et investigent eos, et, inde ut nos item emolumentum capiamus, operam dent. Nec vero ad linguarum unice philosophiam tractandam salutare hoc philosophi praeceptum est: late patet per gravissimos quosque philosophiae locos: est adeo cum metaphysica Platonis sive veri doctrina arctissime conjunctum. Nam, quemadmodum ille, quod ajunt metaphysici, *a priori* philosophatus sit, hinc patet maxime.

Qua praestitit ratione Plato, quod postulare a philosophis metaphysici solent, ut a priori philosopharetur?

Evexit nos Cratylus Platonis et tota haec nostra de linguarum philosophia disceptatio ad Platonicae dialecticae fastigium, quod hujusmodi est, ut non ab hypothesibus descendamus, sed ad principia tendamus *ἀνυπόθετα*. Id quale sit, e methodo, qua usus philosophus est, supra docuimus 1): nunc quemadmodum ipsi philosophiae, ad veri, *αὐτοῦ τοῦ ὄντος*, scientiam assequendam, adhibendum sit, exquirere oportet. Nam metaphysici fere, quamvis in caussis exquirendis ad sublimia omnia contenderent, in ipsa tamen philosophandi ratione ab ultimis principiis descenderunt: quod philosophari *a priori* vocabant 2). In rebus physicis, caussâ omnium repertâ, inde ducere ratiocinando omnia solebant. In metaphysicis autem, quae vocabant, tractandis ad Deum fere pervenie-

---

1) *Initia* p. 234, 286.

2) Aristotelicae studium philosophiae hanc medio aevo protulit barbare sic nuncupatam *a priori philosophiam*. Longe alia est, quae illi eodem nomine successit superiore saeculo, ac Platonicae congruentior. Haec qualis sit, deinceps erit significandum: nunc, ne eum Aristotelica eam confunderemus, verbo hoc monuisse sufficiat.

haut sponte, indeque, a divinae naturae perfectione descendentes, quaecunque exquiri in philosophia solent, explicabant. Unde *prima* illa Aristotelis *philosophia* ab ipso jam *theologiae* nomine nuncupata est. Conveniebat haec philosophandi ratio illorum studiis philosophorum, qui, ut Aristoteles, sapientiae doctrinam, imo divinam scientiam traderent; Platoni, qui philosophando, ut Socrates, i. e. quaerendâ sapientiâ contentus erat, non conveniebat. Et vero, quod aliquoties monuimus, superat talis doctrina longe facultates hominis: quo factum, ut, qui non tradere eam, sed adeo adhibere ad rerum omnium explicationem nisi sunt, turpiter fere siut lapsi.

Sed dicat hîc aliquis: postulare tamen a philosophis metaphysici solent, ut a priori philosophentur: hoccine igitur non fecit Plato? Fecit: sed aliâ, ac metaphysici, ratione. Posuerunt illi principium, unde ducerent omnia: veluti divinam naturam, quam nemo confiteri dubitat rerum omnium caussam esse principem; sed caussam hanc divinam pro mentis humanae modo, qui modus ipsius profecto divinitatis non capax est, informabant; unde qualis quamque deformis prodierit naturae illius sive forma sive descriptio sive definitio, sponte intelligimus. Sic igitur posito principio, quum descendentes inde omnia explicatum irent, humile hoc erat reapse, quamvis sublime videretur, metaphysicae iter. Non ita Plato. Non descendendum ille ab ὑποθέσεσι, temere, ut fit, positis, sed escendendum philosopho ad τὰ ἀνυπόθετα judicabat. Sic autem cum ipse soleret philosophari, a priori philosophatus esse, sed *suâ ratione*, dicendus est. Scilicet quae τὰ ἀνυπόθετα vocat, sunt ea apud illum, ut vidimus, τὰ ὄντα, ipsae sunt ideae, pulcrum, bonum, justum, sanctum, quas quo quis puriores clarioresque animo teneat, eo hunc rectius dixit de rebus pulcris et turpibus, de bonis et malis, de justis et injustis, de divinis omnino humanisque existimare, eoque propius a divina sapientia, cujus nunquam fieri particeps poterit, abesse. Ad hanc scientiam quemadmodum procedamus, *pulcri* exemplo in Symposio nos docuit Diotime. A rebus pulcris, quae sensibus percipiuntur, ordiendum praecepit, ut per has pulcri imagines, tanquam ἀναβαθμοὺς quosdam, ad pulcrum ipsum tenderemus. Huc autem postquam pervenerimus, inde nobis praecepit, ut res deinceps pulcras omnes et accuratius attenderemus et dijudicaremus verius 1). Sed de dialectica idearum disquisitioni adhibenda, quae proprie esse Platonis metaphysica videtur, documenta nobis in primis insignia sunt metaphysici, qui vocantur, Platonis dialogi, praecipue *Parmenides* et *Philebus*.

---

1) *Symp.* 209, 210. Cff. *Initia* p. 107.

De metaphysicis Platonis dialogis, sive de dialectica idearum disquisitioni adhibenda.

De his dialogis parum vel nihil adhuc diximus; nec tamen nihil attulisse ad verum eorum propositum assequendum videmur. Nam dialogorum Platonicorum haec ratio est, ut legi omnino accurate ad auctoris philosophiam percipiendam debeant, intelligi autem tum demum rite, postquam hanc asseeuti satis philosophiam fuerimus, possint. Veluti Theaetetum, Sophistam, Politicum ubi quis primum legit, statim arbitrabitur, se inde Platonis de scientia, de sophistica, de politica sententiam cogniturum: legendo autem, aliud fuisse videbit in scribendis illis auctoris consilium. Sed ubi perspexerit idem assidua lectione cum dialecticam Platonis, tum rationem, qua eam adhibere philosophiae studuit, tum demum et assequi philosophi in scribendis illis consilium et recte eos intelligere incipiet. Similis ratio Parmenidis et Philebi est. Vulgo Platonem existimant in his suam omnem de ideis deque idearum principe, boni idea, sententiam exposuisse: quamobrem involare continuo in hos dialogos solent, qui Platonis sublimitatem ex ipsius scriptis percipere cupiunt. Nos autem egimus de ideis Platonis et accurate tradere primarium hunc in ejus philosophia locum studuimus: et tamen vix ullam eorum dialogorum mentionem fecimus. Nempe, ut in Theaeteto caeterisque dialecticis sermonibus, ita in his Plato, qui vulgo metaphysici vocantur, id spectavit potissimum, ut adhiberet philosophiae ipsique, quam tradere studebat, veri doctrinae dialecticam suam. Quapropter nunc demum, postquam et dialecticam Platonis et veri doctrinam, una cum ejusdem de ideis placitis, perspicere coepimus, nunc demum, inquam, recte nobis intellecturi utrumque illum dialogum videmur.

Nam proprie sunt sermones illi subtilissimae quaedam sive disquisitiones sive exercitationes dialecticae. Quod ex utriusque prooemio intelligitur. In Parmenide dialogo Parmenides, *δεινὸς* ille *ἅμα αἰδοῖός τε*, postquam ab initio cum Socrate de uno et multis, de ideis earumque in rebus *ὁμοιώμασι* agere instituit, admiratus hujus ingenium, *καλὴ μὲν οὖν*, inquit, *καὶ θεία, εὖ ἴσθι, ἡ ὁρμή, ἣν ὁρμᾷς ἐπὶ τοὺς λόγους· ἕλκυσον δὲ σαυτὸν καὶ γύμνασον μᾶλλον διὰ τῆς δοκούσης ἀχρήστου εἶναι καὶ καλουμένης ὑπὸ τῶν πολλῶν ἀδολεσχίας, ἕως ἔτι νέος εἶ· εἰ δὲ μή, σὲ διαφεύξεται ἡ ἀλήθεια· pulcer est et divinus, mihi crede, impetus ille tuus, quo ad sermones tendis; protrahe te igitur magisque hac te exerce facultate, quae vulgo inutilis videtur et garrulitas vocatur, dum juvenis es: nam, nisi feceris, fugiet te veritas* 1). Rogat autem Socrates,

1) *Parm.* 135. D.

ecquis sit exercitationis hujus modus. Tum ille et alia ei praecipit et hocce: *χρὴ δὲ καὶ τόδε ἔτι πρὸς τούτῳ ποιεῖν· μὴ μόνον εἰ ἔστιν ἕκαστον ὑποτιθέμενον, σκοπεῖν τὰ συμβαίνοντα ἐκ τῆς ὑποθέσεως, ἀλλὰ καὶ εἰ μή ἐστι, τὸ αὐτὸ τοῦτο ὑποτίθεσθαι, εἰ βούλει μᾶλλον γυμνασθῆναι· illud praeterea faciendum est: non solum, ubi quodque esse suppositum est, explorare, quae e suppositione consequantur, sed etiam, ubi non esse suppositum est, hoc ipsum supponere, siquidem recte exercitari velis* 1). Similiter in Philebo a dialectica ducitur disputationis initium. Continetur adeo ipsum prooemium illius descriptione methodi, quae cernendo jungendoque instituitur atque unice fuit Platoni propria. Prooemio autem uterque dialogus consequens est: totus uterque dialectica disceptatione constat. Quod ad Parmenidem praesertim intelligendum recte animadvertendum legentibus est. Disquisitiones enim in hoc dialogo non magis, quam in Theaeteto, ad certam quandam conclusionem perducuntur. Quocirca mirati id quam plurimi sunt, nonnulli adeo a Platone vel non adjectum, vel post eum deperditum esse sermonis finem suspicati sunt 2). Verum enim id unice spectavit scribendo sermone Plato, ut, positis sententiis contrariis v. c. *esse unumquodque* et *non esse*, quid ex utraque consequeretur, dialecticâ subtilitate exquireret: sic autem dialecticae de ideis disquisitionis exemplum praeberet legentibus. Nobis vero inde, quod nunc maxime exquirimus, patet, qualis Platonis fuerit maxime, quae appellatur, *a priori* philosophandi ratio. In his omnibus non principium, ut solent metaphysici, posuit, quod geometrarum, ut vocant, more i. e. synthetica ratione demonstraret indeque duceret explicaretque omnia: suâ Plato methodo, analyticâ illâ, usus, ipse *ἀνυπόθετα* i. e. *τὰ ὄντα*, ideas, inquirendo persecutus est.

Quodsi quaerimus, quam in legendo Parmenide desideramus, subtilis hujusmodi dialecticae disputationis conclusionem, Philebus nobis non quidem plene, sed tamen multo magis satisfaciet. Ut ad boni ideam explorandam proprie refertur dialogus hicce, ita de voluptate continuo et scientia sermo instituitur. Nam Platonis jam aetate philosophi sic a se invicem discedebant, ut essent, qui summum bonum voluptate contineri statuerent, alii ad illud unam sapientiam referrent. Sed ut Epicurei postea et Stoici, ita hi utrique non satis ad dialecticam *ἀκρίβειαν* rem exigere solebant. Plato igitur a dialectica, ut diximus, incipiens, Socratem inducit artem continuo tradentem, qua non *ἓν καὶ ἄπειρα*, sed *ὁπόσα* exquiruntur. Hujusmodi illa est, inquit, ut de voce v. c. non solum *unum* i. e. ipsam vocem, et *infinita* i. e. innumeros sonos, sed etiam

1) *Parm.* 135. E.

2) Vid. *Ast Platons Leb.* p. 244 et 250. Cf. Socher *uber Plat. Schr.* p. 286.

quot sint numero soni, exploremus. Nos tum haec explicuimus, quum dialecticam Platonis tradebamus, ac, duce Platone, docuimus, quemadmodum hac arte musica et literae sive alphabetica scriptura inventae sint 1). Hinc Socrates sublime memorat antiquorum effatum: «*οἱ μὲν παλαιοί, κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ταύτην φήμην παρέδοσαν, ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ πολλῶν ὄντων τῶν ἀεὶ λεγομένων εἶναι, πέρας δὲ καὶ ἀπειρίαν ἐν ἑαυτοῖς ξύμφυτον ἐχόντων· nam prisci nobis praestantiores Diisque propinquiores, haec nobis oracula tradiderunt, ex uno et multis constare quae semper esse dicuntur, finem autem et infinitatem innatam habere.* Idcirco nos decere, si ita haec ordinata sint, unum quid in omni re exquirere ac ponere, inventuros enim insitum esse: quod ubi deprehenderimus, post unum duo, si insint, explorare, vel tria vel alium numerum quempiam, ac quodlibet eorum unum diligenter considerare denuo; donec id, quod ab initio unum invenimus, non solum ut unum vel ut multa vel ut infinita, sed ut *quot* sint numero perspiciamus. Sic igitur infinitatem non multitudini esse adhibendam, priusquam numerum quis ejus omnem, qui inter infinitum et unum intermedius sit, perspexerit: tum vero unum quodlibet omnium in infinitum dimittere oportere. Dii ergo, quod dixi, sic nobis praeceperunt, ut res exploraremus, disceremus, doceremus; qui autem nunc dicuntur sapientes, unum et multa velocius tardiusve, quam oportet, conficiunt ac post unum continuo in infinita incidunt; media autem, quibus disputandi ratio dialectica a litigiosa discernitur, fugiunt illos 2)."

Effatum, quod laudatur in hisce, Philolai est, a Diogene Laertio nobis servatum, a Proclo autem non semel commemoratum. *Φύσις δὲ ἐν τῷ κόσμῳ ἁρμόχθη ἐξ ἀπείρων τε καὶ περαινόντων, καὶ ὅλος κόσμος καὶ τὰ ἐν αὐτῷ* 3). Quod Platoni non poterat non vehementer arridere, cujus dialectica ipsaque philosophia discernendo definiendoque fere tota progrediebatur. His igitur duobus positis, *infinitis* et *definientibus*, tertium addit, *quod ex his temperatur: τὸν θεὸν ἐλέγομέν που, τὸ μὲν, ἄπειρον δεῖξαι τῶν ὄντων, τὸ δὲ, πέρας· τούτων δὴ τῶν εἰδῶν τὰ δύο τιθώμεθα· τὸ δὲ τρίτον, ἐξ ἀμφοῖν τούτοιν ἕν τι ξυμμισγόμενον· deum diximus ex iis, quae sunt, alterum infinitum, alterum finitum ostendisse: duo igitur haec genera ponamus, tertium autem, quod unum ex utroque illo temperatum est* 4). Tandem quartum his subjungit, *mixtionis caussam: τῆς συμμίξεως τούτων πρὸς ἄλληλα αἰτίαν·* ac sin-

1) Cff. *Initia* p. 270.
2) *Phileb.* 16. C. — 17 A.
3) Vid. *Boeckh.* in *Philolao* p. 45. et Stallbaum *Proleg. ad Phileb.* p. LX.
4) *Phileb.* 23. C.

gula deinceps, qualia sint, definit 1). Nunc autem ad ea recte sic posita et definita quaestionem exigit de *bono*, sive de voluptate et sapientia, utri ad bene beateque vivendum plus sit efficacitatis tribuendum. Nam palmam victoriae mixtae jam vitae concesserat: hanc constare nec voluptate sola, nec sola etiam sapientia docuerat, sed apta utriusque temperatione. Quapropter *τὰ δευτερεῖα* nuuc quaerit utri tribuenda viderentur. Itaque ad vitam illam sapientiae plus, quam voluptati, efficacitatis concedit. Etenim ad infinita pertinet voluptas: terminos illa nullos habet; sapientia vero sive *νοῦς* definiendi ordinandique vim habere putanda est. *Πάντες γὰρ συμφωνοῦσιν οἱ σοφοὶ, ἑαυτοὺς οὕτω σεμνύνοντες, ὡς νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ καὶ γῆς· omnes enim consentiunt sapientes, semet ipsos ita extollentes, mentem esse coeli ac terrae gubernatricem* 2). Et vero, vim quandam fortuitam et rationis expertem non *ἐπιτροπεύειν* dicamus omnia haec, quae universum appellamus, sed longe rectius, *καθάπερ οἱ πρόσθεν ἡμῶν ἔλεγον, νοῦν καὶ φρόνησίν τινα θαυμαστὴν συντάττουσαν διακυβερνᾷν· ut qui ante nos fuerunt dixerunt, mentem atque sapientiam admirabilem quandam ordinare et gubernare omnia* 3). Unde, quantum voluptati sapientia praestet, intelligitur.

Sed his ita exploratis, illud peragendum tandem arbitratur Socrates, quod monuerat in superioribus 4), ut, secretis ab ipsa voluptate et sapientia variis utriusque generibus, ex utraque temperaret recte vitam beatam. Quod ut perfecit, immixtà ei veritate, *τί δῆτα*, quaerit, *ἐν τῇ ξυμμίξει τιμιώτατον ἅμα καὶ μάλιστ᾽ αἴτιον εἶναι δόξειεν ἂν ἡμῖν τοῦ πᾶσι γεγονέναι προσφιλῆ τὴν τοιαύτην διάθεσιν; quid in commixtione et pretiosissimum est simul et nobis in caussa maxime, ut omnibus haec dispositio grata accidat*? 5) Et sic ad quartum illud, quod posuerat, ad *caussam* accedit, eamque esse *τὸ ἀγαθὸν* invenit. Omnis mixtionis, ait, non difficile est caussam reperire, ob quam vel plurimi sit vel minimi facienda. Nam latet neminem, mixtionem quamcunque et qualemcunque, modi aequabilitatisque expertem, et mixta necessario et primum semet ipsam perdere. Non enim *κρᾶσις*, sed *ἄκρατος* quaedam haec fit hominibus, temere congesta *ξυμφορά*. Quamobrem effugit nos *bonum*, in pulcri naturam se recipiens. Modus enim et aequabilitas ubivis solet pulcritudo et virtus esse. Veritatem autem diximus una cum illis in temperatione mixtam esse. *Οὐκοῦν εἰ μὴ μιᾷ δυνάμεθα ἰδέᾳ τὸ ἀγαθὸν θηρεῦσαι, σὺν τρισὶ λαβόντες, κάλλει καὶ συμμετρίᾳ καὶ ἀλη-*

1) *Phileb.* 24 et 25.
2) *Eod.* 28. C.
3) *Eod.* 28. D.
4) *Eod.* 20. A.
5) *Eod.* 64. C.

θείᾳ, λέγωμεν ὡς τοῦτο οἷον ἓν ὀρθότατ' ἂν αἰτιασαίμεθ' ἂν τῶν ἐν τῇ ξυμμίξει· καὶ διὰ τοῦτο ὡς ἀγαθὸν ὄν, τοιαύτην αὐτὴν γεγονέναι, quodsi bonum non unâ possumus specie venando assequi, una cum tribus, pulcritudine, aequabilitate et veritate comprehendentes, dicamus, id tanquam unum recte nos habituros esse eorum, quae in commixtione sunt, caussam, commixtionemque per hoc, quippe bonum, talem fieri ipsum 1).

Talis in Philebo, si quid video, disputationis ratio ac progressio est. Falleremur autem maximopere, si hanc nos disputationis conclusionem fundamentum esse habendam philosophiae Platonicae moralis existimaremus. Quaesivit dialecticâ subtilitate philosophus, quid judicandum de summo bono sive de vita optima videretur. Cujusmodi disquisitionum, siquidem recte hoc nomine *disquisitiones* dicantur, incertus fere eventus est. Itaque in Sophista, ut vidimus, Socrates, cum sophistam investigaret, philosophum deprehendit 2). Nam duci se patiebatur auctor, quocunque ipsum, ut ait 3), mentis disputationisque impetus, tanquam ventus, ferret. Quamquam constanter, pro talis ingenii impetu, eo tendebat, quod vel verum vel cum vero conjunctum erat. Itaque hîc, in summi boni disquisitione, evenit, ut in hujusmodi conclusionem, quae non abhorret quidem ab ejus principiis, nec tamen continet haecce, sub finem dialogi incideret. Exercitationem omnino dialecticam Philebus continet, non ethicae Platonicae sive fundamenta sive doctrinam. Et sic quidem Plato, quod ipsius philosophiae proprium est, in scribendis tam metaphysicis hisce, quam dialecticis dialogis, procedere, appropinquare, accedere ad verum studuit, assecutum se illud esse in subtilibus hujusmodi disputationibus nusquam professus est. Iterum de boni idea, sed aliâ longeque diversâ ratione quaesivit, quum educere ad veri scientiam futuros rei publicae rectores institueret 4). Tum vero negavit adeo, ipsum se bonum traditurum esse, contentos nos esse jubens, si *τόκον*, si prolem boni consequeremur. In talibus sive disceptationibus sive exercitationibus dialecticis diversas identidem philosophus quaerendi vias ingressus est, quo propius aliquando ad idearum naturam, ad ipsa *τὰ ὄντα* perveniret. Quod nobis debet sufficere; nam exigere ab homine, quod humani ingenii facultatem superet, non decet: laudandus in his ille maxime est, qui a veritate abest proxime.

Rem autem nobis declarare quodammodo recentiorum philosophorum

---

1) *Phileb.* 64. D. — 65. A. Cf. *de Rep.* VI. 486. D.
2) *Initia* p. 260, 267.
3) *De Rep.* III. 394. D.
4) *Eod.* VI. 507. A.

de *pulcro* disquisitiones possunt. Quorum alii id contineri partium harmoniâ, alii varietate summâ in summa unitate, alii aliis rebus existimarunt. Nos omnium et studium probamus et conclusiones etiam, quatenus ad sua quaeque pulcri genera referuntur. Quamquam processisse ad *ipsum pulcrum* nobis, non vero, quod fieri non potest, pervenisse videntur. Quo magis autem nos ex variis his omnibus omnis aevi cum de pulcro, tum de bono disquisitionibus profecerimus, eo facilius poterimus longiusque in hoc veritatis itinere progredi. Sed Platonis, quae dicitur, *a priori* philosophandi ratio quam sit ab Aristotelis ratione diversa, hinc intelligitur; ut autem qualis sit et quot quantosque proferat ad veri scientiam fructus, perspiciamus, dictum nobis Socratis in Platonis Parmenide toto animo attendendum recolendumque est. *Ἀλλ', ὦ Παρμενίδη, μάλιστα ἔμοιγε καταφαίνεται ὧδε ἔχειν· τὰ μὲν εἴδη ταῦτα, ὥσπερ παραδείγματα, ἑστάναι τῇ φύσει, τὰ δὲ ἄλλα τούτοις ἐοικέναι καὶ εἶναι ὁμοιώματα· καὶ ἡ μέθεξις αὕτη τοῖς ἄλλοις γίγνεσθαι τῶν εἰδῶν οὐκ ἄλλη τὶς ἢ εἰκασθῆναι αὐτοῖς· sed mihi, o Parmenides, sic maxime se res habere videtur: ideas has, tanquam exempla perfecta, naturâ exstare; caetera vero similia iis eorumque simulacra esse neque aliter haec illorum participia esse, nisi quod similia illis sunt* 1). Itaque opera danda homini, de Platonis sententia, est, ut *παραδείγματα* illa, ut ideas, ipsa *τὰ ὄντα* cum alia quavis, tum dialectica praecipue ratione assequatur: nam quo ea rectius pleniusque perceperit, eo rectius perspicere ac dijudicare ipsorum *ὁμοιώματα* poterit; sunt autem haec res pulcrae, bonae, justae, similes omnes; de quibus, quippe non cuivis patentibus homini, diversa omni aetate hominum judicia fuerunt. Id vero ipsum quid aliud est, quam quod in Cratylo, si linguarum philosophiam tractare recte velimus, praecepit nobis Plato, ut non ex imaginibus ipsas et veritatem, sed ex veritate et ipsam et ejus imagines discere conaremur?

Ergo non descendere ab *ὑποθέσεσι*, quae metaphysicorum consuetudo est, sed ad *τὰ ἀνυπόθετα* escendere, ut, illa intuentes cognoscamus recte ac judicemus omnia, haec demum apud Platonem *a priori* philosophandi ratio est, cujus adjumentum esse efficacissimum dialecticam, quam prodidit, contendit. Et sic quidem tandem eo pervenisse videmur, ut, quid de *veri*, de *τοῦ ὄντος*, *αὐτοῦ τοῦ ὄντος scientia* existimandum sit, judicare nobis liceat. Quamobrem, age, ex hoc Platônicae tam philosophiae, quam dialecticae fastigio dispiciamus in partes omnes, num forte, quae haec scientia sit, conspiciamus.

1) *Parm.* 132. D

Quid tandem existimandum nobis de veri, αὐτοῦ τοῦ ὄντος, scientia videtur?

Perlustrantibus autem hinc nobis animo omnem philosophiae Platonicae, quem peragravimus, campum, quid non sit scientia, apparere videtur, quid vero sit, vix apparet. Nec *αἴσθησιν* eam esse, quod Protagorae, nec *δόξαν*, quod universe fere et sophistis et oratoribus et vero fluitantibus illis philosophis placuit, Theaeteto legendo vidimus; sed, lecto dialogo, quae ipsius fuerit hac de re auctoris sententia, frustra quaesivimus. Adverterunt mentem nostram prae omnibus maxime *τὰ ὄντα*, quae *ideas* itemque *παραδείγματα* vocat. Horum scientia apud eum ipsius est veritatis scientia: nosque legendis deinceps cum dialecticis ejusdem, tum praecipue metaphysicis dialogis, una cum auctore dialectico itinere persecuti ea sumus; assecutos autem nos esse, dicere non ausim. Nam recedere nobis eo magis visa sunt, quo propius accederemus: ut confiteremur tandem, quin etiam ipsius auctoritate ducis nostri affirmaremus, appropinquare ad ea et accedere homini licere, pervenire non licere. Quid igitur? Effugisse nos veritatem dicamus, ac penes unum Deum esse? Id vero non facile dixerim. Nam si *verum* hoc esset et nos id possemus *vere* contendere, inde pateret dilucide, non esse extra potestatem nostram *veritatem*. Sed de vero non quaerimus: quod profecto si assequi mortales non possent, supra quam dici potest misera eorum conditio esset: *scientia* agitur, *scientia*, inquam, *veri: τοῦ ὄντος, αὐτοῦ τοῦ ὄντος scientia.* Hanc autem ut, qualis sit, sive assequamur sive certe suspicemur tandem quodammodo, opera nobis danda primum est, ut eam recte a veritate distinguamus.

Quid veritas apud Platonem est? Quidni scientiam nobis veritatis tradidit?

Quid veritas sit, quaestio omni aevo a philosophis longe difficillima habita est. Eâdem autem apud Platonem vix quidquam esse simplicius atque ad declarandum facilius videtur. *Verum* vocat *τὸ ὄν*, *quod est*, atque illi opponit, *quod videtur*. Nos ita opponimus in familiari sermone *wezen en schijn*, et, si quid asseverare tanquam verissimum, si quid etiam atque etiam alicui affirmare studemus, dicere fere, *het is wezenlijk zoo*, solemus. Disciplinae optimae, sed etiam veritatis, qualis sit, declarandae causså, fabulam illam Plato de spelunca narravit; explicuit autem eâdem imagine discrimen potissimum, quo id, quod est, ab eo, quod videtur, distingueretur: idem apud eum inter mundum *ὁρατὸν* et *νοητὸν* discrimen obtinet. Porro, quae assequimur ipsâ mente, *vera* apud eundem sunt, v. c. quaecunque referuntur ad quantitatem, qualitatem, magnitudinem, similitudinem. Ita nobis veris-

simum est, bis duo esse quatuor, partem toto minorem esse, similia omnia. Inde veritas in rebus arithmeticis et geometricis, quae nulli dubitationi obnoxia est: indeque accidit, ut, quae mechanici et astronomi antiquó, in primis recentiore aevo repererunt, adeo sint vera, ut ex iis hodie rerum coelestium constet ratio, et praedicant tuto astronomi, quae ad defectus solis atque lunae et cometarum reditum pertinent, omnia. Id igitur veritas apud Platonem est. Nec refertur haec solum ad has quantitatis, qualitatis similesque notiones: de rebus bonis et malis, de pulcris et turpibus, de justis et injustis similiter nos vere pronunciare statuit: modo ipsum bonum, ipsum justum pulerumque, quod uni menti patet, intueri atque ad illud exigere res hasce omnes didicerimus.

Sed aliud est vere de rebus judicare ac pronunciare, aliud, *veritatis* consecutum *scientiam* esse. Confuderunt haec fere philosophi: et inde tanta illa quaestionis, *quid est veritas?* difficultas. Ad *scientiam* sive veri sive τοῦ ὄντος quot et quanta requirantur, enumerari vix possit: homini certe ad eam plene consequendam facultas deest. Requiritur eo, ut has notiones omnes, quas diximus, tam puras perfectasque animo nostro repraesentemus, ut in rebus judicandis falli non possimus. Huc multi contenderunt omni aetate: quod ex industria diligentiaque patet, qua *criterium veri*, itemque pulcri et boni, sed praecipue *veri* assequi sunt conati 1), recteque monuerunt, si hoc reperire mortalibus liceret, haud facile iis obtingere exoptatius utiliusque negotium posse: recte adeo fecerunt iidem, qui exquirerent illud indefesso studio: modo hoc animadvertissent, appropinquare illuc homini licere, pervenire non licere. Nam, quod diximus, tam perfectae eo requiruntur veri, ipsius τοῦ ὄντος notiones, ut falli non possimus: id autem uni Deo est proprium. Sed ad scientiam veri, ut caetera mittam, caussarum praesertim scientia postulatur. Leve id negotium est in rebus physicis et mechanicis. Mechanicus machinae nobis cujuscunque rationem exponit, caussis motuum ostendendis apte 2); physicus similiter fulminis et tonitru expositis caussis, res has terribiles, quibus obstupuerunt semper mortales, explicat; at philosophus, cui res item morales ac divinae explorandae sunt, si harum item omnium caussas ac remotissimas adeo, exquirere nobisque tradere velit, Deus sit, fere dixerim, necesse est, id ut perficiat.

Talis igitur cum sit *veritatis*, qua late patet, *scientia*, Plato nos eam explorare et persequi jussit, ipse definire nobisque tradere, ut non potuit, ita noluit. Sapientia scilicet ipsa est, quae Deo: non studium sapientiae, non philosophia, quae homini convenit. Hic autem atten-

---

1) Vid. Diog. Laërt. VII. 46. Sext. Emp. *adv. Logicos* I. 152, 227. Cic. *Acad.* II. 6.

dendum nobis placitum Platonis est, quo haec maxime commendatur germani philosophi verecundia, *infinitam esse hominis ad veritatem progressionem.*

Cur scientiae humanae terminos non posuit Plato?

Nam metaphysici philosophi, quum a divinae naturae definitione argumentationes ducerent, indeque descenderent ad naturam humanam, illam infinitam continuo, hanc arctissimis finibus circumscriptam cohibitamque dicebant. Plato vero, ad Socratis sui exemplum, ab homine orsus, explorato in nobis infinitae perfectionis studio et ardore, huic studio consentaneam naturam nostram existimabat, pariterque habebat infinitam 1). Quod autem scientiam attinet nostram, in recentioribus philosophis multi, ut vidimus 2), substantias, monades, essentias, *νοούμενα* naturis rebusque inesse suspicati sunt, quae Deo paterent, hominibus vero, per sensus fere res cognoscentibus, non paterent. Sic sponte cognitioni scientiaeque humanae terminos ponebant. Sed Plato, quum, ut item vidimus, nil tale de naturis rebusque suspicaretur, sed referret ad ipsum animum *τὰ νοούμενα*, esse ea perhibens, quae mens per se ipsa oculo illo suo assequeretur, non habebat magnopere, cur terminaret scientiam nostram. Kantii insulam memoravimus in praecedentibus 3). Duas ille menti formas, tempus et spatium, itemque categorias tribuit. Res omnes, ajebat, quas per illas percipit mens, accurate cognoscere homini licet. Sed idem, si fines hos cognitionis humanae migrans, relictâ hac veluti insulâ nostrâ, alio velit procedere, ne in hoc metaphysicae vulgaris oceano naufragium faciat, verendum est. Quid de hac Kantii doctrina statuendum sit, alii judicabunt. Plato nondum datâ operâ quaesivisse de tempore et spatio videtur, quod fecit Aristoteles 4). Si quaesivisset, notiones has mentis esse reperisset fortasse, quas cernendo consequitur. Cum vero harum limitibus formarum non cohiberet cognitionem nostram, talem nobis insulam talibus definitam terminis non designavit 5). Caeterum sensus apud eum, fateor, impedimenta sunt cogni-

1) Passim id Plato, praecipue autem in praeclaro de animi natura sermone, contendit, *Phaed.* 83 et 84. Cf. *de Rep.* X. 611. *Initia* p. 48.

2) *Initia* p. 377.

3) *Eod.*

4) *Περὶ τόπου,* rerum in primis physicarum ratione habita, in *Auscultat. Phys.* IV. 1—5. *περὶ χρόνου eod.* 10.

5) Plenius nobis demum comparare cum Platonica philosophia Kantianam licebit, ubi, in philosophia justi, *veritatis* et *libertatis* apud Platonem *necessitudinem* exploraverimus.

tionis nostrae; veruntamen non talia hos esse impedimenta censet, qualia non superare possimus. Imo vero hoc in primis proposito imaginem nobis speluncae proposuit, ut, quemadmodum nos, mundo ὁρατῷ relicto, ipsa intuentes αὐτῷ τῷ νῷ aeterna veri exemplaria, ad veri scientiam accederemus, doceret. Iccirco non retinebatur magnopere philosophus, quo minus naturae humanae, quam infinitam habebat, congruam esse hominis in veri scientia progressionem existimaret. Quin etiam, consentaneum hoc prorsus Platonis philosophiae esse, ex ejus dialectica patet. Tota haec, ut vidimus, cernendo jungendoque, imo inveniendo progreditur. Cernendo res declarat, jungendo ad conclusiones et judicia pervenit; sed, quae conjunxit identidem, novam ea denuo habet explorandi cernendique materiem, unde novae item sive conductiones sive conjunctiones oriuntur, ut inveniendi nec modus nec finis appareat 1). In his autem Plato non praesentem tantum hanc eruditionem nostram respexit, sed, cum immortalem esse animum statueret, quod in hoc corpore, per hos sensus, tanquam nuncios, nobis cognoscere non liceret, id futurae vitae destinavit: ut quodammodo quadrare in ejus philosophiam videatur, quod de monumento cum inscriptionibus Hemsterhusiano monuimus 2). Eatenus nunc quidem nos, ut ille ait, de rerum universitate judicare possumus, quatenus nos ejus certiores sensus hi nostri faciunt; ut vero, relicto hoc corpore, animus per alios nuncios alias universitatis partes explorare coeperit, in aeternum procedere in rerum scientia poterit. *Quodammodo* haec dixi in philosophiam Platonis quadrare: nam de partibus mundi, etiamnunc nos sensuum defectu latentibus, ne verbum quidem apud veterem philosophum; sed, quod perpetuam hominis in veri scientia progressionem attinet, plane Hemsterhusius Platonem expressit. Hinc autem judicare nobis tandem juste de vera philosophi modestia licet.

De modestia philosophi, cum sensu facultatis suae immensae maximarumque rerum studio conjuncta.

Admirata omnis aetas in Socratica philosophia verecundiam modestiamque est. Nam cum et physici et metaphysici caussas exquirerent, e quibus declararent omnia, Socrates satis habebat, si semet ipse cognosceret. Fuerunt autem, qui suspicarentur inde, magis hanc philosophiam ad retinenda hominum studia, ne inutilia vel nimis ardua aggrederentur, quam ad excitanda alendaque, aptam fuisse et accommodatam.

1) Cff. quae de his supra monuimus p. 281.
2) *Initia* p. 378.

Verum pro abstrusis illis atque ab ipsa natura involutis alia quaerebat Socrates, quae non curaverant illi: qnaerebat de virtutibus et vitiis, quid bonum esset, quid malum, quid justum, quid injustum, quid pium, quid impium. Quibus quaestionibus alia item, longeque pulcerrima ac maxima studia in hominum animis excitabat, ut virtutis amore optimarumque rerum ardore incalescerent. Quam Socraticae philosophiae rationem et secutus Socraticorum princeps Plato est et perfecit. Quo patuit maxime, non humilem quandam fuisse, quam Socrates commendaverat, philosophi modestiam, ut retineremur a rebus expetendis majoribus. Nam cum Plato perfectioni nostrae morali ipsique scientiae nullos terminos poneret, progressionem homini ad summa omnia infinitam tribuebat. Quodsi scientia quaeritur, adjiciebat idem sublimibus hisce placitis, ut modo monuimus, dialecticam, qua, tanquam instrumento philosophiae, aptum redderet hominem, ut in semet ipso cognoscendo, in rerum universitate exploranda, in exploranda adeo divina natura in infinitum procederet 1). Tantum igitur abest, ut avertat nos a rerum exquirendarum studio philosophia Platonis, ut modestia apud eum germani philosophi cum sensu facultatis cujusdam immensae maximarumque rerum studio conjuncta sit. Modestiae scilicet fines migrare non eum censet, qui majora cognoscere ac difficiliora cupit, sed illum scilicet, qui, quod nescit, scire sibi videtur, vel prope se accessisse ad illa putat, a quibus etiamnunc ingenti intervallo abest. Quod animadvertisse non pigebit ad divinam quandam Platonis sententiam intelligendam recte.

De sententia Platonis, Protagorae placito opposita, Deum esse hominibus omnium rerum mensuram.

Infra hominis dignitatem Protagorae placitum est, *omnium rerum mensuram hominem esse.* Nam idem dici, ut apnd Platonem Socrates ait, de porco posset vel de cynocephalo vel si quid aliud abjectius absurdiusve eorum est, quae sentiunt 2). Quae autem ab Aristotele et metaphysicis celebrata sapientia est, superat illa rursus facultatem hominis, extollens quippe eum supra ipsam naturam divinam, ut hanc, tanquam exploratam satis, definiat, indeque, ut e caussa omnium principe, omnia explicet. Quam aliena ab utraque hac philosophandi ratione Platonica

1) Lubens hic appono praeclaram Hemsterhusii sententiam, ad explicandum Platonem unice efficacem. *Il est clair, que l'ame desire, par sa nature, une approximation continuelle. C'est l'hyperbole avec son asymptote. — Oeuv. phil.* Vol. I. p. 84.

2) *Theaet.* 116. C.

ratio fuerit, e sententia intelligitur philosophi, quam senex, quum libros *de Legibus* scribebat, pronunciavit, nos antem hic, ubi de verissima philosophi modestia agimus, memoramus lubenter. « Τίς οὖν δὴ, quaerit, πρᾶξις φίλη καὶ ἀκόλουθος θεῷ; *quaenam igitur actio Deo accepta atque consentanea est?* Reponit autem continuo: μία, καὶ ἕνα λόγον ἔχουσα ἀρχαῖον, ὅτι τῷ μὲν ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ὄντι μετρίῳ φίλον ἂν εἴη, τὰ δ' ἄμετρα οὔτ' ἀλλήλοις οὔτε τοῖς ἐμμέτροις· *una, unamque habens antiquitus proditam rationem, simile quodque simili, quippe congruo, acceptum amicumque esse; incongrua vero atque immodica nec sibimet invicem nec modicis congruisque convenire.* Quibus subjungit: ὁ δὴ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα, καὶ πολὺ μᾶλλον ἤ πού τις, ὥς φασιν, ἄνθρωπος· *Deus igitur nobis omnium rerum modus mensuraque esse debeat, multoque magis quam homo aliquis, ut ajunt.* » 1) Consentanea haec illis snnt, quae in superioribus de ideis divinaque natura diximus: quorum haec fere conclusio fuit: *Deum esse mortalibus ipsius veritatis i. e. omnium, quae sunt, ipsius pulcri, boni, justi, sancti, summum, quod imitentur, exemplar.* 2) Sed hac nobis, quam nunc excitavimus, sententia praecipit Plato, quis modus, quae veluti mensura sit, ad quam nostros in veritatis scientia omnique perfectione progressus et exigamus et quasi metiamur. Divina apud eum sunt pulcra, bona et quidquid hujusmodi est 3): quae Deus intuitus est, quum mundum hunc informaret, et in gubernando illo intuetur imitaturque constanter. Quo igitur ad illa propius accesserimus, eo majores fecerimus in omni virtute ac veri scientia progressus, eoque proxime ab ipsius divinae naturae perfecta conditione abfuturi sumus: et sic quidem non homo aliquis, ut ferunt, sed ipse adeo Deus nobis rerum omnium, quaecunque bonae sunt aut pulcrae aut justae, quippe *ipsius veritatis exemplar*, mensura est. Quae nobis sententia et modestiam praecipit, reputantibus quippe, quam longo, quam immenso intervallo a divina perfectione distemus, et vero stimulos adhibet simul, ut ad perfectionem illam nunquam cessemus contendere. Attigimus sic denuo placitorum Platonicorum longe celebratissimum illud, quod hominis τῷ θεῷ ὁμοίωσει continetur ac nobis suo loco aliquando datâ operâ exponendum erit. 4) Hic autem animadvertere, quam prope ad sanctae doctrinae nostrae effata Platonis accedat philosophia, ne negligamus. Idem in illis rei desideratissimae studium et ardor: τὰ μὲν ὀπίσω

1) *De Legg.* IV. 716. C.

2) *Initia* p. 374.

3) *Phaedr.* 246. D.

4) Platonicis disquisitionibus de divina natura docta nuper et perquam elaborata accessit *Tidemanni* disputatio *de Deo Platonis.* Amstel. 1830.

ἐπιλανθανόμενος, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, κατὰ σκοπὸν διώκω ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ θεοῦ· 1) eadem verecundiae modestiaeque significatio: οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, ἢ ἤδη τετελείωμαι· διώκω δὲ, εἰ καὶ καταλάβω· 2) iidem ad recte atque in aeternum progrediendum stimuli: ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, τέλειός ἐστιν. 3) Sed et hac de re suus nobis in proximis dicendi erit locus.

Philosophia apud Platonem, sive ad pulcrum, sive universe ad verum refertur, hominis reapse est ad veritatem conversio.

Duplex argumentum, arctissime utrumque conjunctum, in postremis his nostris de veri philosophia disquisitionibus ad finem disserendo perduximus: alterum *de mundo νοητῷ, de veri, τοῦ ὄντος, scientia* alterum. Ex omni hac disceptatione id sponte consequimur, *παιδείαν* potissimum hominis, ejusdemque *ad veritatem conversionem* philosophiam apud Platonem esse. Nam quidquid de escensione animi e mundo ὁρατῷ in νοητὸν, de gradibus, quibus eo pervenitur, de ideis praecipue, quas qui non intuetur nec cogitare recte nec perficere quidquam potest, item de animi ad veritatem περιαγωγῇ protulimus, non pertinent haec ad inanes de rerum origine quaestiones, sed hominem ejusque verissimum cultum et perfectionem spectant. Quae autem subjuncta his est de veri, τοῦ ὄντος, scientia disputatio, quo alio pertinuit, quam ut Platonis sive metaphysicam sive veri doctrinam exquireremus, qua unice liceret homini ad veri scientiam summamque perfectionem accedere? Nos inchoavimus haecce et philosophis relinquimus aetatis nostrae, ut, misso omni partium, sectarum ac systematum studio, unam attendentes veritatem, hinc, si libuerit, ad recte philosophandum proficiant. Veruntamen quod in his, duce Platone, de *conversione, circumversione, πε-*

---

1) *Ep. ad Philipp.* III. 14.
2) *Eod.* III. 12.
3) *Matth.* V. 48.

ϱιαγωγῇ hominis ad veritatem docuimus, 1) tam simplex haec philosophi hominique salutaris admonitio est, tam eadem per omnem ejus philosophiam, sive ad pulcrum, sive universe ad verum refertur, dominatur plane, tamque efficax simul ad vere excolendum erudiendumque hominem est, ut non committendum videatur nobis, quin hîc denuo ad eam attentos faciamus lectores.

Nam omni aetate philosophi vel ita conquesti de hominis imbecillitate sunt, vel tam arduam esse rem philosophiam perhibuerunt, ut philosophia, his auctoribus, plures absterreret difficultate suâ, quam praestantiâ atque utilitate alliceret. Neutrum fecit Plato. Monuit simpliciter, illuc fere conversam hominum mentem esse, quo non oporteret: sic autem accidisse, ut sibimetipsi homo displiceret necessario, nec tantos faceret, quantos posset ac deberet, in rerum disquisitione progressus. Itaque in pulcri tractanda philosophia, ad *ipsum pulcrum* continuo convertit mentem nostram, artibusque nos jussit elegantioribus, praecipue musicae operam navare, ut his excolendis cum pulcri amorem, insitum nobis naturâ, et excitaremus et aleremus, tum ad ipsum pulcri *παράδειγμα* res omnes pulcras sive sensibus patentes, sive in vita agenda, in officiis ac virtutibus obvias exigeremus ac judicaremus recte. Nec alia ratio philosophiae Platonicae est, ubi ad verum refertur universe. Ut illic ad pulcrum continuo, ita hîc, in naturali ipsius progressione, universe ad verum, sive illud pulcrum, sive bonum, sive justum est, adque veri, *τοῦ ὄντος* scientiam tendit; ut disciplinis hîc similiter atque illic artibus, maxime dialecticâ et aleremus amorem veri nostrum et proprium nobis *ὄργανον τῆς ψυχῆς, ᾧ μόνῳ ἀλήθεια ὁρᾶται*, (una id nos voce exprimimus, *onzen waarheidszin*) purgaremus, atque ad illud quod non *videtur* pulcrum, bonum, justum, sed *est*, ad *τὰ ὄντα*, ad ideas, ad aeterna *ἐν τῇ φύσει* veri *παραδείγματα* erigeremns mentem nostram: quo pertinuit cum omnis ejus accuratissime instituta de disciplinis ac dialectica, tum haec, quam modo tradidimus, de mundo *νοητῷ* ac veri scientia disputatio. Hunc igitur in modum Plato nec de infirmitate facultatum nostrarum nec de philosophiae difficultate questus, simpliciter alio, quam solet, convertendum animum nostrum existimavit: imo vero, quemadmodum eo, quo oportet, convertendus sit, ipsius nobis philosophia illustre documentum est. Miratus equidem saepenumero sum, quid caussae sit, ut non solum parum haec curarint philosophi, sed vix quisquam adeo interpretum Platonicorum ad hanc rationem adhuc universam exegerit philosophi doctrinam. Quod non profecto socordiae hominum tribuendum putem: nam, neglecta hac simplici ratione, ipsi sibi difficultates

---

1) Praecipue p. 376.

molestiasque innumeras atque gravissimas objecerunt, quas superare qualicunque modo, nisi summâ animi intensione ac disserendi subtilitate non potuerunt. Rem equidem malim aliunde repetere. Primum enim recte a sapientibus monitum est, id homini fere ad assequendum difficillimum esse, quod est simplicissimum: deinde, quod in vitae usu docemur, aegre sibimetipsis imputant mortales, quod in rebus inquirendis perficiendisque arduum existimant. Maluerunt igitur philosophi fere rerum explicandarum difficultatem vel ipsis rebus vel naturae humanae imbecillitati, quam suo ipsi vitio quaerendique perversitati adscribere. Cujus ipsi rationis tenaces, vix illud, quod et monuerat Plato et philosophiae ipse suae normâ et habitu in omnium veluti conspectu posuerat, attenderunt. Quo magis in id profecto nobis toto pectore incumbendum est, ut assidue, *nocturnâ*, ut ille ait, *diurnâque manu Socratica scripta versantes*, imbuamur sensim paulatimque Socraticae illius simplicitatis sensu, atque ad hujus rationem divinum praeceptum, a Socraticis unice celebratum, γνῶθι σεαυτὸν, in studia etiam nostra accommodemus.

Quis finis sit philosophiae Platonicae, quem in his disquisitionibus perpetuo quaesivimus, nondum declaravimus satis. Nec tamen exiguum illud est, quod reperimus, tendere eam in omni disceptatione ad τοῦ ὄντος scientiam potissimum, atque esse reapse hominis, si effectum spectamus, ad veritatem conversionem. Quodsi se hoc nomine nobis non mediocriter commendaverit, non minus sane illa praestantiae utilitatisque habet, ubi sic nos mente ad pulcrum verumque conversos in mediam educit hominum societatem, ut intuentes animo verissima illa veri exempla, ad perfectam eorum conditionem res nostras omnes vitamque hominum conformemus recte. Quae iterum progressio Platonicae philosophiae est, quum a pulcro et vero ad *j u s t i* disquisitionem progreditur. Accedendum jam nobis illuc est, eritque *vita optima* sive *beata* nobis, cujus saepenumero in hisce mentionem injecimus, princeps proximarum disquisitionum argumentum. Sed vita illa, qualis sit, ex hacce jam, in quam escendimus, philosophiae Platonicae veluti σκοπιᾷ, augurari nobis licet. Purae intaminataeque veritatis contemplatione continuetur, quam rebus accommodare humanis studeamus. Vaticinata id nobis Diotime est, quum pulcri philosophiam absolveramus 1); nunc, postquam philosophiam veri item ad finem perduximus, plenius etiam mulieris dicta percipiemus. «Ἐνταῦθα τοῦ βίου, ait, ὦ φίλε Σώκρατες, εἴπερ που ἄλλοθι, βιωτὸν ἀνθρώπῳ, θεωμένῳ αὐτὸ τὸ καλὸν· *hic, hic, inquam, amice Socrates, si uspiam alibi, vivendum homini est, ipsum spectanti pulcrum. Quod siquando conspexeris, non ad auri vel vestimentorum vel pulcrorum*

1) *Initia* p. 109.

adolescentum speciem exiges, quorum nunc pulcritudine obstupescis fere. Quid, inquit, *existimamus, si cui eveniret, ut ipsum pulcrum intueretur, integrum, purum, simplex, non humanis carnibus, coloribus, non aliis nugis mortalibus contaminatum; sed ipsum divinum pulcrum integrum adspiceret? Putasne, abjectam esse hominis vitam, qui illuc suspicit, et, quo oportet oculo, illud contemplatur ac miscetur cum eo? Nonne reputas, hic unice ei eventurum esse, ut pulcrum spectans eo quo potest perspici, pariat non simulacra virtutis, quippe non simulacrum, sed vera, quippe verum amplexus? Qui autem virtutem peperit veram partamque aluit, huic sane continget, ut Deo sit carus, et, si quis alius hominum, immortalis.*" 1)

1) *Symp.* 210 D. — 212. A.

PHILOSOPHIA JUSTI

SIVE

DE VITA BEATA.

Οὐκ ἔστι θεῷ ὁμοιότερον οὐδὲν ἢ ὃς ἂν ἡμῶν αὖ γένηται ὅτι δικαιότατος.

A quo tempore haec scribere *philosophiae Platonicae initia* coepi, in dies mihi magis instaurandum nunc maxime philosophiae illius studium esse patuit. Nam cogitanti mihi saepenumero de nova illa philosophandi ratione, quae superiore saeculo per totam Europam invaluit, vim quidem illa habere etiamnunc et salutarem adeo magnam partem, visa est. Ad usum enim vitae, quod praecipiebant tanto studio parentes nostri, inventa nos item omnia accommodamus, nec quidquam, ut illi, spectamus magis, quam ut humani generis saluti prospiciamus. Sed primum, capimus fructus philosophiae, quae pueris nobis effloruit; ipsa philosophia temporibus nostris jacet. Tum vero, ut salutaris partim fuit nova illa superioris saeculi philosophandi ratio, ita, prouti in praecedentis disputationis exordio monuimus, partim etiam et tunc nocuit Europae gentibus et nobis etiamnunc nocet vehementer. Quod profecto haud facile in dubium vocaverit, quicunque praesentem philosophiae conditionem diligenter animadverterit. Adsunt quidem ubivis germani philosophi, viri liberaliter instituti, literis artibusque exculti ac perpoliti, nec desunt, qui illis faveant, fierique eorum sapientiâ meliores sapientioresque nitantur. Sed rari sunt illi in singulis fere gentibus, et vox eorum quominus ab optimis quibusque et honestissimis exaudiatur, clamor strepitusque aliorum efficit, qui se solos sapere jactant, idque profano vulgo persuadent

facile, quippe in summa orationis obscuritate, quam nemo intelligit, reconditam quandam, si Dîs placet, sapientiam proferentes. Itaque neglecta hodie contemtaque philosophia est: ac maluut erectioris indolis juvenes vel literis vel doctrinis vel naturae perscrutationi operam navare, quam istis immisceri philosophis, quorum numerus in dies hominum genere augetur, quo nullum naturâ magis a sincero philosophiae studio abhorret, *fanaticorum* et *mysticorum*. Sed praesens philosophiae conditio majoribus etiam cladibus prostrata jacet. Nam patrum memoriâ, ut diximus, una cum excellentissimis philosophis, sophistae ubivis, praesertim in Anglia et Francia, prodierunt, qui moralis doctrinae, quam tueri profitebantur, reapse labefactarent fundamenta et sanctam doctrinam nostram, cujus assequi sublimitatem non poterant, ludibrio haberent. Quorum doctrinae tum quidem paucorum mentem adverterunt, sed serpere deinceps latius per omnes gentes ac nulla non hominum genera coeperunt. Id, si quid aliud, labem adspersit philosophiae, ut sint hodieque, qui eam non solum sive propter jactantiam spernant, sive obscuritatis caussâ fugiant, sed impietatis adeo accusent, atque opinionum, quae humano generi pestiferae sint, matrem habeant. Quo magis acriusque fanatici homines caussam suscipere religionis, sed suâ, id est, ineptâ prorsusque perversâ ratione instituunt.

Quaerunt igitur multi temporibus hisce nostris, quemadmodum restitui in dignitatem suam pristinam auctoritatemque philosophia debeat. Qua de re aliae sunt aliorum maximeque diversae sententiae. Nonnulli resuscitandam unius cujusdam sive veteris sive recentioris philosophi doctrinam putant, quam diligenter vitiis purgemus inventisque posteritatis, et nostris mehercule item, augeamus. Alii longeque plurimi ex omnibus, quae exstiterunt unquam, philosophorum sectis optima quaeque delibare malunt atque in doctrinae formulam redigere. Sunt item, qui instauratorem philosophiae, nescio quem, sed divino virum ingenio, qui nova omnia genus hominum doceat, exspectent. Equidem, si is apparuerit in genere humano, nihil profecto quod desiderem habebo, modo nova illa, quae attulerit, vera sint simul et mortalibus salutaria. Sed, dum frustra exspectamus talem scilicet philosophum, nolim vel jurare in unius philosophi verba, vel, eligendo e singulis, universa, sicuti fit, commiscere. Commiserunt id omni aevo eclectici, qui fuerunt fere iidem appellatique sunt *syncretistici:* eoque nihil unquam ad confundendam obscurandamque philosophiam valuit magis. Persequi malim et perficere, quidquid patres nostri ad veram provehendam philosophiae utilitatem inchoarunt, illud vero agere potissimum, quod nobis commendare etiam atque etiam solebant, ut nullis non studiis nostris *criticae*, tanquam veri obrussae, adhibeamus diligentiam. Sic demum, quo magis prodesse philosophando generi humano possimus, proficere ex temporum

memoria et esse vero nomine *eclectici* poterimus. Id agere perseverant hodieque rari illi, quos significavi, sed germani philosophi, quos in primis audiendos putem, aguntque maximam partem eruditi, qui, quamvis haud appellentur philosophi, philosophâ ratione literas et suam quique doctrinam tractant excoluntque. Quodsi viam normamque desideramus, qua, in philosophiae studio, ad nova inveuienda, quae expetere vehementer homines solent, procedamus recte, id suadeam philosophis, quod commendare me in superioribus memini, ut priusquam manum operi admoveant, erudiendos sese ipsis philosophiae parentibus, Socrati et Platoni, tradant: quo facilius certiusque, in hac scilicet vera philosophiae schola eruditi, et nova inveniant, quae verissima sint, et apte haec temporibus nostris accommodent. Sic scilicet aggressi opus iidem illi sunt, qui optime praecedente saeculo de philosophia fuerunt meriti.

Quae cum animo volverem mihique in dies magis, scribendo hoc opere, probarem ac persuaderem, sic existimavi, instaurandam his maxime temporibus esse antiquam Graecorum, praesertim Platonicam philosophiam. Nam Platonicam cum philosophiam dicimus, non unius significamus viri sive placita sive doctrinam; ipsorum dicimus Graecorum philosophiam, a poëtis ac philosophis antiquitus apud illos proditam, a Socrate autem et Platone ad ipsum hominem cognoscendum interius perficiendumque adhibitam. Non enim ex eorum numero Plato erat, qui sibi solis se debere omnia, ac solos iccirco se sapere putarent. Imbutus ille informatusque Socratica institutione, susceperat simul animo quidquid Ionici, Eleatici, Pythagorei philosophi, quidquid adeo poëtae epici, lyrici, tragici, scriptoresque in omni literarum genere cum sublime tum bonae frugis in lucem emiserant. Quorum omnium, praecipue vero Socratis sui, dictis monitisque veluti pastus et corroboratus, eam tandem scribendo philosophiam prodidit, quae ipsorum adeo Graecorum sive sapientiam, sive, ut dicere ipsi malebant, sapientiae studium referret. Nec vero *doctrina* fuit quaedam philosophia Platonis, qua gravissimae explicarentur philosophiae quaestiones: erat illa, ut nobis modo patuit, *institutio hominis*, *hominis* erat, ut sapere recte disceret atque has explicare quaestiones haud frustra niteretur, *ad veritatem conversio*. Hanc igitur philosophiam, quae ita sponte, ipsâ naturae vi et ubertate et unice profecto ad excolendum penitusque erudiendum genus hominum, in Graecia effloruit, Platonis autem ingenio, divino illo, exculta perfectaque est, hanc, inquam, quidni scholam dicamus philosophorum optimam, instaurandamque hac nostra aetate esse? Faciendum id autem maxime in juvenum gratiam censemus. Veterani philosophi, quotquot quidem alieni fere fuerunt a studiis hisce nec a tenera inde aetate hanc philosophandi rationem degustarunt, aegre se trahi ad hos fontes sapientiae patiuntur; juvenes vero, quibus naturâ inest philosophia quaedam, ut semel, hac

ingenii animique integritate, ex his naturae fontibus hauserunt, incredibile dictu est, ut vigorem inde trahant continuo, aptique deinceps fiant sive ad philosophandum sive ad nullum non artium doctrinarumque genus et colendum et provehendum. Quod expertus equidem per omne hoc tempus sum, quo philosophiam illam antiquam, maxime Socraticam et Platonicam, generosis adolescentibus tradidi. Est enim non vulgaris institutio quaedam philosophia illa Platonis, sed, ut ipsa philosophia appellari apud antiquos solebat, ita haec, uti vidimus, artium omnium majorum et doctrinarum et parens est et magistra. Imo vero propterea, quod tantâ illa tamque singulari ubertate atque amplitudine est, una dici verissime *παιδεία* potest.

Sed renovare veterem illam philosophandi rationem hoc maxime proposito decet, ut *justi philosophiam* tractare recte discamus. Refertur ea, ut omne sapientiae studium, ad veritatem exquirendam, sed proprie ad veram et virtutem colendam et vitae felicitatem obtinendam pertinet: exstiterunt autem tam recentiore, quam antiquo aevo, in sophistis, quos diximus, qui ad hunc nobis praeclarum finem perversam praeirent viam. Fuerunt, qui ad commodum unice hominis ac civitatis, ad id, quod utrique conducere maxime videretur, omnem referrent moralem disciplinam: nec defuerunt adeo, qui physicam hominis naturam explorarent diligenter, moralem negligerent, quin etiam esse negarent. 1) Quorum doctrinae eo valuerunt necessario, ut *nervos virtutis*, quod de Theophrasto dixit Cicero, *inciderent*, 2) descenderetque in his cavillationibus homo ad vilem abjectamque conditionem, ut solis satisfacere corporis sensuumque, honestioribus quidem ac liberalioribus, veruntamen corporis unice sensuumque voluptatibus videretur, ac sibimet ipsi et primum et praecipue prospiceret. His auditis, quo esse animo juvenem putabimus, qui rectâ institutione meliora edoctus ac naturae ipse suae instinctu virtutem ac justitiam, non commodi lucrive spe, sed ipsarum unice caussâ prosecutus amplexusque, nunc his argutiis sollicitatur ac movetur? At non movebitur ille, verissimam contra, qua adhuc est progressus, ad justitiam felicitatemque viam persequetur constanter, siquidem philoso-

---

1) In illo genere prae caeteris insignes sunt Helvetii libri *de l'Esprit* et *de l'Homme;* in hoc Cabanis dissertationes, *Discours sur l'homme physique et moral.* Praeclare autem Victor Cusinus, doctissimus unus in paucis et elegantissimus Platonis interpres. «*Le nom de Platon rappelle à l'esprit cette philosophie, qui voit dans l'homme autre chose que son enveloppe, qui lui reconnait une autre activité que l'irritabilité des organes, une autre source d'idées que l'impression des sens, une autre règle que l'intérêt personnel, une autre destinée que les jeux du sort.*» Prosp. de la trad.

2) Cic. *Acad.* I. 10.

phiam justi, ut tradita a Socrate ac Platone est, mente animoque totam perceperit. Non illi hominem, uti anatomi ac physiologi solent, tanquam animal quoddam perfectius, explorarunt, unam attendentes physicam ejus naturam; a semetipsis suisque studiis naturalibus boni, justi, sancti, quin etiam immortalitatis ac perpetuae progressionis, quae in caeteris animantibus nulla sunt, orsi, ex ipsa hominis indole justitiae beataeque vitae principia duxerunt. Et Plato quidem, quae nostris temporibus nova videri indagandi ratio possit, hominem in civitate, civitatem in homine consideravit. Quaerit ille justitiam continuo, ubi lateat in animo hominis, ut, quae sit et qualis et quam vim in rebus nostris tam publicis, quam privatis habeat, exploret: aperit autem nobis perfectam rempublicam, ut ipsi eam in hac optimorum hominum societate investigemus, quippe quae hîc facilius, quam in uno homine deprehendi possit. Complectimur ita disquisitionibus nostris una cum hominis natura naturam totamque conditionem civitatis: civitas nobis spectaculum fit, in quo hominem tam optimum, quam pessimum, tam beatissimum, quam miserrimum spectemus, ut judicare nobis aliquando de quaestione liceat, omnium facile quaestionum ad vitam recte instituendam gravissima, num, sine emolumenti ullius commodive spe, ad vitam beatam justitia sufficiat. Hoc enim consilio, non fingendi studio, ut vulgo opinantur, perfectam illam rempublicam finxit Plato. Idem vero hac disquirendi philosophandique ratione doctrinam morum tantâ exposuit cum evidentiâ tum amplitudine, quantâ haec in recentiorum philosophorum scriptis vix ullis unquam explicata est. Nam ut civitatem nobis spectandam praebuit, in qua virtutes hominis omnes, sapientiam, fortitudinem, temperantiam, praecipue autem justitiam exploraremus, ita ad hominem deinceps, ad nosmet ipsos mentem nostram convertit, ut in homine, in nobis ipsis civitatem omnesque civitatis cum partes tum virtutes attenderemus ac deprehenderemus. Arctissima igitur apud Platonem est *politicae* doctrinae ac *moralis* necessitudo; altera autem alteri mirifice prodest. Nam *politica* ne civitatem tanquam machinam quandam vel construere vel instruere partibus adaptandis conetur, *hominis* prohibetur in ea consideratione; *moralis* autem doctrina civitatis in homine considerans cum partes et virtutes, tum conditiones varias, perfectam maxime et pessimam, haec igitur magna et illustria in homine attendens atque explorans, admirabili quadam et perspicuitate et probabilitate de ipsius hominis perfecta conditione beatissimaque vita judicat.

Haec autem cum ita sint, vident lectores, esse denuo hanc nostram progressionem, cum ad *philosophiam justi* sumus perrecturi, in sapientiae studio gravissimam quandam. Nam *philosophia pulcri* ad recte erudiendum hominem valet, ut per totam deinceps vitam pulcrum bonumque prosequatur; sed proprie ad puerorum pertinet institutionem,

quo magis a tenera nos aetate cum caeteris tractandis artibus, tum musica maxime et poësi, Uraniae Musae amore incensi *καλοὶ κἀγαθοὶ* fiamus. Majus illustriusque munus *philosophia veri* habet. Excultum enim in hunc modum puerili aetate juvenem suscipit haec deinceps, ut, prouti artibus adhuc ad pulcrum, ita nunc porro gravioribus disciplinis ad verum verique scientiam perducatur. Sed longe gravissimum maximumque illud est, quod *justi* nos *philosophia* jubet peragere. Erunt enim nobis illi civitatis custodes, quos hac spe artibus disciplinisque erudivimus, ut ipsi aliquando civitati, pro rei dignitate atque ad ipsius salutem maximam, praeessent, erunt hi nobis reipublicae gubernaculo adhibendi, ut, quemadmodum et legibus condendis et moribus temperandis prosint civitati, ipsi videant. Non ut, quae singula ipsis singulatim singulis locis temporibusque facienda sint, sciant: id non est philosophiae exquirere: ipsi illi si rite fuerint exculti ac nostra institutione e spectabili mundo in ipsum veritatis regnum escenderint, id facile perspicient. Sed hoc ipsum, quod dicimus, quemadmodum, quae in pueritia et adolescentia, duce philosophia, perceperunt, ad bene beateque vivendum et provehendam civium honestam beatamque vitam adhibere debeant, id exquirere, id palam facere omnibus, id generi humano, ut cesset aliquando his malis laborare et recte sibi consulat, persuadere, *philosophia justi* debet.

Pervenire nobis, in hac philosophiae Platonicae progressione gravissima, ad sacra ejus majora, *τὰ τέλεα καὶ ἐποπτικά*, ad *sanctum* et *divinum* nondum licebit: tum demum licebit, quum a rebus humanis fuerimus ad divinas progressi; veruntamen in his ipsis de justitia ac felicitate disquisitionibus accedemus illuc proxime. Nam hoc proposito exquirenda nobis perfecta civitas, exquirendus in primis homo perfectus erit, ut, quid sit justitia, quid vita beata, reperiamus. Valebunt autem eo simul disquisitiones nostrae, ut exemplum habeamus aliquando, ad cujus perfectam speciem res nostras tam domesticas quam politicas, tum vero maxime nosmet ipsos conformemus. Quae una verissima apud Platonem est ad sacra illa majora praeparatio. Patere enim homini ad sanctum divinumque aditum negat, nisi veri ductus amore ad puram intaminatamque veritatem sinceramque virtutem ac justitiam, sive per sese, sive per artes disciplinasque majores processerit: statuit vero, quo quis majores hac in re progressus fecerit, eo illum facilius certiusque ad vitae morumque sanctitatem pervenire: ad illud autem assequendum necesse ipsi esse, ut sive Deum sive perfecti hominis, justissimi cujusdam et sanctissimi, imaginem, exemplum sibi ad imitandum proposuerit. Prope iccirco sumus per philosophiam justi ad *τέλεα* illa et *ἐποπτικὰ* accessuri; sed eo nobis magis in id incumbendum est, ut lucido eam ordine et vero hac via et ratione tradamus, qua ad omnis philosophiae finem summum pervenire certissime nobis liceat.

De animi natura.

Ordiendum nobis denuo et hic quidem maxime a nobismet ipsis et animi nostri natura erit. Nam quomodocunque de vita beata existimandum censemus, sive eam a physica hominis, quam vocant, sive a morali conditione repetiverimus, ut recte de re gravissima judicemus, quid justitia sit, qualemque esse hominem perfectum oporteat, deditâ operâ exquirendum est. Utrumque autem declarare, nisi animi naturam exploraverimus satis, non possumus. Hic vero longe ampliorem pleniorenique explicationem hoc argumentum, quam in superioribus, postulat. Tum enim nos veluti instituentes hominem, quemadmodum is pulcri verique amore incensus, riteque in ipso veritatis ὀργάνῳ purgato, et quo decet converso, ad pulcri verique scientiam adducendus esset, inquirebamus: quocirca et amorem ipsi insitum pulcri verique et vero hoc ὄργανον explorasse sufficiebat. Nunc vero, cum de civitate agendum nobis sit, cui praefuturi sunt illi, quos sic erudivimus, homo nobis totus penitusque explorandus erit. Non enim e lapide et ligno, quod verissime ajebat Plato, 1) confectae civitates sunt, ut machinarum instar moveantur: hominibus constant. Sunt autem hi variae indolis, variarum facultatum, diversissimorum sensuum ac studiorum. Alii ad eas regendas apti sunt: alios et longe maximam partem regi a prudentioribus oportet: sunt item, qui opitulari illis, hos autem coërcere debeant, custodes civitatis ac vindices. Singulis illis sui sunt mores, suae propensitates: in iis autem, qui reguntur, infinitae fere et numero et genere cupiditates sunt. Hanc hominum in civitate varietatem attendere, perspicere praesertim, quemadmodum, moderandis temperandisque diversissimis hisce hominum facultatibus et studiis, saluti prospicere civitatis liceat, frustra conabitur sane, qui animi humani naturam non totam exploraverit. Quid? quod, moralis politicaeque doctrinae caussâ, perfecta nobis tam civitatis quam hominis imago adumbranda erit. Id facere recte, nisi qui intus totum perscrutatus animum hominis sit, partesque ejus et facultates varias diligentissime exploraverit, quis poterit?

De vi amoris ad virtutem felicitatemque hominis.

Exploraturis autem nobis animi humani naturam, non aliud est continuo principium exquirendum, atque illud fuit, unde omnes nostrae de pulcro et vero disceptationes fluxerunt. Amor est, amor, inquam,

1) *De Rep.* VIII initio.

fons ille optimorum in auimo nostro studiorum uberrimus, idemque certissimus homini ad veram felicitatem dux. Nam ad pulcri adspectum accensus in nobis, ut ab initio nos monuit apud Platonem Socrates, ad ipsum nos pulcrum trahit, nosqne illud referre deinceps sermonum, actionum vitaeque omnino elegantia atque honestate studemus. Idem autem amor nobis, quod item affirmavit apud eundem Platonem Socrates, veri, quin etiam justi sanctique principium est. Pulcra enim non amat philosophus, nisi quae vere sunt pulcra, veritatem autem eodem, quo amasium ipse suum, amore prosequitur. Quo fit, ut veritatis assequendae caussâ nil non et facere et pati velint sapientes, mori adeo cupiant: quod unus efficere amor potest. Quodsi de justitia ac caeteris virtutibus majoribus, deque vitae morumque sanctitate quaerimus, *virtutis auctor* amor est, quod Phaedrus nos in Symposio docuit, imo vero solus hic homines *ad virtutem ἐνθέους* facit: estque idem ille, de divina Diotimae sententia, inter Deos hominesque intermedius, illorum ad hos beneficia, horumque ad illos preces transferens, ut immensum, quo separantur a se invicem, intervallum compleat: hominemque omnino, Deorum cultu et veneratione, ad vitae integritatem sanctitatemque, ad divinae adeo naturae similitudinem informat. 1) Quidni igitur, ut adhuc fecimus, deinceps amorem principium, unde optima quaeque ducamus, habebimus? Sed amor praeterea hanc apud nos vim habet, ut, optimarum rerum cupiditate, pravas cupiditates, quae item insunt animi naturae, accesserit modo rationis imperium, vincamus ac coërceamus. Haec autem naturalis animi nostri conditio, ut ad finem aliquando disquisitionum nostrarum, qui vita beata est, feliciter perveniamus, hic nobis continuo diligenter exponenda est.

Amor in animo hominis *desiderium* est proprie. Ex indigentia enim oritur, ut Socrates nos in Symposio, itemque Aristophanes docuit. 2) Id enim, quo caremus, quod requirimus, quod desideramus, non, quod habemus, appetere atque amare solemus. Cujusmodi appetitus ac desideria in brutis animalibus non minus, quam in hominibus, animadvertimus. Cibum potumque expetunt vehementi desiderio atque ardore, eodemque, et majore etiam, satisfacere venereis cupiditatibus student: homines vero has cupiditates, insanas hasce libidines, quamvis indignae hoc nomine sint, amorem vocant. Est scilicet hic *πάνδημος*, *vulgaris* amor, vulgo illique hominum generi proprius, qui brutorum instar solis

---

1) *Initia.* p. 102. Retulit haec Tasso ad Gabriëlem, Dei nuncium. *Gerusal. lib.* I, 11:

Giù i decreti del ciel porta, ed al cielo
Riporta de' mortali i preghi e'l zelo.

2) *Eod.* p. 66, 67.

indulgent corporis sensuumque appetitibus ac voluptatibus, iisque se rapi in pessima quaeque sinunt. Quocirca hi ab iis omnibus, quae unice homines decent, a pulcro et bono, a virtutibus, ab ipsa philosophia abripiuntur procul. Veruntamen, ut apud Euripidem est:

ἀλλ' ἔστι δή τις ἄλλος ἐν βροτοῖς Ἔρως
ψυχῆς δικαίας, σώφρονός τε κἀγαθῆς. 1)

Uranius amor scilicet, quem a vulgari diligenter apud Platonem Pausanias distinguit, cuique et ipse et Phaedrus et vero Diotime justas laudes tribuit: ad animum ille animique desideria explenda, non ad corpus sensusque pertinet. Hoc qui ducitur, quod poëta ait, amasium desiderat atque anquirit, *ψυχὴν δικαίαν σώφρονά τε κἀγαθήν*, quem ubi invenit amplexusque incredibili ardore, imo furore, est, tantum abest, ut a philosophia rerumque optimarum studio et amore vel illum abripiat vel abripiatur ipse, ut mutuis ambo de pulcro et bono deque virtute et justitia sermonibus incalescentes, quo se invicem amore, eodem philosophiam colant ac prosequantur. Hujus autem puri coelestisque amoris, quique unus dicendus *amor* est, ejusmodi est, quod diximus, in animo hominis vis et efficacitas, ut vagas illas ac vulgares libidines inhibeat ac coërceat. Id autem quo plenius intelligatur, *rationis* item in libidines istas totumque animum auctoritas consideranda nobis exquirendaque est.

De rationis in animo auctoritate.

In libris de *Legibus* hospes Atheniensis «duo nobis insunt, ait, contrarii ac dementes consiliarii, quos *voluptatem* et *dolorem* nuncupamus: accedunt opiniones de rebus futuris, quae universo nomine *ἐλπίς*, quatenus autem ad res tristes referuntur, *φόβος*, *timor*, quatenus ad laetas, *θάῤῥος*, *confidentia* dicuntur. Praeëst hisce omnibus, quae, quid melius in iis sit, quid pejus, discernit, *ratio*, *λογισμός*.» 2) Rem deinde hospes ille Cliniae et Megillo, quo haec assequantur facilius, imaguncularum, quae funiculis moventur, comparatione explicat. «Affectus hi, inquit, ut funiculi quidam aut nervi nobis naturâ insunt, quibus, ludicrorum istorum instar trahimur retrahimurque in varias et contrarias partes. Talium imaguncularum ridicula conditio est, quum ad vulgus oblectandum, tanquam *θαύματα*, ostenduntur. Nos similiter mortales immortalibus Diis *θαύματα* quaedam sumus, quippe quos voluptas et dolor, spes ac metus, sibi invicem renitentes, huc illuc inque contrarias partes distrahunt.» Valent haec egregie ad animi naturam declarandam. *Patiens* in affectibus, non *agens* conditio nostra est, ut hoc ip-

1) Cff. *Initia* p. 60.
2) *De Legg.* I. 644. C. Cf. VII. 803 C.

sum vocabulum *affectus*, magisque etiam illud, quo Plato utitur, *πάθη*, demonstrat. Movemur igitur et trahimur plane illis, et hinc intelligimus, quare homo *ἥττων ἑαυτοῦ*, *semetipso inferior* dicatur. Dicitur ita, ubi submissus plane affectibus suis est, in primis vero, ubi amore totus, affectuum omnium facile vehementissimo, regitur. Sed hospes ille de animi natura, ut monuimus, hoc animadvertit praeterea: praeësse dicit affectibus nostris omnibus *rationem*, quae, quid melius sit, quid pejus, discernit: idemque in festivissima comparatione, quum *ἕλξεις* memorat, quibus intus agitamur, unam item memorat, cui obsequi decet hominem, nec deficere et vero una cum illa caeteris reniti, *ἀνθέλκειν*. *Ταύτην δ' εἶναι*, ait, *τὴν τοῦ λογισμοῦ ἀγωγὴν χρυσῆν καὶ ἱερὰν· — ἄλλας δὲ σκληρὰς καὶ σιδηρᾶς, τὴν δὲ μαλακὴν ἅτε χρυσῆν οὖσαν, τὰς δὲ ἄλλας παντοδαποῖς εἴδεσιν ὁμοίας· δεῖν δὴ τῇ καλλίστῃ ἀγωγῇ τῇ τοῦ νόμου ἀεὶ ξυλλαμβάνειν· ἅτε γὰρ τοῦ λογισμοῦ καλοῦ μὲν ὄντος, πράου δὲ καὶ οὐ βιαίου, δεῖσθαι ὑπηρετῶν αὐτοῦ τὴν ἀγωγήν, ὅπως ἂν ἡμῖν τὸ χρυσοῦν γένος νικᾷ τὰ ἄλλα γένη· hic rationis ductus est, aureus ille et sacer: caeteri duri sunt et ferrei; hic vero mollis, quippe aureus: quumque caeteri variae sint formae, hos oportet pulcerrimo legis ductui obsecundare: nam praeclara res ratio est, sed, quum lenis sit nec vehemens, ductus ejus ministris opus habet, ut aureum nostrum genus caetera genera vincat.* 1)

Animi cum equorum jugo et auriga comparatio.

Sed rationis in animo auctoritatem, praecipue autem, quod in his monuit hospes ille, *ὑπηρετῶν δεῖσθαι* ejus *ἀγωγήν*, ut auctoritatem hancce suam atque imperium exerceat recteque ita regat animum, haec igitur Plato longe pulcerrimo ac sublimi loco cum explicuit, tum poëtarum instar veluti oculis nostris proposuit, ubi Socratem induxit animum equorum jugo comparantem, quos auriga moderetur. Exstat locus in hymno amoris Platonico, quem partim tractavimus, quum in pulcri philosophia de *ἐνθουσιάσει* amoris agebamus: 2) nunc autem gravissima ejus pars, quae praesens hoc argumentum spectat, attendenda nobis diligentissime videtur. «Qualis sit animus, sic pergit illic Socrates, divinae prorsus prolixaeque narrationis sit; cui vero similis sit, humanae et brevioris: hoc igitur dicamus. *Ἐοικέτω δὴ ξυμφύτῳ δυνάμει ὑποπτέρου ζεύγους τε καὶ ἡνιόχου· similis esto concretae vi jugi equorum alati et aurigae.* Deorum quidem equi et au-

1) *De Legg.* I. 645 A. Vidd. Intpp. et *De Geer*, *Diatribe in pol. Pl. princ.* p. 86.
2) *Initia* p. 49.

rigae omnes et ipsi boni sunt et e bonis oriundi, caeterorum vero mixti: principio igitur nostri princeps bigas habenis moderatur; alter vero equorum ipsi pulcer bonusque est et ex talibus ortus, alter e contrariis et ipse contrarius: *χαλεπὴ δὴ καὶ δύσκολος ἐξ ἀνάγκης ἡ περὶ ἡμᾶς ἡνιόχησις· difficilis igitur ac molesta sit nostri gubernatio necesse est.* 1) Quae difficultas tum maxima gravissimaque est, quum animus ad pulcri vultus, divinae formae, adspectum cupiditatis voluptatisque stimulis intus agitatur totus. Est scilicet unus equorum, quos moderandos habet, *σκολιὸς, πολὺς, εἰκῆ συμπεφορημένος, κρατεραύχην, βραχυτράχηλος, σιμοπρόσωπος, μελάγχρως, γλαυκόμματος, ὕφαιμος, ὕβρεως καὶ ἀλαζονείας ἑταῖρος, περὶ ὦτα λάσιος, κωφὸς, μάστιγι μετὰ κέντρων μόγις ὑπείκων· intortus, ingens, membris temere compositis, dura cervice, brevi collo, simo vultu, atro colore, oculis caesiis sanguineque suffusis, superbus ac contumax, hirsutis auribus atque surdis, vix flagello stimulisque obtemperans.* 2) Cui equo si semel relaxaverit frena, totus sensuum appetitibus abripiatur necesse est. Quo vero enm facilius regat, imo vero, ut regere furiosum istum et pervicacem possit, adjunctum illi alterum equum habet, *εὐήνιον*, freno monitisque et adhortationi parentem. Est hic *ἐν τῇ καλλίονι στάσει ὢν, τό τε εἶδος ὀρθὸς καὶ διηρθρωμένος, ὑψαύχην, ἐπίγρυπος, λευκος ἰδεῖν, μελανόμματος, τιμῆς ἐραστὴς μετὰ σωφροσύνης τε καὶ αἰδοῦς, καὶ ἀληθινῆς δόξης ἑταῖρος, ἄπληκτος, κελεύματι μόνον καὶ λόγῳ ἡνιοχεῖται· excellentiore habitu, specie rectus, membris rite expressus, ardua cervice, naso aquilino, nitido colore, nigris oculis, honoris cupidus, sed modestiae simul ac pudoris plenus, verae opinionis amicus, nullis stimulis indigens, cohortatione sola ac ratione regitur* 3). Ergo, ubi auriga in animo, amatorium adspiciens vultum, totumque sensu inflammans animum, titillationis ac desiderii stimulis concitatur, tum qui aurigae obediens est equorum, ut consuevit, pudore cohibitus semet ipsum continet, ne prosiliat in amatum. Alter vero neque stimulis neque verberibus coërceri potest, sed exsultat vi et impetu, atque conjunctum sibi equum et aurigam perturbans, rapit utrumque ad amasium, ut indulgeat sibi voluptatem. At illi initio adversantur quidem, indignati, quod ad gravia nec licita trahantur, tandem vero, cum exitus mali nullus sit, compulsi feruntur, ceduntque jam et consentiunt, quod jussi sunt, facere. Hinc ad amasium accedunt, intuenturque ejus vultum quasi fulgurantem: quod ut

---

1) *Phaedr.* 246 A. B.

2) *Eod.* 253 E. Vid. Heind. Videtur legendum pro *κρατεραύχην κυρταύχην, curva cervice;* opponitur enim *τῷ ὑψαύχην*, quod praecessit.

3) *Eod.*

vidit auriga, *ipsius pulcri* recordatur, illudque cernit una cum temperantia in puro sanctoque loco repositum: mox autem ad ejus adspectum cohorret, reveritusque recidit supinus, simulque cogitur habenas tam vehementer retrahere, ut ambo equi coxis humi resideant: alter quidem sponte, quia minime freno reluctatur, procax vero ille perquàm invitus. Recedentes vero longius, alter prae pudore et verecundia omnem animum sudore irrigat: alter vero dolore liberatus, quem per frenum et casum contraxerat, aegre respirans, irâ fertur, et conviciis cum aurigam tum adjunctum equum petit, quasi qui ignaviâ socordiâque ordines deseruissent solvissentque pactum: tum rursus eos nolentes invitosque accedere cogens, aegre concessit illis, differri in posternm exorantibus. Accedente autem statuto tempore, cujus esse immemores illi quidem se simulant, hic vero illos commonefacit, urgens, hinniens, trahens compellit iterum iisdem verbis amasium adire. Postquam vero prope accesserunt, inflexus, extensâ caudâ, frenum mordet impudentissimeque rapit. Sed auriga, multo magis eadem, quae antea, passus, velut statim a carceribus retro relapsus, habenis longe vehementius retractis, dentibus contumacem equum reprimit, atque impuram linguam maxillasque cruentans, crura et coxas humi defigit poenisque coërcet. Quod posteaquam saepe jam pravus equus ille perpessus est, lascivire desistit, mansuefactusque tandem aurigae obediens est providentiae, atque, ubi adspicit, formosum, formidine perit. *῞Ωστε ξυμβαίνει τοτ' ἤδη τὴν τοῦ ἐραστοῦ ψυχὴν τοῖς παιδικοῖς αἰδουμένην τε καὶ δεδοικυῖαν ἕπεσθαι· fit ita tunc, ut amasium amantis animus cum verecundia metuque prosequatur.*" 1)

Descriptio haec animi Platonica quantopere a posteris celebrata imitandoque expressa sit, *Phaedri* interpretes docent. Nobis, qui ipsam interpretari Platonicam philosophiam studemus, de mente consilioque in his celebrandis dispiciendum est. Naturam animi hac imagine, ut sponte cernimus, declaravit, nec quisquam haec legerit, quin rationis cum cupiditatibus certamen descriptum et veluti depictum viderit. Sed locus hic de domandis cupiditatibus, quamvis gravis sit in ethica nostra, nec minus a poëtis atque oratoribus, quam a philosophis celebratus, tamen, ut, quod sentio, libere profitear, *communis*, quod ajunt, *locus* est. Plato autem, quod neglexerunt fere philosophi, equo illi ferocienti, quo cupiditatum vehementiam insaniamque significat, alterum equum adjunxit, placidum frenoque obtemperantem, cujus maxime ope ratio cupiditates inhibet ac domat. Est scilicet ille recti amor in animo nostro: amor omnino est, quem laudavimus, *uranius*, quo nos ducti pulcrum, bonum, justum assequi nitimur. Nam affectus apud Platonem non

1) *Phaedr.* 253 E. — 255 A.

omnes ipsi per se vel mali sunt vel nocent: trahunt mentem, ut vidimus, in omnes partes; sed unus est, cujus ductui et veluti tractui obsequi debemus unice: illum dico, qui cum ratione consentit ejusque minister est. Id nempe est, quod de rationis ductu Atheniensis ille hospes monuit, δεῖσθαι ὑπηρετῶν τοῦ λόγου ἀγωγήν. 1).

Vim igitur amoris in animo hominis, siquidem rationis accesserit moderamen, ad virtutem honestatemque permagnam esse, hinc patet. Cernitur autem in iisdem hisce arctissima quaedam virtutis felicitatisque necessitudo. Quod in eodem illo amoris hymno Plato, ut in superioribus animadvertimus, mirâ sublimitate celebravit. «Nam amans, ait Socrates, ut eo quo diximus modo, altero illo equo adjutus, pravas cupiditates vicit domuitque, quo ipse agitatur amore, eodem jam imbuit amasium. Amat igitur et hicce, quamquam quid amet nescit. Fit autem amore mutuo, ut tanquam in speculo, sic in amante semet ipsum adspiciat. Absens igitur desiderat eum, ut ab eo desideratur vicissim, nec quidquam cupit vehementius, quam ut semper cum eo sit una. Et sic quidem ambo beatam atque concordem praesentem agunt vitam, modesti et sibimet ipsis imperantes, subactis, e quibus vitia, in libertatem vindicatis, e quibus virtutes oriuntur; mortui vero, recuperatis alis, praepetes evolant, cum trium certaminum Olympicorum unum pervicerint: quo sane praestabilius bonum nec humana temperantia, nec divinus furor homini afferre ullum potest.» 2).

De justitia et felicitate. Sufficitnè homini ad beate vivendum justitia?

Veruntamen quae ex philosophia pulcri ad quaestionem de justitia ac felicitate attulimus hactenus, praeparaverint haec nos quodammodo fortasse, ut, quod quaerimus, inveniamus aliquando; philosophia justi aliam postulat disquisitionem. De justitia hìc agendum nobis est: discernere eam a caeteris virtutibus majoribus, a sapientia, fortitudine, temperantia oportet: quaerendum praecipue, num ad bene beateque vivendum ipsa sufficiat una. Attigimus haec, quum in philosophia veri tractanda *Philebum* explicabamus Platonis. Sed Plato, ut vidimus, cum scribebat dialogum illum, minus Socratis suamve sententiam declarare, quam adhibere Philolai placito περὶ τῶν ἀπείρων τε καὶ περαινόντων dialecticam

1) Altero fere equo Platonici τὸν θυμὸν intellexerunt. Vidd. Intpp. ad hunc locum. Non quidem inepte: nam apud Platonem tam θυμὸς, quam recti amor rationi succurrit; sed philosophus, cum Phaedrum scriberet, nondum videtur notionem θυμοῦ satis sibi distincte proposuisse: hoc demum in Politia egit, ut infra monebimus.

2) *Phaedr.* 256 A. B Cff. *Initia* p. 76, 77.

studuit. Et vero de sapientia illic et voluptate, utri ad beatam vitam plus tribuendum sit, non de justitia egit. 1) Hîc autem Socraticâ ratione nobis, quod in *Politia* instituit Plato, de vita beata, eum omnino in modum agendum est, ut, quid sit in animo hominis justitia, ex ipsa animi natura explicemus. Explorare igitur multo diligentius interiusque, quam adhuc fecimus, animum decebit. Discrevimus jam in eo a cupiditatibus rationem, cui parere istae debent: socium item cupiditatum, sed qui idem rationis minister adjutorque est, depreheudimus: unde partes animi, quas vocat Plato, τὸ ἐπιθυμητικὸν ac λογικὸν, quales sint, cognoscere jam coepimus. Verum tertiam is partem adjecit illis, τὸ θυμοειδὲς· haec vero nondum, quae sit et qualis, patet nobis: certe nec Socrates eam in hymno amoris, nec in senili sermone hospes Atheniensis nomine memoravit. Ut vero cum caeteras virtutes, tum justitiam assequamur, θυμοειδὲς illud in animo nostro non minus, quam τὸν λόγον ac τὸ ἐπιθυμητικὸν et cognoscere ipsum et ab his discernere debuerimus. Mitto caetera; sed, quod diximus, conjunctam apud Platonem cum morali doctrina politicam esse, id ex omni hac nostra superiore disceptatione haud facile duxeris. Sunt scilicet poëtica fere, quae hactenus attulimus, in quibus exstant fortasse eorum, quae investigamus, principia, sed latent, certe, ut appareant dilucide, aliunde videtur lumen adhibendum esse. Quamobrem, age, aliam instituamus, uniceque philosopham, imo Socraticam disquirendi rationem, si forte sic licuerit nobis et partes animi singulas singulatim conspicere, et, quid sit in animo justitia, quamque vim ad beatam vitam habeat, assequi et perspicere.

Thrasymachi de justitia ac felicitate placita.

Sed ut disquisitionem instituere in justitiam vitaeque felicitatem paramus, ecce! denuo nobis occurrunt sophistae 2): quodque jam dudum clamarunt, hîc repetunt, inanem rem esse, quam quaerimus: opinione hominum ferri justitiam, esse autem nihil reapse, vel, si quid sit, ἀλλότριον esse ἀγαθὸν, οἰκείαν βλάβην. 3). Simile quid nobis tum objecerunt Gorgias, Callicles, Polus, quum in veri versabamur disquisitione. Veri esse nihil dictitabant, nisi quod videretur, idque ad justitiam tollendam adhibebant. Sed horum omnium, in primis Protagorae cavillationes *idearum* auctoritate ac veritate confutavit apud Platonem Socrates. Thrasymachi vero istud in justitiam dictum, *injustis eam prodesse, justis vero nocere*,

1) *Initia* p. 427.
2) *Eod.* p. 121, 389, 411.
3) *De Rep.* I. 343. C. III. 392. B.

habet, quo mentem continuo nostram advertat, nec omni est sane, si vitam hominum moresque attendimus, verisimilitudine destitutum. Nam tantum abest, ut suus habeatur justitiae honos, ut injusti, qni item callidi sint, in coelum ferantur laudibus, contemnantur vero justi ac rideantur. Et vero nihil accidere in vita crebrius videmus, quam ut injustis bene, justis male sit. Verum, ut, cognitâ caussâ, rem dijudicemus recte, ipsum audiamus Thrasymachum, in *Politia* Platonis et ista et alia placita profundentem.

In dialogo hocce, quem de hoc ipso argumento, de justitia et felicitate, philosophus scripsit, ut convenerunt in Cephali senis aedes, qui in Piraeo habitabat, cum alii multi, tum Socrates et Glauco, oriuntur continuo de justo et de justitia sermones, in quibus primum Thrasymachus, tum ipse cum Glaucone et Adimanto Socrates partes dicendi maxime habet. Nam posteaquam cum Simonidis, tum aliorum in justitiam dicta interrogando, ut solebat, exploravit Socrates, Thrasymachus hunc derepente et irâ, ut apparebat, excandescens plane aggreditur: nullâque retentus verecundiâ, quid sentiat de justitia, libere et palam profitetur. Exclamans igitur continuo «quae vos, o Socrates, inquit, dementia tenet, cedentes vobis invicem? Quodsi re vera nosse cupis justum quid sit, ne interroga solum neve vincere concupisce reprehendendo, postquam tibi responsum fuerit — id scilicet teneus, facilius esse interrogare, quam respondere — sed tu ipse responde ac dic, quaeso, qnid esse justum existimes: nec vero mihi dicas, esse illud *quod oportet*, vel *quod utile est*, vel *quod convenit*, vel *quod lucrum affert*, vel *quod prodest;* sed plane mihi accurateque dic, quid esse illud putes: nam haud admittam equidem, ubi talia nobis argumenta attuleris.» 1) Quibus dictis perculsus Socrates — nam ferae iste instar in ipsum caeterosque quasi discerpturus proruerat, ut perterriti pavescerent — ad haec igitur tremiscens Socrates «o Thrasymache, inquit, ne tu ita in nos saevias: nam si in disquirendis rationibus lapsi sumus, egoque et hic, pro certo habeto, invitos errasse nos. Noli enim existimare, si aurum quaereremus, nos non sponte nobismet ipsos in disquisitione cessuros esse et inventionem impedituros: nunc autem, cum justitiam quaeramus, rem multo auro longe pretiosiorem, inepte adeo inter nos cedere, nec omni studio anniti, ut quale istud sit appareat. Verum arbitror, o amice, invenire illud non possumus. Quamobrem nostri misereri vos, quippe sapientes, multo magis decet, quam irasci. Ille vero, auditis hisce, in cachinnos effusus et plane Sardonium ridens, o Hercules, ait, haec scilicet solita est illa Socratis ironia! Noveram id equidem et hisce praedixeram, te quidem non responsurum, sed usurum ironiâ esse atque omnia facturum potius, quam

1) *De Rep.* I. 336. C. D.

interroganti responsurum. Hic Socrates, quo tandem modo, inquit, vir optime, respondere quis possit, primum, qui neque sciat neque scire se fateatur, deinde, qui, si vel maxime de his aliquid sciat, prohibitus sit a viro non contemnendo quidquam dicere eorum, quae existimaverit. Sed te magis aequum est dicere: tu enim scire profiteris posseque dicere: gere igitur tu mihi morem nec docere recuses Glauconem huncce et caeteros qui adsunt.» 1) Quibus dictis et Glauco et caeteri excitati, flagitant Thrasymachum, ne aliter agat. Thrasymachus autem perquam, ut patebat, dicere avebat, ut ostentaret doctrinam, ratus scilicet pulcerrimum esse, quod esset responsurus; simulate autem a Socrate contendebat, ut ipse responderet: tandem vero concessit. Ἄκουε δή, ait, φημὶ γὰρ ἐγὼ εἶναι τὸ δίκαιον οὐκ ἄλλο τι ἢ τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον· *audi ergo: statuo equidem, justum nihil aliud esse nisi quod superiori sit utile.* 2) Quam sententiam ut paucis verbis emisit, ita deinceps pluribus declarat, hunc in modum Socratem interogans. «Ignorasne, inquit, civitates alias a tyrannis, alias a populo, ab optimatibus item alias regi? — Novi equidem. — Nonne in quaque civitate id princeps est, quod eam regit? — Quidni? — Fert autem leges principatus quisque ad suam semper utilitatem: ubi penes populum est, populares fert, ubi penes tyrannum, tyrannicas, et sic in caeteris: probant sic autem principatus, id justum iis esse qui reguntur, quod sibi sit utile: quocirca qui migrant illud, hos poenis afficiunt, quippe injustum et contra leges agentes. Id igitur est, o bone, quod dico: in omnibus esse civitatibus unum idemque justum, hoc scilicet, quod priucipatui conducit: principatus autem superior est: ut, recte subductis rationibus, ubivis idem justum sit, quod superiori est utile.» 3)

Haec apud Platonem Thrasymachus. Nec vero is unus in hunc modum de justitia existimabat. Communis haec omnium fuit propemodum sophistarum opinio. In *Gorgia* Platonis sic Callicles: «*naturâ*, inquit, quidquid pejus est, idem turpius, ut pati injuriam; *lege* vero et pejus et turpius est injuriam inferre. Non cadit naturâ in virum injurias pati, sed in servum, cui mori quam vivere satius est, quia nec sibi illatas injurias contumeliasque propulsare potest nec suis opitulari. Censeo equidem, illos homines primum leges tulisse, qui minus viribus, quam numero, valerent, eosque illa constituisse, quae sibi fore utilissima putarent. Hi igitur robustiores quosque cum laudibus, tum vituperiis terruerunt, quo minus in aliorum fortunas invaderent, ac turpe esse dixerunt

---

1) *De Rep.* I. 337. E. — 338. A.
2) *Eod.* 338. C.
3) *Eod.* 338 D. — 339 A.

et injustum, plus aliis habere velle, quin hoc ipso contineri injustitiam: tum denique haec lege sanxerunt. Ipsi enim, quippe imbecilliores ac deteriores, satis habebant, si modo aequali jure uti possent. Natura vero hoc justum esse declarat, ut qui melior sit ac fortior, idem plus habeat deteriore atque infirmiore, idque persaepe ostendit cum in caeteris animantibus, tum in hominibus. Semper enim gentibus ac nationibus justum visum est, ut debiliori imperaret fortior. Nam quo alio jure Xerxes Graeciam exercitu est adortus, aut Scythas ejus pater? Quibus sexcenta alia addi possint. Scilicet arbitror, recte hos fecisse, quoniam fecerunt, quae justa essent lege naturae, lege autem civili injusta. Hanc enim homines posuerunt, ut optimates quosque et robustissimos, tanquam leones, incantamentis quibusdam ac praestigiis delinitos, vincirent, eosque docerent, et aequali jure uti, et id pulcrum justumque habere. Sin vero exsisteret aliquis optimae naturae vir, is omnes istas praestigias, incantamenta ista et omnino leges, praeter naturam scriptas, rejiciens, rumpens, infringens, conculcans, e servo statim omnium fieret dominus, ac suo exemplo, quid naturâ justum sit, ostenderet.» 1) Commendabant id decretum sophistae Pindari auctoritate, cujus haec fuerat sententia: *νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς, θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων, ἄγει δικαιῶν τὸ βιαιότατον ὑπερτάτᾳ χειρί.* Efficiebant inde, legem, omnium cum mortalium tum immortalium reginam, praepotente manu demonstrare, quod validius sit, idem aequius esse. 2)

Sed ad Thrasymachum redimus. Communi huic sophistarum placito illud deinceps in sermonibus illis adjicit, quo sibimet placuisse mirifice videtur: *ἀλλότριον* esse *ἀγαθὸν* justitiam, *οἰκείαν βλάβην*. Nam, ut Socrates ex eo de medico quaesiverat, utrum tanquam medicus, quid ipsi, an vero, quid aegrotis conduceret, spectaret, Thrasymachus: «dic mihi, inquit, o Socrates, estne tibi nutrix?— Quid? nonne respondere decebat magis, quam talia quaerere?— Quoniam te negligit et oppletas tibi nares non emungit, cum tamen indigeas, qui neque pecudum neque pastoris cognoscis officium.— Cur istud?— Quia putas, opiliones et bubulcos pecudum boumque bonum considerare, eosque pascere et colere, ad aliud respicientes, quam ad dominorum ipsorumque utilitatem, tum etiam illos, qui in civitatibus reapse regnant, aliter ad eos, qui ipsis subsunt, existimas respicere, quam tanquam pastorem ad oves, et aliud cogitare noctes atque dies, quam unde utilitas ad ipsos redundet: atque adeo tu procul abes, ut quid justum ac justitia, quid injustum atque injustitia sit, teneas, ut ignores, justitiam jus-

---

1) *Gorg.* 483. A.
2) Vid. docta hac de re cultissimi Geerii animadversio. Op. I. p. 20.

tumque alienum esse bonum ac re vera imperantis et potentioris emolumentum, detrimentum vero proprium obedientis et subditi; injustitiam vero contra in bonos justosque homines imperium exercere: qui antem parent, facere quae imperanti potentiorique conducunt, illumque obsequio beatum reddere, sibi autem ipsis non consulere. Considerare, optime Socrates, sic decet. Vir justus omni in caussa minus, quam injustus, habet: primum in mutuis commerciis, cum aliquid contrahunt ambo, nusquam in dissolvenda societate reperies, plus justum, quam injustum, sed semper minus reportare: tum in rebus publicis, ubi tributa conferenda sunt, justus plus confert, quam sui aequales, injustus minus: nbi vero aliquid accipiendum est, justus nihil, injustus multa reportat. Etenim si quando magistratu quodam uterque fungitur, si nulla alia justo jactura accidit, haec saltem illi non deest, nt res domesticae deterius per negligentiam disponantur: ex publico autem nihil propterea, quod justus est, lucretur. Accedit, quod domesticos ac familiares sibi infestos reddit, cum illis prospicere nulla in re ultra justum velit; injusto vero omnia contra eveniunt: dico autem, quod et supra, de eo, qui multum prae caeteris potest lucrari: hunc igitur attende, si vis judicare, quanto magis conferat, privatim sibi injustum esse, quam justum. Facillime autem disces, si ad extremam perveneris injustitiam, quae injuste agentem felicissimum efficit, eos contra, qui afficiuntur injuria ac neminem injuste laedere volnnt, infelicissimos. Est autem haec tyrannis, quae non paulatim, sed simul omnia aliena usurpat, et clam et vi, et sacra et sancta, et privata et publica: in quibus singulis si quis singulatim deliquerit deprehensusque fuerit, mulctatur et opprobrio afficitur maximo: sacrilegi enim, plagiarii, effractores, fures, latrones et omnino per singulas partes peccantes, ab hujusmodi criminibus nomen habent. Sed ubi quis praeter hujusmodi rapinas pecuniarum, cives etiam ipsos in servitutem sibi redigit, non tam probrosis nominibus notatur, sed felix ac beatus praedicatur, non a civibus suis tantum, verum ab omnibus, qui eum audiunt nequitiam omnem explevisse. Non enim ideo vituperant injustitiam, quicunque eam vituperant, quod injuriam facere, sed quod perpeti metuunt. Hoc igitur pacto, o Socrates, injustitia omnibus suis partibus absoluta, robustius quiddam et liberalius, quam justitia est: utque ab initio dicebam, id quod potentiori confert, justum est; injustum vero sibimet ipsi utile est et proficuum.» 1)

In his sermonibus Thrasymachum Plato sic descripsit, ut, quo audaciae, quo temeritatis, quo impudentiae haec doctrina homines efferat, illius exemplo cernamus. Ut ferae iste instar in Socratem, tanquam discerpturus, irrue-

---

1) *De Rep.* I. 343. A. — 344. C.

rat, ita ab hoc deinceps, ut serpens, deliniri dicitur. Hoc adeo de eo usurpat Socrates, nunc primum se vidisse Thrasymachum erubescentem. Quamquam, quod hominis doctrinam attinet, non caret illa, ut dicere jam instituimus, probabilitate ac verisimilitudine. Probarunt eam agendo principes, paucis exceptis, omnes, quotquot res magnas moliti sunt. Quid? quod ipsa omnium temporum politica, quamvis a philosophis e melioribus principiis duceretur, in administrandis gentium rebus, id quod utile magis, quam quod justum et honestum esset, spectavit. Unde dedecus politicae ad hunc usque diem adhaesit. Nec vero ipsi apud recentiores adeo philosophi ab his agendi principiis alieni fuerunt. Ne dicam de Machiavello ac famoso ejus opere, *del Principe* inscripto, patrum nostrorum memoriâ illa prodiit denuo politica, quae *τοῦ συμφέροντος philosophia* recte est appellata. Haud ita perpetua profecto et constans haec doctrina fuisset, nisi habuisset, qua se commendaret, veritatis speciem. Quod de altero item Thrasymachi placito, *ad felicitatem plus injustitiam, quam justitiam valere*, ac majore etiam probabilitate dicendum est. Quamobrem Plato in hoc dialogo, postquam consopita tandem Socratis oratione Thrasymachi ferocitas est, Glauconem et Adimantum rem interius inquirentes induxit, ut, quid tandem de rei gravissimae non veritatis quadam specie, sed veritate existimandum esset, pateret.

Justissimi hominis et injustissimi, felicitatis ratione habitâ, comparatio.

Sic igitur deinceps apud Platonem Glauco. «Thrasymachus, ait, in celebranda injustitia, ac justitia vituperanda rejiciendaque, utrinsque respexisse commodum et incommodum videtur. Ego vero, quid ipsae sint, *καὶ τίνα ἔχει ἑκάτερον δύναμιν αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἐνὸν ἐν τῇ ψυχῇ· quam utraque vim ipsa per se in animo nostro habeat*, inquirere velim. Quamobrem, quod ille neglexit, ego faciam. Renovabo equidem Thrasymachi orationem, et primum dicam, qualem esse justitiam dicant atque unde exortam; deinde, omnes, quicunque justitiam colant, invitos quodammodo eam sequi, tanquam rem necessariam, non vero bonam: tertio, merito eos sic agere: multo enim meliorem injusti vitam esse, quam justi, ut tradunt.» Haec Glauco: quamquam non sine verecundia et pudore generosus adolescens eo accedit. 1) «Mihi quidem, o Socrates, ait, non ita videtur; veruntamen dubito subinde, quippe obtundor quo-

---

1) Easdem partes sustinuisse apud Ciceronem *De Rep.* III L. Furium Philum patet. c. 5. 24.

tidie auribus, Thrasymachi aliorumque sermones audiens; orationem vero pro ipsa justitia, meliorem eam, quam injustitiam esse, ex nullo adhuc audivi, qualem cuperem; cuperem autem ipsam per se ipsam laudatam audire: maxime vero ex te hoc me arbitror auditurum. Quapropter dicam latius, injustam vitam laudans: dicendoque ostendam tibi, quonam maxime modo audire te velim, vituperantem injustitiam, justitiam laudantem: sed vide, num hoc tibi placeat.» 1) Ad haec Socrates «maxime», inquit, omnium: qua de re enim quis sapiens saepius cum dicere tum audire velit? Tum Glauco, praeclare, inquit, loqueris: quod autem primum de hoc dicere pollicitus sum, jam audi quale id sit, et unde sit orta justitia. Naturâ dicunt injuriam facere bonum esse, injuriâ vero affici malum; sed longe plus mali esse in patiendo injuriam, quam boni in inferendo: quamobrem, postquam vicissim injuriam et intulerint et acceperint atque utrumque gustaverint, qui nequeunt vitare illud, id consequi operae pretium fore ducunt, ut ita invicem componant, ut neque inferri neque accipi possit injuria: hincque volunt originem habuisse leges atque instituta, et nominata esse praecepta legum legitima ac justa. Hanc igitur justitiae esse originem et vim contendunt, quae media quodammodo sit optimum inter et pessimum, quandoquidem optimum est inferre injuriam nec dare poenas, pessimum vero pati nec posse ulcisci. Justum ergo, horum in medio constitutum, non amari tanquam bonum, sed, ex imbecillitate ad injuriam inferendam, honorari: neminem enim, qui hoc efficere possit vereque vir sit, cum alio pacisci, ne ultro citroque injuria inferatur: insanire enim istum. Haec est, o Socrates, naturae justitia atque e talibus est, ut ferunt, progenita. Illos autem, qui justitiam servant, invitos id agere, cum ex imbecillitate injuriam inferre nequeant, plane perspiceremus, si tale quid animo fingeremus: si utrique, tam justo, quam injusto, licentiam largiremur, quodcunque luberet, agendi, tum pone sequeremur spectantes, quo raperet utrumque libido: inveniremus profecto, justum aviditate compulsum, ad eadem se, atque injustum, conferre: id scilicet natura omnis, ut bonum, appetit; lege vero ac vi ad aequalitatem servandam ducitur. Erit autem licentia illa, quam dico, talis, istis si detur, qualem aliquando ferunt fuisse Gygi; qui, cum terra divulsa esset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, aeneumque equum, ut ferunt fabulae, animadvertit, cujus in lateribus fores essent: quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitatâ, annulumque aureum in digito: quem ut detraxit, ipse induit: erat autem regius pastor: tum in concilium pastorum se recepit. Ibi cum palam ejus annuli ad palmam con-

1) *De Rep.* II. 358. B. C. D.

verterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat: idem rursus videbatur, ubi in locum annulum inverterat. Itaque hac opportunitate annuli usus, reginae stuprum intulit, eaque adjutrice regem dominum interemit, sustulitque, quos obstare arbitrabatur: nec in his eum quisquam facinoribus potuit videre: sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiae. Si igitur duo tales annuli essent, alterumque justus, injustus alterum possideret ac ferret, nullus profecto esset, ut videtur, adeo adamantinus, qui in ipsa justitia permaneret et ab alienis abstinere vellet, cum liceret ipsi ex foro intrepide, quodcunque vellet, arripere, ingredique alienas domos, et clanculum pro libidine cum quoque congredi, et pro arbitrio quemlibet interficere, et ex carcere solvere, et alia, quasi par Deo esset, inter homines pro arbitrio facere: haec igitur cum uterque faceret, nequaquam alter ab altero in agendo differret, sed ambo eodem tenderent. Quae quidem maxima apud omnes esse potest conjectura, neminem volentem, sed invitum, esse justum; quasi id secundum se et privatim non sit bonum; quoniam ubicunque injuste agere quisque se posse confidit, agit protinus. Prodesse enim quisque privatim multo magis existimat injustitiam, quam justitiam, recteque sentit, quisquis ita judicat, ut sermonis hujus perhibent auctores. Quod si quis, hujusmodi facultatem nactus, velit ab injustitia abstinere neque aliena tangat, infelicissimus omnium et stolidissimus apud eos, qui hoc adverterent, putaretur: laudarent tamen illum palam, vicissim se decipientes, quia maxime timent, ne afficiantur injuriâ. Atque haec quidem ita sint dicta. Vitam vero utriusque, justi videlicet et injusti, ita plane dijudicabimus, si justissimum virum seorsum et injustissimum distinxerimus: aliter vero nequaquam. Sit autem haec discretio talis, ut nihil auferamus injustitiae ab injusto, sed perfectum utrumque in suo studio ponamus. Primum igitur injustus, tanquam optimi artifices, faciat: quemadmodum gubernator summus vel medicus, quae arte sua confici possint et quae non possint, sentit, et illa aggreditur, haec relinquit, et si qua praeterea in re peccaverit, corrigere potest, ita et injustus recte injurias aggrediens, lateat, si maxime injustus futurus est: extrema enim injustitia est, justum videri eum, qui non sit justus: danda est igitur injustissimo extrema injustitia, neque auferenda, sed permittendum, ut is, qui injuste multa patravit, apud omnes justi habeat opinionem: et si qua in re peccavit, corrigere possit, sitque ad persuadendum idoneus, si quid de ipso mali facinoris nuntiatur, et ad vim, si opus fuerit, inferendam fortitudine et robore opumque et amicorum copiâ validus. Cum hunc talem finxerimus, juxta ipsum virum ponamus justum, simplicem hominem et ingenuum, qui secundum Aeschylum non videri sed esse bonus studeat. Removenda quippe ab eo justitiae omnis opinio, ne justus cuiquam videatur: si enim videbitur justus esse,

aderunt ipsi honores et praemia: incertum igitur erit, justine an honorum munerumque gratiâ talis sit. Privandus igitur rebus omnibus praeterquam justitiâ, atque ita ponendus, ut superiori contrarius sit, cumque nihil agat injuste, injustissimus esse credatur; ut quasi quodam examine ad justitiam sit probatus, ex eo quod nec infamia nec his rebus, quae eam sequuntur, a proposito suo dimoveatur, sed usque ad mortem immobilis perseveret, dum per omnem vitam injustus existimetur, sit tamen justus: ut cum ambo ad extremum pervenerint, hic quidem justitiae, ille autem injustitiae, judicetur, nter eorum sit beatior.» 1)

Haec postquam Glauco tam diserte atque admirabili sane orationis impetu et flumine dixerat, Socrates « vah! inquit, quam vehementer, o suavissime Glauco, utrumque virum, quasi statuam quandam, in judicium inducis! Ille vero, feci, inquit, quam optime poteram. Cum ergo tales sint, nihil jam, nt arbitror, difficile narratu est, qualis utrumque vita maneat: dicendum igitur: quodsi vero asperius quid dicatur, ne existima, *me*, Socrates, haec dicere, sed *eos*, qui prae justitia injustitiam laudant. Dicent enim hujuscemodi quaedam: sic cum se habeat justus, caedetur flagris, torquebitur, vinculis constringetur, eruentur illi oculi, tandemque pessima quaeque perpessus in crucem tolletur, ac tum demum cognoscet, non esse sed videri justum, concupiscendum esse.» 2)

Sufficere haec Glauconis videatur tam diligens ac copiosa in justitiam oratio, ut huic anteponenda ad vitae felicitatem injustitia existimetur. Socrati certe arduum fit, quod semel suscepit, negotium, justitiae patrocinium. Sed habet Adimantus, Glauconis frater, quae his subjiciat. « Satisne, quaerit, o Socrates, hac de re dictum putas? — Quid tandem? — Illud ipsum, inquit, quod dicendum maxime erat, nondum est dictum. — Ergo, reponit Socrates, quod dicitur vulgo, frater fratri adesto: quare tu, si quid hic praetermisit, adjuva: quamquam me, quae dicta sunt ab illo, vincere possunt atque efficere, ut defendere justitiam nequeam. Tum Adimantus: nihil dicis; sed et haec andi praeterea. Decet enim contrarios sermones inducere eorum, quos hic attulit, quibus laudatur justitia, injustitia vituperatur: quo manifestius fiat id, quod Glauco videtur velle. Praecipiunt scilicet patres filiis omnesque qui curam aliorum habent, oportere justum esse, non ipsam justitiam laudantes, sed summos, qui inde oriuntur, honores. Fingunt item poëtae cum aureum justorum saeculum, tum praeclaram eorum in sedibus beatorum post vitam felicitatem. Haec justis tribuunt, injustis vero de-

1) *De Rep.* II. 358. E. — 361. D.
2) *Eod.* 361. D. — 362. A.

decus, gravissimasque post vitam poenas. Praeter haec considera etiam, Socrates, aliud quoddam orationis genus, quo omnes, in primis poetae utuntur, ubi de justitia atque injustitia agunt. Universi enim uno ore canunt, boni quid temperantiam atque justitiam esse, difficile vero et laboriosum; intemperantiam vero et injustitiam, jucundum quidem et facile comparatu, opinione vero ac lege turpe. Caeterum injusta fere utiliora esse dicunt justis, ac malos homines, si divites sunt ac potentes, beatos praedicant, bonos, si imbecilles ac pauperes sunt, miseros vocant. Mirum autem maxime, quod de Diis ac virtute ajunt, Deos plurimis bonis hominibus infelicem vitam dedisse, malis vero felicem. Circulatores insuper et vates ad januas divitum accedentes, persuadent illis, se vim habere divinitus sibi concessam, ut si quod scelus sit perpetratum, expient illud et parvo quidem sumtu, tum etiam, si quis inimico sive justo sive injusto nocere velit, se id facere. Asserunt quippe, Deos se cum blandimentis, tum vinculis inducere, ut sibi in his obsequantur. Ad haec omnia poëtarum afferunt dicta, Homericum maxime:

— στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί. 1)

Libros adeo Musaei et Orphei circumferunt, secundum quos sacra celebrant, persuadentes non privatis solum, sed etiam civitatibus, expiationes scelerum per sacrificia ludorumque oblectamenta fieri tam viventibus quam mortuis; praetermissis vero sacrificiis, gravia nos manere. Haec omnia, o Socrates, talia ac tanta, de virtute ac vitio, deorumque et hominum de his existimatione feruntur; quid vero putemus acturos haec audientes juvenum animos, qui solertes ingenio et ad omnia dicta veluti involantes, ex iis quae dicuntur ratiocinari possunt, qualem eum esse deceat et quam viam ingredi, qui optime vitam agat? Sic facile quis loquetur secum secundum Pindarum: *arduamne ad justitiae arcem viam ingrediar, ut sic munitus recte vivam, an ad fraudes me obliquas convertam?* Nam, sicut ajunt, justo mihi, si non videar, nihil virtus proderit, contra labores et poenae instant; injusto vero, si justitiae speciem induero, vita futura divina est. Quapropter, cum species, ut ajunt sapientes, veritatem vincat atque ad beatam vitam unice valeat, huc me totum convertam. Veruntamen, dicat aliquis, haud facile est latere, ubi injustus fueris. At vero eorum, quae magna sunt et praeclara, nil est facile. Quapropter, si beati esse velimus, illuc tendendum, quo sermonum vestigia ferunt. Ut lateamus, conjurationes societatesque ineundae. Sunt item persuasionis magistri, quorum ope populo ac judicibus cum persuadebimus tum vim inferemus, ut nullas facinorum poenas luamus. Verum, inquit, Deos neque latere neque vi aggre-

1) *Il.* ί. vs. 496. Eurip. *Medea.* vs. 964. πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος.

di licet. Atqui, si aut non sint Dii aut res humanas non curent, nobis non curandum, ut lateamus illos; sin et adsint et homines regant, id non aliunde, quam e poëtarum earminibus cognovimus: dicunt autem iidem, posse Deos sacrificiis suavibusque precibus et muneribus flecti. Quibus vel utrumque credeudum est vel neutrum. Si credendum, injuste agere licet, si modo ex ipsa rapina Diis sacrificia offeramus. Nam si justi sumus, illaesi quidem a Diis erimus, sed lucra, quae per injustitiam comparantur, respuemus; injusti vero, divitias parabimus; sceleribusque perpetratis, illos precibus fleetentes, a poena liberabimur. Dicat tandem aliquis: apud inferos poenas dabimus eorum, quae hic injuste commiserimus, vel nos vel nati natorum. At, o bone, respondebimus, expiationes pro peccatis commissis multum valent, exorabilesque Dii sunt, ut maximae civitates affirmant ac Deorum filii, poëtae. Ergo quae ratio nos adducat, ut summae injustitiae justitiam anteponamus: quandoquidem, si injustitiam sub adulterina specie occultaverimus, et apud Deos et apud homines omnia nobis e sententia succedent, et viventibus et defunctis: quemadmodum multorum excellentiumque virorum testatur oratio? Ex omnibus jam dictis, o Socrates, quis crediderit, eum hominem justitiam velle colere, cui sit aliqua vis sive fortunae, sive opum, sive corporis, sive generis, ac non potius subrisurum, si laudari eam audiverit? Nulla autem alia horum omnium caussa est, nisi ea, unde haec tota oratio mihi et huic, o Socrates, adversus te profecta est: quoniam ex vobis, o mirifice, quicunque laudes justitiae profitemini, a priscis illis heroibus incipientes, de quibus aliqua exstat memoria usque ad nostros homines, nullus unquam aliter laudavit justitiam vel injustitiam vituperavit, quam ad gloriam muneraque vel poenas respiciens, quae ab illis proficiscuntur. Ipsum vero utrumque quid per se sua sponte agat in habentis animo latens Deos et homines, nullus unquam vel in poëmate vel in alio sermone enarravit, esse scilicet injustitiam maximum malorum, quae in sese habeat animus, justitiam vero maximum bonum. Si enim sic ab omnibus vobis fuisset a principio dictum, nobisque ab ipsa pueritia persuasum, non sane nos invicem prohiberemus ab injuria inferenda; sed unusquisque sui ipse custos esset, timens, ne injuste agens maximo malo laboraret. Haec, o Socrates, et plura fortasse Thrasymachus aut aliquis alius de justitia et injustitia, utriusque vim invertens, diceret, importune admodum, ut mihi videtur; sed ego, nihil abs te celari volens, cupiensque ex te audire contraria, quam maximo impetu ac fervore dixi. Ne ergo solum oratione demonstra, *ὅτι δικαιοσύνη ἀδικίας κρεῖττον· praestantiorem injustitiâ justitiam esse: ἀλλὰ τί ποιοῦσα ἑκατέρα τὸν ἔχοντα αὐτὴ δι᾽ αὑτὴν, ἐάν τε λανθάνῃ ἐάν τε μὴ θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, ἡ μὲν ἀγαθὸν, ἡ δὲ κα-*

κόν ἐστι· sed quid utraque efficiens in utroque, ipsa per sese, sive lateat deos hominesque, sive non lateat, altera bonum, altera malum sit.» 1)

Utriusque adolescentis de justitia sermonem, paucis exceptis, totum apposui. Nam ita dixerunt, me hercule, ut dubitem, num unquam exstiterit orator, qui hoc de argumento disertius, accuratius, copiosius dixerit. Quo accidisse videtur, ut locus hic de justitia et injustitia commune deinceps fieret oratoribus ac philosophis argumentum, in quo tractando aemularentur secum invicem. Quod cum aliorum, tum Carneadis ac Ciceronis exemplo probatur. Sed sunt in utraque oratione, quae nobis diligentius attendenda explicandaque videantur. Nam intelligimus inde, quantopere hae de justitia opiniones apud Graecos invaluerint passim: *ἀπορῶ*, ait Glauco, *διατεθρυλλημένος τὰ ὦτα, ἀκούων Θρασυμάχου καὶ μυρίων ἄλλων.* 2) Tum hoc inde ducimus simul, quam parum adhuc justitiae caussa Socratis aetate vindicata fuerit. Subjicit his Glauco: *τὸν δὲ ὑπὲρ τῆς δικαιοσύνης λόγον, ὡς ἄμεινον ἀδικίας, οὐδενός πω ἀκήκοα ὡς βούλομαι.* Adimantus autem sic statuit, omnium, qui adhuc scripserunt, neminem unquam aliter cum laudasse justitiam tum injustitiam vituperasse, quam gloriam, honores atque munera, quae ab illis proficiscuntur, respicientem: ipsum vero utrumque suapte natura quid agat in habentis animo latens deos et homines, nullum unquam vel poëmatis vel alio sermone satis enarravisse, ut pateret, injustitiam maximum esse malorum omnium, quotcunque in se haberet animus, justitiam vero maximum bonum. 3) Sed illud in primis nobis in Adimanti sermone animadvertendum est, quod de vindicibus dixit justitiae, hos ipsos ei quam maxime fere nocere, qnum felicitatis cujusdam spe et opinione traducendos ad eam homines esse dicunt. Illorum non unum recenset, ut vidimus, genus. «Sunt, ait, qui famae, honorum, divitiarum causså justitiam celebrent: haec enim esse integrae justaeque vitae praemia. Alii tam difficile negotium esse dicunt justitiam, tam facile tantisque illecebris commendatum injustitiam, ut ad hanc alliciant homines, ab illa absterreant. Accedit leve maximeque noxium mortalium genus eorum, qui peccantibus persuadent, peccatorum esse remedia, siquidem et ipsis pecunias, et diis, quorum ministri sunt, munera et sacrificia largiri velint. Omnes hi, dixit, quamvis a se invicem diversi, in eo conveniunt, ut nec justitiam propter se ipsam esse expetendam dicant, et felicitatem longe a justitia esse separatam, imo vero voluptatibus sensuum atque aeternâ ebrietate contineri ferant.» Haec autem,

---

1) *De Rep.* II. 362. E. — 367. E.
2) *Eod.* 358. C.
3) *Eod.* 366. E.

quae nos docuit de moribus Graecorum Adimantus, reputantes, cernimus, quae vitia nos quamque superstitionem tribuere fere aetati nostrae barbarae, quae medio aevo cernitur, solemus, propria baec pariter antiquis Graecis fuisse: cernimus item, quantopere iccirco temporibus illis in Graecia talis desideraretur, qualis Socrates fuit, philosopbus, qui *exsecrari solebat*, ut ait Cicero, *illos, qui primum haec naturâ cohaerentia, utilitatem et honestatem, opinione distraxissent.* 1) Cernimus tandem, quantum negotii susceperit Plato, quum, eâdem illâ Politiâ conscribendâ, justitiam per se ipsam sufficere ad bene beateque vivendum, demonstrare niteretur.

Quid in animo hominis justitia est?

Sed de opinionibus moribusque sopbistarnm, imo Graecorum, diximus satis, ut, quales illi sint et quid sibi velint, quibuscum nobis agendum erit, perspectum habeamus. Accedendum igitur illuc est nobis, quo et ipsi ab initio tetendimus et Adimantus nos deinceps itemque Glauco propius adduxit, ut, quid in animo nostro justitia sit, quidque illic praesens in nos efficiat, attendamus. Cujus rei quae sit et quanta cum gravitas tum difficultas, penitus percepit Plato. Socratem, ut finem disserendi uterque juvenis fecit, sic eos alloquentem induxit. «Non male in vos, filii illius viri, principium elegorum carminum amator Glauconis scripsit: qui, cum in Megarensi proelio fortiter pugnavissetis, illud usurpavit:

παῖδες Ἀρίστωνος, κλεινοῦ θεῖον γένος ἀνδρός·

filii Aristonis, inclyti viri divinum genus. Id mibi, amici, recte dictum videtur. Nam divinum plane vobis accidit, si vobis non persuaseritis, injustitiam justitiae praestare, cum sic pro illa dicere possitis. Videmini autem mihi id vobismet ipsis non persuasisse: conjecturam capio e vestris moribus: quoniam secundum orationem ipsam vobis minime credidissem. Quo autem magis credo, eo magis, quo me vertam, ambigo. Nam quomodo adjuvem, nescio: videor enim non posse: neque rursus, quomodo succurram, invenio: *δέδοικα γὰρ, μὴ οὐδ' ὅσιον ᾖ παραγενόμενον δικαιοσύνῃ κακηγορουμένῃ ἀπαγορεύειν, καὶ μὴ βοηθεῖν ἔτι ἐμπνέοντα καὶ δυνάμενον φθέγγεσθαι· vereor enim, ne impium sit, ut, qui justitiam coram vituperari audit, subterfugiat: nec pro ejus defensione verba faciat, quamdiu spirare et loqui conceditur:* praestat igitur eam pro viribus propugnare.» 2) Quae cum Socratem dicentem

---

1) Cic. *de Off.* III. 3.
2) *De Rep.* II. 368. A — C.

faceret Plato, quin suos ipse de re sanctissima intimos sensus expresserit, nemo, qui haec legit, in dubium vocaverit.

Justitiae exquirendae caussâ civitas fingitur.

Ergo quo facilius aptiusque gravissimum argumentum idemque difficillimum explicaret, iter ingressus Plato est disquisitionis, quod haud scio, an nunquam a philosopho tentatum, nedum confectum sit. Cum in singulari homine, quid justitia sit, non appareat, continuo in civitatem nos inducit, in qua nos eam, quippe in majore atque ampliore negotio, celerius certiusque inventuros arbitratur. Haec nova est illa disquirendi ratio, quae, ut in prooemio significavimus, una cum morali doctrina, politicam nobis recludet: idque effectura est, ut in civitate hominem, in homine civitatem et agnoscamus et exploremus. Quamquam id raro et vixdum, quod mirum nobis accidat necesse est, animadverterunt philosophiae Platonicae interpretes. Longi sunt fere in judicanda republica Platonica, quam vel laudant admiranturque vehementer vel reprehendunt; quo vero proposito eam finxerit auctor, quidque in perficiendo proposito, ad moralem in primis disciplinam recte dilucideque exponendam, perfecerit simul, non quaerere magnopere solent. Id autem exquirendum in primis erat, ut nec temere admirarentur rempublicam illam, et vero, si reprehenderent, justa de caussa reprehenderent. Quo magis nos, qui nostrum esse putamus, non laudare vel culpare Platonem, sed *interpretari*, rationem interpretandi, quam adhuc sumus secuti, tenebimus in his praesertim, ut aditum praebeamus lectoribus ad intelligendum judicandumque Platonem: facturi id autem hic potissimum videmur, ubi Socratem iis proposuerimus una cum Glaucone et Adimanto, generosissimis adolescentibus, cum condentem sermonibus civitatem, tum exquirentem in ea, ubinam lateat, quidque sit, justitia. Opportunitates autem nobis sponte exsistent identidem, quibus haec cum ex moribus antiquitatis, tum ex aliorum philosophorum doctrinis, tum vero maxime ex ipsius Platonis sive placitis sive philosophandi ratione illustremus.

Initia civitatis. Undenam repetenda sunt?

Quum igitur rogassent Socratem Glauco et Adimantus caeterique qui aderant, ut quocunque posset modo spretae rejectaeque justitiae succurreret, sic exorsus ille est. «Non leve profecto negotium quaestio haec de justitia est, sed hominis acute cernentis. Nobis autem, cum non magnopere acuti solertesque simus, sic instituenda ejus explicatio vide-

tur, prouti si quis homines non acute cernentes literulas quasdam parvulas, magno distantes intervallo, legere juberet: hi si forte easdem literas alio loco majores atque in majore spatio scriptas exstare deprehendissent, optime sibi consultum existimarent, ut, primum his lectis majoribus, deinde minores illas legere instituerent.» Quod sic deinceps Socrates ad rem praesentem interrogando adhibet. « Uniusne tantum hominis, quaerit, an vero civitatis etiam justitiam esse dicimus? — Etiam civitatis, reponit Adimantus. — Civitas autem nonne uno homine major est? — Est omnino. — Justitia igitur amplior in majore inest, faciliorque est cognitu. Quare, si vultis, prius quaeramus in civitatibus quidnam sit, tum id in singulis hominibus consideremus, majoris similitudinem in minoris specie contemplantes. — Scite mihi loqui videris. — Si igitur civitatem oratione constitutam conspiceremus, justitiam quoque ejus et injustitiam videremus? — Fortasse. — Id autem si apparuerit, spes erit fore, ut id, quod quaerimus, facilius cognoscamus? — Maxime. — Id igitur aggredi oportet: non enim leve illud negotium est.» 1) — Tum Socrates opus hoc permagnum suscipiens, de initiis quaerit civitatis. Et continuo quidem ab *indigentia* illa repetit. « Unusquisque enim nostrum, ait, non sibi sufficiens est, sed multorum indiget. Quamobrem, cum alii sibi alios ad alia negotia adjungant, multos in unam habitationem adjutores congregabunt: inde universorum coetus, quem urbem appellamus. Constabit ille autem continuo quatuor vel quinque viris. Nam prima et omnium maxima indigentia praeparatio *victûs* est, ut et simus et vivamus, secunda *habitationis*, tertia *vestitûs* cura. Agricolâ iccirco nobis opus erit, tum aedificatore, porro textore, coriario aliisque, qui corpori tuendo vacent. In his autem illud teneamus, singulis illis hominibus non sibimet solum, sed universis prospiciendum esse. Nam primum, non similes sunt omnes naturâ, sed aliis alia est ad alia negotia indoles. Deinde singuli singulas artes melius excolent, quam unus universas. Praeterea non data opportunitate quis, sed id unum agens, rem perficiet recte: non enim quod faciendum est facientis otium exspectare vult. 2) Non igitur quatuor aut quinque, sed pluribus opus est civibus ad ea, quae diximus, peragenda. Haud enim agricola aratrum ac caetera agriculturae instrumenta sibi conficiet: neque vero aedificator: multis enim et huic opus est: idemque de textore et coriario dicendum. Fabri igitur atque omnis generis artifices oppidulum nostrum frequens incolis efficient. Accedent autem illis bubulci, opiliones, pa-

1) *De Rep.* II. 368. E. — 369. B.

2) Similiter Demosth. *Phil.* I. 13. *οἱ τῶν πραγμάτων καιροὶ οὐ μένουσι τὴν ἡμετέραν βραδυτῆτα.*

stores, ut et agricolae ad arandum bobus, et architecti ad convehendam materiam jumentis, et textores ad rem vestiariam pellibus ac lanis utantur. Verum ne sic quidem sufficiet sibimet ipsa civitas: desiderabit, quae aliis in locis exstant: esse igitur mercatores aliosque ministros oportebit, qui invehant, itemque evehant singula: quodsi maritima insuper mercatura requiritur, esse insuper oportebit, qui harum siut rerum gnari. Caeterum et forum adsit necesse est in media urbe, et hominum genus, quod, ad alia negotia inutile, emendo vendendoque occupabitur, et vero mercenariorum multitudo, quae civitatis erit complementum.» 1)

Hîc Socrates, conditâ jam quodammodo civitate, ex Adimanto quaerit: «itane vero, Adimante, aucta jam nobis civitas est, ut perfecta dici possit?» Quod cum non negaret ille, Socrates denuo «ubinam jam, inquit, in ea esse justitia et injustitia videtur et quanam cum re simul in eam inducta?» Id vero Adimantus nondum sibi apparere fatetur: «nisi forte, inquit, *ἐν αὐτῶν τούτων χρείᾳ τινὶ τῇ πρὸς ἀλλήλους· in mutuo eorum, quas diximus, usu exstet.*» Quod cum esset suspicatus, Socrates considerandum hoc ait diligenter esse, nec studio remittendum. Quaerit igitur de vitae genere. «Nonne cibos, ait, vinum, vestes, calceos, aedes parantes, aestate fere nudi, hieme vero vestibus induti, operi incumbent? Nutrientur autem, ex hordeo et frumento farinam, iudeque praeclaras placentas conficientes, ipsique in lectis ex herbis, smilace atque myrto factis, discumbentes, una cum liberis comessabuntur, vinum gustantes subinde, atque ita coronati deosque celebrantes jucunde vivent?» Hîc vero Glauco Socratem excipiens «atqui tu, inquit, sine obsonio viros epulantes fingis. Cui Socrates, recte mones, reponit. Haud memineram, habituros eos esse obsonium, sal, oleas, caseum, bulbos. Imo vero olera iis apponemus et bellaria ficorum, cicerum, fabarum: baccas praeterea myrti ad ignem torrebunt, bibentes identidem, et sic quidem vitam in pace sane et incolumes degentes, senio confecti talem deinceps vitam posteris suis relinquent. Ad haec autem Glauco, *εἰ δὲ ὑῶν πόλιν, ὦ Σώκρατες,* inquit, *κατεσκεύαζες, τί ἂν αὐτοὺς ἄλλο ἢ ταῦτα ἐχόρταζες; si porcorum, o Socrates, civitatem instituisses, quibus eos aliis cibariis saginasses?*» Quod cum subito dixisset, efficit inde continuo Socrates, duplex jam repertum ab ipsis esse civitatis genus, alterum simplicis ac temperantis, luxuriosae alterum. 2)

Lectis hisce perceptisque animo, quae de initiis civitatis Plato tantâ tamque admirabili suavitate ac diligentiâ exposuit, quaerat fortasse quis-

---

1) *De Rep.* II. 369. B. — 371. E.
2) *Eod.* 372. A. — D.

piam de rebus gravissimis, quas attigit: veluti de *principio civitatis:* e quonam maxime ille haec initia dnxerit: sitne illud, ut hinc patere videatur, *ἔνδεια, indigentia hominis*, sen utilitatis propositum, an aliud quoddam: tum etiam de *statu naturae:* finxeritne aliquem Plato, pro- uti recentiores fecerunt politici, ut hinc repeteret civitatis omnisque politicae rationem. Nobis vero de his quaestionibus, gravissimis sane latissimeque patentibus, hîc nondum agere vacat. Condere civitatem, opus haud sane exiguum, coepimus: hanc prius absolvere totam, quam *politicam* Platonis aggrediamur, oportebit. Scd de hoc ipso Platonis perfectae condendae civitatis consilio nonnihil hîc juvat animadvertère. Fuerunt, uti diximus, quam plurimi, qui reprehendcrent hoc philosophi propositum, confundentes scilicet cum viro divino et propemodum singulari turbam illam philosophorum, quornm tam proposita, qnam placita, aegri fuerunt capitis somnia. Nobis jam ex iis ipsis, quae hactenus in ejus *Politia* legimus, apparet, quo maxime consilio ille hoc opus scripserit. Nam cernimus, justitiae beataeque vitae exquirendae caussâ fictam in eo a Platone civitatem esse, non id spectasse proprie auctorem, ut *perfectam* nobis contemplandam rempublicam daret. Apponere jam simplici huic et sobriae civitati luxuriosam coepit: id vero quo consilio, cur ita continuo aggressus videatur, nisi ut tam injustitiam quam justitiam, cum in civitate, tum deinceps pariter in homine investigaret? Proponere autem nobis sobriam illam quam *perfectissimam* studuit, quo facilius in ea cernere justitiam possemus. Scilicet, ut in hominibus, ita in civitatibus quibusqne perfectissimis virtutes elucent clarissime. Sed his ita animadversis, age, ad opus illud nostrum redeamus. Quaerendum nobis porro est, quales esse oporteat civitatis nostrae custodes, quaque sint a teneris institutione excolendi.

Civitatis custodes. De recta eorum per musicam et gymnasticam institutione.

Nam ut increvit, pronti vidimus, et numero et varietate hominum civitas, bellique inde opportunitates apparuerunt, custodibus videt Socrates opus esse, qui tam *humanitate*, quam *fortitudine* excellant. Quae naturae dotes virtutesque quum raro in hominibus conjunctae reperiantur « putasne, quaerit, generosi canis et juvenis generosi naturam ad custodiam agendam differre? Cui Glauco, quale istud dicis? Veluti, inquit, utrumque esse oportet cum sagacem ad sentiendum, tum velocem ad insequendum, tum vero, ubi assecutus fuerit, ad pugnandum robustum. — Opus certe est omnibus illis. — Atqui fortis sit oportet, siquidem bene pugnaturus sit. — Quidni? — Fortisne autem et audax erit, qui iracundus, *θυμοειδής*, non sit, sive equus sive canis sive quodvis

aliud animal? Nonne animadvertisti, inexpugnabilem invictamque esse iram, qua praesente, animus ad omnia intrepidus est et invictus? — Animadverti. — Patet igitur, qualem corpore custodem esse deceat? — Patet. — Quin etiam, qualem animo, nempe iracundum? — Hoc item. — Quomodo igitur fiet, o Glauco, ut non asperi sint et agrestes adversus se invicem civesque caeteros, cum tali sint natura praediti? — Haud facile istud, per Jovem. — Verumtamen oportet illos erga suos mansuetos, adversus hostes autem feros esse: caeteroquin non exspectabunt, donec ipsos alii perdant, ipsi semet ipsos perdent. — Vere dicis. — Quid igitur faciemus? Ubinam mansuetum simul et iracundum ingenium reperiemus? Contraria enim iracundae naturae natura mitis apparet. — Apparet. — Verum qui alterutro horum carebit, custos bonus non erit: ut vero utrumque habeat quis, fieri non posse videtur: 1) quo fit, ut bonus custos inveniri non possit. — Videtur.» Hic vero Socrates haesitans secumque superiora animo reputans « merito, inquit, dubitamus, amice: nam ab ea, quam supra induximus, comparatione digressi sumus. — Quo pacto id ais? — Nonne invenimus, tales esse quasdam naturas, quales minime putaveramus, habentes haec simul in se contraria? — Ubinam? — In aliis hoc animalibus videre licet, non vero minime in eo custode, quocum nostrum custodem comparabamus. Nosti enim, generosi canis hunc naturâ morem esse, ut ergà familiares et notos mitissimus sit: contra vero erga ignotos. — Novi. — Fieri iccirco potest, nec praeter naturam est quod quaerimus, ut talis sit custos. — Non est sane. — Nonne vero praeterea opus tibi esse videtur, ut qui bonus futurus sit custos, ad iracundiam illam adjungat, ut naturâ *φιλόσοφος* sit? — Quomodo istud ais? non enim intelligo. — Atqui et hoc in canibus animadverteris, quod quidem in bestia dignum admiratione est. — Quale istud? — Quem enim ignotum viderit, graviter fert, etsi nihil mali ab eo sit perpessus: noto vero blanditur, quamvis nihil ab eo acceperit. Nondumne hoc admiratus es? — Haud magnopere id adhuc animadverti: facere id autem illum, manifestum. — Hoc autem in ejus natura praeclarum videtur et vere *φιλόσοφον*. — Qua ratione? — Quoniam adspectum nulla re alia amicum et inimicum discernit, quam quod hunc novit, illum ignorat. Quidni autem discendi studium probet, cognitione et ignorantiâ proprium et alienum discernere? — Probat. — Atqui discendi studiosum esse et *φιλόσοφον*, idem est. — Idem. — Audacter iccirco de homine item statuamus, si erga familiares et notos mitis futurus est, naturâ ipsum philosophum esse et

---

1) Graece: *ταῦτα δὲ ἀδυνάτοις ἔοικε.* Haec autem corrupta. Supplevi: *ταῦτα δὲ ἀμφότερα ἔχειν, ἀδυνάτοις ἔοικε.*

discendi cupidum oportere. — Statuamus. — Ergo philosophus et iracundus et velox et robustus naturâ erit, qui civitatis custos optimus est futurus. — Sic est omnino.» 1)

Fictis in hunc modum optimae civitatis custodibus, optimam iis Plato perfectamque educationem adhibuit. Id autem incredibili studio ac diligentiâ peregit. Nam civitas apud eum non hominum est multitudo, una in urbe communiter viventium, nec vero urbs est, moenibus cincta, arce munita, instructa portubus, templis denique et aedificiis ornata: *civitas* est, *civium* constans mutuâ conjunctione, quorum *moribus* invalescit vigetque maxime. In condenda igitur civitate, ut antiquorum ferebat legislatorum consuetudo, mores unice respexit civium: rectius autem his prospicere non poterat, quam eximium in modum excolendis iis, qui fortitudinis, imo vero humanitatis et solertiae caeteris essent civibus exempla futuri. Itaque antiquitus Lycurgus atque ante Lycurgum Minos has in primis leges suae uterque civitati dederant, quae eaedem esse optimae viderentur institutionis normae; factumque ita fuerat, ut custodibus suis Sparta tantam, quantam nacta est, gloriam deberet maxime. Quid dicam de Thebanis? Apud quos cohors illa sacra exstitit, juvenibus constans generosissimis, qui, mutuo amore conjuncti, pro patria et civibus mori quam turpiter vivere maluerunt. Horum pariter moribus Thebae et gloriam suam et salutem adeo aliquoties acceptam retulerunt. Quamobrem Plato, quum civitatem fingeret perfectam, quum hoc proposito, hac spe fingeret, ut cum caeteris virtutibus *justitia* in ea pateret dilucide, nil habuit antiquius, quam ut custodes ei et optimos e caeteris eligeret et perfecte eos per musicam et gymnasticam informaret.

Quo jam deinceps apud eum Socrates progressurus, civitati recens natae excolendae philosophiam pulcri adhibet, ut per artes, quae pulcri amorem in animo excitant, in primis per musicam, artium omnium longe principem, hunc ipsum pulcri amorem in custodibus excitet: adjicitque gymnasticam musicae, vindicibus civitatis, ut armis eam naviter propugnent, si quid aliud, necessariam. Nobis quidem illa hoc loco non nova accident. Exposita jam magnam partem sunt, quum in ipsa versabamur philosophia pulcri; veruntamen reminisci eorum, quae tum de artibus maximeque de musica accepimus, hic non ingratum fuerit: et vero quae tum unice de singularibus hominibus excolendis diximus, nunc in universam civitatem applicaturi sumus: eritque nobis vis attendenda praecipue, quam ad mores civium integros servandos artes habere in civitate oporteat.

1) *De Rep.* II. 375. A. — 376. C.

De artium in civitate, ad ipsam recte excolendam, vi et auctoritate.

Nam musicae quidem Plato hanc tribuit in rem publicam vim et auctoritatem, ut pronunciare haud vereretur *εἶδος γὰρ καινὸν μουσικῆς μεταβάλλειν, εὐλαβητέον, ὡς ἐν ὅλῳ κινδυνεύοντα· οὐδαμοῦ γὰρ κινοῦνται μουσικῆς τρόποι ἄνευ πολιτικῶν νόμων τῶν μεγίστων· ne novam inducamus musicae speciem, cavendum, quippe vertitur in eo rerum summa: nusquam enim musicae modi mutantur, quin mutentur simul leges civitatis gravissimae.* 1) Quod placitum Platonis, utpote a moribus nostris et politicis institutis alienum plane et abhorrens, multorum et mentem advertit recentiore aetate et vero studium excitavit vehementer, ut probabiliter id ex antiquitatis ratione explicarent. Nobis explicari idem placitum facillime posse videtur, siquidem ipsum ei Platonem interpretem adhibuerimus. Nam *musicae* nomine Socrates apud illum omnem complectitur poësin: poësin autem ad res sacras, ad hymnos, quibus Dii celebrantur, ad fabulas antiquas, quae hymnis caeterisque carminibus continentur, quarumque vis magna est cum ad excolendum tum etiam ad corrumpendum puerorum animum: ad haec igitur, quae tantam vim in utramque partem ad mores formandos habent, refert maxime. Quodsi moribus unice, de ejusdem sententia, stat civitas, quantum efficere ad eam commovendam evertendamque hujuscemodi musicae corruptio debeat, intelligimus sponte. Sed ipsum audiamus Socratem.

Indole igitur verissimi custodis descriptâ definitâque «talis igitur, ait, custos nobis esto. Quem vero in modum educandi illi erunt et instituendi? Quae sane disquisitio conferet magnopere ad illud, quod spectamus, perspiciendum, qua ratione in civitate justitia et injustitia oriantur. Hîc frater Glauconis, vero, inquit, et, me quidem judice, maxime illuc conferet. Cui Socrates, per Jovem igitur, mi Adimante, non desistendum nobis erit, etiamsi longior futura disquisitio sit. — Minime vero. — Age igitur, quemadmodum in fabulis otium agentes confabulantesque, oratione hos homines instituamus. — Sic decet. — Quae igitur erit disciplina? Haud facile melior reperiatur illâ, quae a longo inde tempore reperta est: est autem, quod ad corpus attinet, gymnastica, quod ad animum, musica. — Est sane. — Nonne a musica prius quam a gymnastica disciplina ducenda? — Certe. — Musicam dicens, nonne sermones intelligis item? — Intelligo. — Sermonum autem duplex genus est, alterum verum, falsum vero alterum. — Est ita. — Instituendum utroque est; prius autem falso. — Id non intelligo. — Tu vero

---

1) *De Rep.* IV. 424. C.

non intelligis, pueris nos primum fabulas narrare? hae autem, ut universe dicam, falsae sunt: insunt tamen etiam vera; prius autem fabulis ad pueros, quam gymnasiis utimur. — Est, ut dicis. — Hoc ergo volebam, cum dicerem, tractandam prius esse musicam, quam gymnasticam. — Recte. — *Οὐκοῦν οἶσθ' ὅτι ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον, ἄλλως τε καὶ νέῳ καὶ ἁπαλῷ ὁτῳοῦν; μάλιστα γὰρ δὴ τότε πλάττεται καὶ ἐνδύεται τύπος, ὃν ἄν τις βούληται ἐνσημήνασθαι ἑκάστῳ· an nescis, in unaquaque re principium omnium esse maximum, praesertim juveni et tenero cuique? maxime enim tum fingitur induiturque forma, quam quis unicuique imprimere velit.* — Omnino. — Facilene igitur sinemus, quaslibet fabulas a quibuscunque fictas audire pueros, animisque imbibere opiniones ut plurimum contrarias illis, quas, cum adoleverint, habere illos debere existimamus? — Nullo id modo sinemus. — Primum igitur, ut videtur, fabularum auctoribus imperandum est, et, si quam fabulam bonam fecerint, adsciscendum, sin contra malam, rejiciendum est: tum etiam, quas adsciverimus, per nutrices et matres pueris narrandas curabimus, *καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν τοῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσίν ut ipsorum animos fabulis multo magis informent, quam corpora manibus.*» 1) His dictis longam deinceps Socrates de fabulis cum Hesiodeis, tum Homericis disquisitionem subjecit, illas rejiciens maxime, quae moribus sanisque de divina natura opinionibus noceant: denique *τύπους* indicat, ad quos poëtarum exigere carmina jubet, ut, quae conveniunt illis, admittantur, quae non conveniunt, repudientur. Tam late iccirco musica, de sententia Platonis, per totam civitatem patet.

De placito Platonis, mutata musicae ratione, ipsam mutari ac commoveri civitatem.

Nec vero nunc dubitaverimus magnopere, quid Plato voluerit, quum tantam, quantam diximus, musicae in civitatem vim et efficacitatem tribueret. Respexit fabulas sacras et populares, quibus sic puerorum animi, ut manibus eorum corpora, fingebantur. Tragoediam respexit et comoediam, musica spectacula, sed quae, ut ipsae fabulae, ad sacra referebantur proxime, eoque magis spectantium animos movebant, quo plenius mores varios imitando exprimebant. Sed praeterea et vero potissimum ipsius vim musicae respexit, quae una artium omnium maxime ad *εὐαρμοστίαν* quandam et *εὐρυθμίαν* hominem componit, caeterisque artibus, ut idem efficiant, veluti exemplum praebet. Praeclaras Platonis

1) *De Rep.* II. 376 D. — 377 C.

hac de re sententias supra attulimus 1): hic vero nobis effatum philosophi, quod omnium gravissimum est, attendendum in primis videtur. Est illud hujusmodi. « *Τὸ δὴ φυλακτήριον*, ait, *ἐνταῦθά που οἰκοδομητέον τοῖς φύλαξιν, ἐν μουσικῇ. Ἡ γὰρ παρανομία ῥᾳδίως λανθάνει παραδυομένη· — κατὰ σμικρὸν εἰσοικισαμένη, ἠρέμα ὑπορρεῖ πρὸς τὰ ἤθη τε καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα· ἐκ δὲ τούτων εἰς τὰ πρὸς ἀλλήλους ξυμβόλαια μείζων ἐκβαίνει· ἐκ δὲ δὴ τῶν ξυμβολαίων ἔρχεται ἐπὶ τοὺς νόμους καὶ πολιτείας σὺν πολλῇ ἀσελγείᾳ· ἕως ἂν τελευτῶσα πάντα ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἀνατρέψῃ· arx igitur ad mores propugnandos bonos hic condenda custodibus nostris est, in musica. Nam legum negligentia morumque pravitas clam et facile surrepit: sensim paulatimque in res familiares se insinuans, in mores serpit et studia, ex his deinceps ad mutua commercia procedit, magis magisque ingravescens, tum pervenit hinc ad leges et respublicas magna cum petulantia et lascivia, donec tandem privatim publiceque omnia pervertat.*» 2)

De gymnastica custodum educationi recte adhibenda.

Tali igitur cum musicae tum caeterarum artium studio vigebit civitas, quam condere coepimus, eoque magis et vigebit et perfecta moribus erit, quo diligentius custodes nostros, quos praeire caeteris civibus decet, sic instituerimus. Sed musicae accedat gymnastica oportet. Hac enim a teneris per totam deinceps vitam exercitandi erunt. « Id autem, ait Socrates, ita se habet quodammodo, ut opinor: animadverte et tu: *ἐμοὶ μὲν γὰρ οὐ φαίνεται, ὃ ἂν χρηστὸν ᾖ σῶμα, τοῦτο τῇ αὑτοῦ ἀρετῇ ψυχὴν ἀγαθὴν ποιεῖν, ἀλλὰ τοὐναντίον, ψυχὴ ἀγαθὴ τῇ αὑτῆς ἀρετῇ σῶμα παρέχειν ὡς οἷόν τε βέλτιστον· mihi enim non videtur quod bene se habet corpus, hoc sua virtute animum efficere bonum, sed contra, bonus animus sua ipse virtute corpus, quoad ejus fieri potest, optimum reddit.* Tibi vero quid videtur? — Idem sane ac tibi 3). — Ergo rite cum musicâ temperanda gymnastica erit, nec vero ita existimandum, ut vulgo existimant, quasi altera harum artium corpus, altera animum solummodo spectet. Videtur utraque animi in primis caussâ tractanda esse. — Quo pacto? — An non vides, qua sint mentis con-

---

1) *Initia* p. 87.

2) *De Rep.* IV. 424. D. Totum hunc locum de musicae in civitatem vi plene explicuit *Den Tex disp. de vi musices ad excolendum hominem*, praesertim p. 34 et 132.

3) *Eod.* III. 403. D.

ditione, qui multam per totam vitam gymnasticae operam dederunt, nullam vero musicae, tum etiam illi, qui contra fecerunt? — Qua de re dicis? — De rudi duraque eorum conditione ac de caeterorum mollitie. — Novi equidem, eos, qui sola utuntur gymnastica, agrestiores, qui autem unâ duntaxat musicâ, molliores, quam decet, fieri. - Atqui iracunda illa naturae vis ferocitatem gignat: quae recte exculta, fortis sit, nimis autem intensa, ferox et dura evadat. — Sic mihi videtur. — Quid vero? mansuetudinem non habeat philosopha animi natura? quae nimis remissa, mollior, quam decet, erit, recte autem exculta, mansueta ac modesta? — Est ut dicis. — Dicebamus autem, custodibus nostris utramque naturam inesse debere. — Diximus. — Nonne congruere inter se et concinere oportet? — Quidni? — Animus ejus, in quo haec consonant, temperans est et fortis? — Omnino. — Ejus vero animus, in quo dissonant, timidus et agrestis? — Et maxime quidem. — Ergo quicunque musicam sinit per aures, tanquam infundibula, in animum suum infundere, quas modo diximus, suaves, molles ac flebiles harmonias, atque aetatem suam in cantibus animum deliuientibus consumit, is primum quidem, si quid iracundi habebat, tanquam ferrum, emollit atque utile ex inutili duroque efficit; idem vero, ubi non cessat, sed mulcere ac delinire pergit, animum tandem totum liquefacit ac resolvit, donec vim omnem et iram sustulerit et veluti nervos exciderit animi, eumque, ut apud Homerum est, *μαλθακὸν αἰχμητὴν, mollem pugnatorem* effecerit 1). — Sic est omnino. — Quodsi quis contra, musicâ et philosophiâ neglectâ, gymnasticae sese totum tradit, primum is firmum corporis habitum consecutus, animi viribus ac magnitudine invalescit, fortiorque quam fuerat evadit: idem vero, ubi nil aliud agit atque ab omni plane alienus musicâ est, nonne, si quod fuerat in ejus animo discendi studium, vi id suâ destituetur fietque surdum ac coecum, quippe cum nullam degustet disciplinam nec ullius sit disquisitionis aut ratiocinationis particeps, hebescant vero sensus, non excitentur, colantur, purgentur. — Sic plane. — A ratione igitur talis homo omnique cultu, qui musicae debetur, abhorrebit, nulla in sermonibus persuasione utetur, sed vi et agresti immanitate, ferae cujusdam instar, ad omnia agitabitur, inque inscitia et ruditate sine concinnitate ac gratia vivet. — Omnino. — Ad haec igitur duo, ut apparet, artes duas crediderim deum aliquem hominibus tribuisse, musicam et gymnasticam, ad iracundam nempe hominis et philosopham naturam, non ad animum et corpus, nisi per opportunitatem aliquam; sed ad illud, ut consonarent inter se, quatenus deceat, intensa atque remis-

---

1) *Il.* ρ' 588.

sa.' — Sic apparet. — *Τὸν κάλλιστ' ἄρα μουσικῇ γυμναστικὴν κεραννύντα καὶ μετριώτατα τῇ ψυχῇ προσφέροντα, τοῦτον ὀρθότατ' ἂν φαῖμεν εἶναι τελέως μουσικώτατον καὶ εὐαρμοστότατον, πολὺ μᾶλλον ἢ τὸν τὰς χορδὰς ἀλλήλαις ξυνιστάντα. — Εἰκότως γ', ὦ Σώκρατες eum igitur, qui pulcerrime cum musica gymnasticam temperat atque optime utramque animo adhibet, rectissime hunc perfectum musicum sibique ipsum concinentem dicamus, multo sane magis, quam si quis chordas scit temperare. — Et merito quidem, o Socrates.* » 1)

Quo magis ita adumbrandâ Platonis civitate progredimur, eo patet nobis dilucidius, arcte ejus politicam cum morum doctrina conjunctam esse. Quae communis fuit universae antiquitatis sententia. Et vero,

quid leges sine moribus
vanae proficiunt ? 2)

Sed cernimus ita simul, totam philosophi de pulcro, de bono ac de artibus philosophiam tantum abesse, ut theoretica sit uniceque philosophis relinquenda, ut ad res civitatis gravissimas, ad ipsam firmandam legum auctoritatem valeat. Quod dicto recte expressit Xenocrates. Nam, ut apud Ciceronem est, cum quaereretur ex eo, quid assequerentur ejus discipuli, respondisse fertur, *ut id suâ sponte facerent, quod cogerentur facere legibus.* 3) Sed illuc spectat Platonis potissimum *περὶ τοῦ ὄντος*, de vero, de disciplinis ac de mundo *νοητῷ* philosophia. Explicuimus eam, postquam de artibus, in primisque de musica dixeramus satis, vidimusque referri eam proprie ad recte excolendum erudiendumque hominem. Hîc autem patebit nobis, destinatam eandem ab auctore maxime esse ad acuendum informandumque eorum ingenium, qui reipublicae, quam finxit, gubernaculo essent adhibendi. Quod ubi ex ipsa philosophi doctrina exposuerimus, haud mirabimur sane, sic de reipublicae rectoribus pronunciasse Platonem, ut finem futurum malorum in civitatibus negaret, anteaquam vel philosophi eas regerent, vel qui nunc eas regunt, philosophi essent facti. Sed nobis, ut ordine procedamus, primum de rectoribus civitatis, quemadmodum eligendi instituendique sint, agendum videtur.

De rectoribus civitatis.

Eligendi e custodibus sunt, ipsique erunt in primis *custodes* 4): delectum autem facere accurate oportet. Nam haud fuit Plato ex illorum

1) *De Rep.* III. 410. C. — 412. A.

2) Horat. *Od.* III. 24, 36.

3) Cic. *De Rep.* I. 2.

4) Itaque *κατ' ἐξοχὴν* vocantur *φύλακες*, caeteri *ἐπίκουροι*. *De Rep.* III. 414. B.

genere philosophorum, qui paria esse naturâ hominum ingenia statuerent, diversitatem autem ex diversa institutionis ratione ducerent. Rem adeo Socratem vetere quadam traditione illustrantem fecit. Persuadere custodibus illud, ait, debemus, quod a Phoenicibus accepimus, nostram institutionem nihili esse, ipsos vero reapse aliquando sub terra fuisse informatos, indeque deinde dotibus quosque suis in lucem prodiisse. « Estis igitur, sic eos sumus allocuturi, omnes *fratres* inter vos, quippe terram communem habentes matrem, quam communibus studiis viribusque defendetis; sed Deus, qui vos finxit, quotquot vestrum ad imperandum apti essent futuri, aurum in eorum generatione admiscuit: quapropter honoratissimi sunt: illis autem, qui ad opitulandum custodiendumque, argentum: ferrum denique atque aes agricolis et opificibus. Vos igitur, quippe cognati omnes, plerique generabitis, qui vobis sint similes; eveniet autem quandoque, ut ex aureo nascatur argenteus et ex argenteo similiter aureus, caeteraque pariter in hunc modum. Quamobrem principibus et primum et maxime Deus praecipit, ut nullius rei majorem curam custodiamque suscipiant, quam natorum, ut dignoscant, quid ex quatuor his illorum animis sit immixtum: et si quis ex ipsis nascatur *ὑπόχαλκος* vel *ὑποσίδηρος*, nullo pacto misereantur, sed suum cuique tribuentes, ad opifices vel agricolas dimittant: rursusque, si ex hisce nascatur aliquis *ὑπόχρυσος* vel *ὑπάργυρος*, extollant eum honore, hunc ad auxiliarios, illum ad custodes et principes referentes, quasi vetus sit oraculum, *τότε τὴν πόλιν διαφθαρῆναι, ὅταν αὐτὴν ὁ σίδηρος ἢ ὁ χαλκὸς φυλάξῃ tum rempublicam perituram, cum ipsam vel aes vel ferrum gubernabit.* » 1)

« Eligere igitur e custodibus ac summis ornare in republica honoribus decet, qui naturâ habent recte ejus regundae facultatem: hi autem quo magis indole ingenioque praestant, eo magis et musicâ excolendi et vero gravioribus disciplinis erudiendi sunt. Nam mediocria ingenia nec obsunt magnopere nec prosunt civitatibus: magna solum tam perdere eas, quam servare et illustrare solent. Id autem negligitur fere in civitatibus nostris, indeque repetendae potissimum sunt gravissimae, quibus laborant, calamitates. Finge populum in civitatibus nostris gubernatoris instar, qui sit magnitudine et robore corporis prae caeteris eminens, subsurdus vero et oculis hebetior nec mente ad res nauticas cognoscendas melior: nautas autem inter se de gubernatione certantes, quorum unusquisque putet, se dignum imperio esse, quamquam nec artem didicerit unquam nec praeceptorem ostendere possit, nec tempus quo didicerit, dicat adeo, disci artem non posse, quique hoc statuerit,

1) *De Rep.* III. 415. A — C.

ferro aggrediatur: tales finge nautas ad gubernatorem illum confluere, obsecrare obnixeque contendere, ut ipsis gubernacula tradat: subinde adeo, ubi non persuaserint ipsi, sed alii, hos illos vel perimere, vel e navi ejicere, ac postremum, bono illo navis principe per mandragoram vel vinum occupato vinctoque, gubernationem navis arripere, praesentibus rebus uti, vino et epulis indulgere atque ita gubernare, ut hujusmodi homines gubernaturos verosimile est: omnes praeterea eum laudare, eum nautam et gubernatorem vocare, eum, quae ad navem spectant, callere, quicunque ad navis usurpandum principatum, vel persuasione vel vi opitulari ipsis possit, qui vero id non possit, tanquam inutilem vituperare; veri autem gubernatoris officium ne suspicantes quidem, necesse illi esse, ut rationem habeat anni, tempestatum, coeli, astrorum, ventorum, omniumque, quae ad artem pertinent, si gubernator quis navis re vera futurus est: ut vero gubernet, sive volentibus quibusdam, sive invitis, hujus ipsius artem nullam putantes accipi posse simul et gubernatoriam facultatem. *Τοιούτων δὴ περὶ τὰς ναῦς γιγνομένων, τὸν ὡς ἀληθῶς κυβερνητικὸν οὐχ ἡγεῖ ἂν τῷ ὄντι μετεωροσκόπον τε καὶ ἀδολέσχην καὶ ἄχρηστόν σφισι καλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἐν ταῖς οὕτω κατεσκευασμέναις ναυσὶ πλωτήρων; haec si in navi ita sese habeant, nonne verum gubernatorem censes ab illis, qui talibus vehuntur navibus, inanem et curiosum rerum sublimium inspectorem, navique inutilem vocitari?* 1) Talis hodie conditio est civitatum nostrarum.»

Quid caussae esse dicamus, ut pessime fere regantur civitates?

Quodsi perversae hujus miseraeque conditionis nostrae caussam exquirimus, exprimuntur eàdem haece gubernatoris et nautarum imagine. Spernuntur si qui adsunt rerum politicarum periti; qui vero earum prorsus sunt ignari, contendunt secum invicem de imperio, proque populo, qui legitimus habetur quamvis ineptissimus gubernator, res student administrare. Quae cum ita sint, detrectant imperium optimi quique et sapientissimi viri. *«Οὐ γὰρ ἔχει φύσιν, κυβερνήτην ναυτῶν δεῖσθαι ἄρχεσθαι ὑφ' αὑτοῦ, οὐδὲ τοὺς σοφοὺς ἐπὶ τὰς τῶν πλουσίων θύρας ἰέναι· τὸ δὲ ἀληθὲς πέφυκεν, ἐάν τε πλούσιος ἐάν τε πένης κάμνῃ, ἀναγκαῖον εἶναι ἐπὶ ἰατρῶν θύρας ἰέναι, καὶ πάντα τὸν ἄρχεσθαι δεόμενον ἐπὶ τὰς τοῦ ἄρχειν δυναμένου· οὐ τὸν ἄρχοντα δεῖσθαι τῶν ἀρχομένων ἄρχεσθαι, οὗ ἂν τῇ ἀληθείᾳ τι ὄφελος ᾖ· non enim naturae consentaneum*

1) *De Rep.* VI. 488. A. E.

est, ut gubernator nautas oret, ut suae se gubernationi committant, vel sapientes ad divitum fores accedant. Sic reapse naturâ comparatum est, ut, sive dives sive pauper adversâ valetudine utatur, necessario is fores medicorum petat, omnesque, qui gubernatione indigent, domos adeant hominum gubernandi peritorum, non gubernatores, siquidem alicujus sint pretii, inferiores rogent ut gubernare sibi liceat. Quin si eos, qui his temporibus respublicas administrant, cum iis comparaveris nautis, quos modo commemorabamus, tum etiam, si illos, qui ab his appellantur inutiles ac rerum vanarum speculatores, veris gubernatoribus contuleris, non aberrabis. 1) Fit autem ita, ut vera, quaeque his unice malis mederi possit, philosophia male audiat. Nam primum, germani philosophi tanquam inutiles rejiciuntur, tum vero, si qua praeclara exstiterit in juvenibus ad philosophiam indoles, corrumpitur illa, anteaquam ad maturitatem pervenerit. Sic enim sese res habet. *Παντὸς σπέρματος πέρι ἢ φυτοῦ, εἴτε ἐγγείων, εἴτε τῶν ζώων, ἴσμεν ὅτι τὸ μὴ τυχὸν τροφῆς, ἧς προσήκει ἑκάστῳ, μηδ' ὥρας, μηδὲ τόπου, ὅσῳ ἂν ἐῤῥωμενέστερον ᾖ, τοσούτῳ πλειόνων ἐνδεῖ τῶν πρεπόντων· ἀγαθῷ γὰρ κακὸν ἐναντιώτερον ἢ τῷ μὴ ἀγαθῷ· scimus enim omne semen ac germen sive plantarum sive animalium, quod non fuerit eam nutritionem, eam tempestatem, eam regionem adeptum, quae ipsi naturâ conveniat, quo validius sit, eo pluribus indigere commodis: bono namque malum contrarium magis, quam non bono.* — Quidni? — Est igitur, ut arbitror, rationi consentaneum, optimam naturam, si alieno nutriatur alimento, deteriorem evadere, quam pravam. — Est utique. — Hac igitur ratione dicimus, Adimante, animos praestantissima indole praeditos, si male fuerint educati, pessimos fieri. *Ἢ οἴει τὰ μεγάλα ἀδικήματα καὶ τὴν ἄκρατον πονηρίαν ἐκ φαύλης, ἀλλ' οὐκ ἐκ νεανικῆς φύσεως τροφῇ διολλυμένης γίγνεσθαι, ἀσθενῆ δὲ φύσιν μεγάλων οὔτε ἀγαθῶν οὔτε κακῶν αἰτίαν ποτὲ ἔσεσθαι; an vero putas, maxima scelera et extremam nequitiam ab ignava potius indole, quam generosâ, per educationem corruptâ, procedere? imbecillem vero naturam ingentium vel bonorum vel malorum quandoque caussam fore?* — Haud sane, sed prorsus prouti dicis. — Philosophi igitur, quam adumbravimus, natura, siquidem disciplinam ipsi convenientem nacta fuerit, necesse est, arbitror, eam semper proficiendo ad omnem se virtutem explicare; sin vero in perversam inciderit, tanquam in alienam regionem, disciplinam, ad contraria omnia delabitur: nisi forte Deorum aliquis eam adjuverit. Existimasne autem tu, quemadmodum vulgus hominum, verum esse, quod dicunt, adolescentes quosdam a sophistis

1) *De Rep.* VI. 489. B. C.

corrumpi, corruptores vero eorum sophistas quosdam esse privatos, ac non eos potius, qui ita loquuntur, maximos esse sophistas, maximamque esse eorundem institutionis vim, quippe qui juvenes ac seniores, foeminas ac viros tales informant, quales esse eos velint? — Quando id potissimum? — Quando frequentes multi vel in concionibus vel judiciis vel theatris vel castris vel alio quodam hominum coetu considentes, eorum, quae dicta factave sunt, alia vituperant, alia laudant, et ad utraque ingenti cum tumultu acrius efferuntur, explodentes applaudentesque summo strepitu et clamore, ut saxa circumcirca et loca in quibus adsunt, resonantia duplo majorem edant tumultum, quam qui laudant ac vituperant. Hîc juvenem quo esse animo existimes? vel qualem huic publicae disciplinae privatam disciplinam obsistere posse, quin tali vituperatione ac laudatione obruta, illuc labatur quo fluctus ferat? ut eadem, atque illi, pulcra et turpia censeat, iisdemque, quibus illi, studeat et talis omnino fiat? — Necesse id omnino est, o Socrates. — Nondum vero maximam diximus necessitatem. — Quamnam? — Quam facto adjungunt, cum verbis persuadere institutores isti nequeant. An vero nescis, istos, si quis ipsis non obtemperat, infamia eum et mulcta et morte plectere? — Summopere. — Quem igitur alium sophistam putas aut quales alios privatos sermones adversari istis et resistere posse? — Nullum. — Nullum sane; quin et reniti illis, summa stultitia est. *Οὔτε γὰρ γίγνεται, οὔτε γέγονεν, οὐδὲ οὖν μὴ γένηται ἀλλοῖον ἦθος πρὸς ἀρετὴν, παρὰ τὴν τούτων παιδείαν πεπαιδευμένον· ἀνθρώπειον, ὦ ἑταῖρε· θεῖον μέντοι, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐξαίρω λόγου· nam indoles juxta istorum disciplinam formata, nec fit nec facta est unquum, nec fieri omnino potest ad virtutem aliusmodi, humana quidem, o amice, nam divinam quidem, ut proverbio dicitur, excipio.* 1) Certo enim scito, quaecunque generosa indoles in tali civitatum conditione servetur ac qualis esse debet, talis fiat, divino hanc fato inte-

---

1) Ferri haec lectio et loci interpretatio potest. Quodsi de discipuli cujusdam mei conjectura legamus — *οὐδὲ οὖν μὴ γένηται τέλεον ἦθος πρὸς ἀρετὴν nec fieri omnino potest ad virtutem perfecta*, vim demum habeat, quam desideramus, effatum hocce solemne. Exquisiti usûs et Platonica plane dictio est *τέλεος πρὸς ἀρετὴν*, ut in opere *de legibus* saepenumero: I 647. D. *δεῖ τέλεον οὕτω γίγνεσθαι πρὸς ἀνδρίαν.* III 678. B. *ἆρ' οἰόμεθα, τοὺς τότε, ἀπείρους ὄντας πολλῶν μὲν καλῶν τῶν κατὰ τὰ ἄστη, πολλῶν δὲ καὶ τῶν ἐναντίων, τελέους πρὸς ἀρετὴν ἢ καὶ πρὸς κακίαν γεγονέναι;* IV 708. D. *ἀλλ' ὄντως ἐστὶ νομοθεσία καὶ πόλεων οἰκισμοὶ, πάντων τελεώτατον πρὸς ἀρετὴν ἀνδρῶν.* VII 822. E. *οὐ τέλεος ὁ τοῦ διαφέροντος πολίτου πρὸς ἀρετὴν γίγνεται ἔπαινος.*

gram servari. — Haud aliter mihi videtur. — Istud vero praeterea tibi videri debet. — Quidnam? — Unumquemque eorum, qui privatim accepta mercede homines docent, quos quidem sophistas atque aemulos suos vocant, nihil aliud docere, quam multitudinis opiniones, quas profert ubi congregata est, easdemque unice sapientiam appellare. Veluti, si quis *θρέμματος μεγάλου καὶ ἰσχυροῦ*, *animalis cujusdam vasti ac robusti* iras ac cupiditates singulas observaverit, quaque ratione adire illud deceat, qua contrectare, item, quando vel ferocius sit vel mitius et quibus de caussis tale fiat: voces item, quas in singulis quisque usurpat, quibus praeterea vocibus aliorum efferetur vel mitigetur: postquam vero ob diuturnam consuetudinem percepit singula, peritiam hujusmodi *sapientiam* vocet, et, quasi artem inde confecerit, ad docendum accedat, ignorans revera quae potissimum harum opinionum cupiditatumque bonesta sit ac turpis, bona ac mala, justa atque injusta: nominet vero singula ad ingentis bestiae illius opinionem, bona, quibus delectatur illa, mala, quibus offenditur: nec aliam prorsus ullam de his afferat rationem, sed quae necessaria sunt, justa nuncupet et honesta: quo vero boni ipsius ac necessarii natura differat, neque ipse perspexerit unquam, neque aliis possit ostendere: — si quis, inquam, ita se hâbeat, nonne per Jovem absurdus praeceptor esse tibi videbitur? — Mihi vero. — Differre vero tibi ab hoc ille videtur, qui, multorum variorumque hominum in unum convenientium iram et libidines callere, *sapientiam* esse ducit, sive in pictura, sive in musica, sive in administrandae reipublicae disciplina?» 1)

De missra philosophiae conditione.

Haud mirum iccirco est, ipsam philosophiam, quae eadem optima est *παιδεία*, non solum negligi prorsus, sed calumniam etiam suscipere. Cum enim corrumpantur continuo, qui naturae bonitate ac praestantiâ ornare eam et tueri debebant, sola relinquitur. Illam autem, tanquam cognatis orbam, alii aggressi, ejus nomine indigni, dedecorant ac calumniis exponunt, ut dicantur philosophi *οἱ μὲν οὐδενὸς ἀγαθοῦ, οἱ δὲ πολλοὶ πολλῶν κακῶν ἄξιοί εἰσιν· partim nullâ re bonâ, plerique multis rebus malis digni.* 2) «*Καθορῶντες γὰρ ἄλλοι ἀνθρωπίσκοι κενὴν τὴν χώραν ταύτην γιγνομένην, καλῶν δὲ ὀνομάτων καὶ προσχημάτων μεστὴν,*

---

1) *De Rep.* VI. 490 D. — 493. D.

2) Sic scribendum censeo, cum ἀγαθοῦ in vulgatis desideretur, auctoritatem secutus Ciceronis, qui huc videtur respexisse *de Rep.* I. 5. *Cum ita dicunt, accedere ad rempublicam plerumque homines nullâ re bonâ dignos, cum quibus comparari sordidum, confligere autem, multitudine praesertim incitatâ, miserum et periculosum sit.*

ὥσπερ οἱ ἐκ τῶν εἱργμῶν εἰς τὰ ἱερὰ ἀποδιδράσκοντες, ἄσμενοι καὶ οὗτοι ἐκ τῶν τεχνῶν ἐκπηδῶσιν εἰς τὴν φιλοσοφίαν, οἳ ἂν κομψότατοι ὄντες τυγχάνωσι περὶ τὸ αὑτῶν τέχνιον· conspicati enim homunculi sedem hanc vacuam factam, praeclaris vero nominibus dignitateque illustrem, instar eorum, qui ex carcere ad templa confugiunt, libenter ex artibus ad philosophiam prosiliunt, quotquot quidem eorum in artiuncula sua excellunt. Nam philosophia, quamquam ita sese habet, artibus tamen caeteris dignitate ac magnificentiâ praestat; quam affectant plerique, naturâ quidem viles, et artibus opificiisque sicuti corporibus laesi, ita animis per mechanica ministeria fracti ac torpentes. *Δοκεῖς οὖν τι διαφέρειν αὐτοὺς ἰδεῖν ἀργύριον κτησαμένου χαλκέως φαλακροῦ καὶ σμικροῦ, νεωστὶ μὲν ἐκ δεσμῶν λελυμένου, ἐν βαλανείῳ δὲ λελουμένου, νεουργὸν ἱμάτιον ἔχοντος, ὡς νυμφίου παρεσκευασμένου, διὰ πενίαν καὶ ἐρημίαν τοῦ δεσπότου τὴν θυγατέρ μέλλοντος γαμεῖν; an censes, eos adspectu quidquam differre a fabro aerario, divitias adepto, calvo parvoque, qui ut recens e vinculis exiit balneisque se lavit et nova se veste tanquam sponsum ornavit, mox filiam domini sui, quippe inopiâ pressi nec alium cui daret habentis, ducturus est?* — Haud multum differre existimo. — Qualem vero prolem ex bis nasci putandum est? nonne notham et abjectam? — Necesse est omnino. — Homines autem disciplina indignos, quoties philosophiae praeter dignitatem adhaerescunt, quales cogitationes opinionesque parere dicimus? nonne quae verissime dici debeant sophismata, nihil vero quod germanum veraque sapientia dignum sit?» 1)

Sic fecit Socratem Plato de praesente sui temporis et politicae et philosophiae conditione disserentem. In qua disputatione ipsius cernimus auctoris indignationem, tum intelligimus inde etiam, quid caussae fuerit, ut ipse fere detrectaverit rempublicam. «*Πάνυ σμικρὸν δή τι*, sic pergit apud eum deinceps Socrates, *λείπεται τῶν κατ' ἀξίαν ὁμιλούντων φιλοσοφίᾳ, ἤπου ἀπὸ φυγῆς καταλειφθὲν* 2), *γενναῖον καὶ εὖ τεθραμμένον ἦθος, ἀπορίᾳ τῶν διαφθερούντων, κατὰ φύσιν μεῖναν ἐπ' αὐτῇ· ἢ ἐν σμικρᾷ πόλει ὅταν μεγάλη ψυχὴ φυῇ, καὶ ἀτιμάσασα τὰ τῆς πόλεως ὑπερίδῃ· βραχὺ δέ πού τι καὶ ἀπ' ἄλλης τέχνης δικαίως ἀτιμάσαν εὐφυὲς ἐπ' αὐτὴν ἂν ἔλθοι· perexiguus igitur relinquitur numerus eorum, qui digne utuntur philosophia, sive relictum in aliorum fuga*

1) *De Rep.* VI. 495. C. — 496. A.

2) Sic legendum coujeceram ante hos triginta fere annos, cum unice legeretur: *ὑπὸ φυγῆς καταληφθὲν* — Quam conjecturam postea hand siue animi voluptate novem Cdd. auctoritate confirmatam vidi. Cf. *Geerii diatr.* p. 68. (In proximis leg. videtur: *τὸ εὐφυὲς ἂν ἕλκοι.* Cf. *Disp. de Cic. φιλοπλ.* p. 157. — Ed.)

generosum recteque excultum ingenium, quod, cum desint a quibus corrumpatur, naturae bonitate constans in ea manet: sive in parva civitate, ubi magnus exstiterit animus et res illic civiles despexerit: exigua fortasse etiam pars eorum, quos bonitas naturae ab alia arte merito contemtâ ad eam pertraxerit. Horum vero paucorum quicunque gustant et gustaverunt, quam dulcis haec sit et beata possessio, et insaniam vulgi perspiciunt, neminem videlicet, ut verbo dicam, quidquam in rebuspublicis recte agere, nec socium reperiri, quocum justitiae suscipiens patrocinium, servetur incolumis; sed contra se rem habere: hominis instar, qui in feras inciderit, quique nec una injuste agere velit 1), nec solus ipse universis feris possit resistere, sic unumquemque, anteaquam vel urbi vel amicis consulat, perire, atque ita et sibi et aliis inutilem esse: haec igitur omnia quicunque diligenter attenderit, quietem agit et sua duntaxat curat, ac veluti in procella, pulvere et maris aestu agitato, sub murum aliquem recedens, contuetur hîc caeteros nequitiâ repletos, satis autem se habiturum putat, si purus ipse ab injustitia et iniquis facinoribus vixerit, et exactis vitae curriculis bona cum spe hilaris piusque decesserit. — Haud parva certe hic egerit, qui ita vitam transegit. — Neque maxima tamen, si nactus non fuerit convenientem sibi rempublicam: in ea scilicet et ipse proficiet augescetque magis, et privata simul publicaque servabit.» 2) — Quo facilius sane intelligimus, Platonem, relictis Athenis, id agere Syracusis maluisse, ut junioris Dionysii indolem, quam aptam ad philosophiam esse autumabat, ad universae salutem Siciliae excoleret.

De disciplinarum in civitate, ut recte regatur, vi et efficacitate.

Quod modo diximus, philosophiam veri a Platone adhibitam esse, non ad inanes in scholis quaestiunculas enodandas, sed illuc potissimum, ut recte regerentur civitates, id ex eadem illa, quam adduximus, Socratis in *Politia* disputatione efficere licet. Et vero, quae disserit illic deinceps de philosophiae instrumentis ad erudiendum hominem, i. e. de disciplinis gravioribus, de arithmetica, geometria, astronomia, harmonia, in primis de dialectica, quaeque nos supra in veri tradenda philosophia explicuimus, haec omnia ad futuros illos civitatis gubernatores erudiendos informandosque confert. Nec sane mirum. Inesse scilicet disciplinis hanc vim existimabat Plato, ut, quae deorsum apud eos spectarent, haec sursum attollerent atque ad ipsas ideas, ad pulcrum,

1) (In Graecis est ξυναδικεῖν, quod facile corruptum censeas ex ξυνδάκνειν, *una mordere.* — Edit.)

2) *De Rep.* VI. 496. A. — 497. A.

ad bonum, ad justum divinumque converterent, quo magis et ipsi vere judicarent de rebus omnibus, et in aliorum commodum salutemque sapientiam suam conferrent. Hoc adeo proposito de mundo νοητῷ tam diligenter egit. Metaphysicam non spectabat, sive τὴν πρώτην illam, quam Aristoteles vocabat, φιλοσοφίαν. Haec de ipsa auctoris sententia, non negotiis administrandis humanis inserviebat, sed tota rerum caussis exquirendis, explicandisque divinis omnibus et humanis rebus occupabatur. 1) Plato vero hanc Deo relinquens sapientiam, quo certius malis humanis remedium afferret, per disciplinas avertere generosorum juvenum mentes a visibilis mundi umbris, atque ad mundi νοητοῦ veritatem convertere studuit. Sic scilicet sperabat fore ut, cum philosophia in pristinam dignitatem auctoritatemque restitueretur, tum per eam gravioresque disciplinas juvenes ad respublicas regendas informarentur recte.

De adhibenda rebus politicis, ut perfecta sit civitas, cum pulcri, tum veri philosophia.

Accedimus ita prope ad sententiam explicandam Platonis de philosophorum in republica auctoritate. Verum hîc de philosophia cum pulcri tum veri illud animadvertamus. Tractari utraque a metaphysicis vel nullo proposito solet vel eo duntaxat, ut ex altissimis remotissimisque principiis res gravissimae, quae illuc referuntur, ducantur. Cujus studii in civitate hominumque vita vix ulli apparent fructus. Sunt alii, qui missâ metaphysicae ipsiusque dialecticae subtilitate, utramque ad popularem captum accommodent. Neutri id agunt, quod postulare philosophia, Socratica quidem et Platonica, videtur. Hujus enim constans propositum est, ut per pulcri studium artes, per veri studium disciplinae graviores ad veram accommodentur valeantque generis humani salutem; sed exsequi hoc propositum jubet ipsius dialecticae diligentiâ. Et Plato quidem de artibus literisque ac disciplinis tractandis non peculiares quôsdam libellos scripsit, sed ipsam et pulcri et veri philosophiam illo in opere exposuit, quo de politicis rebus perfectoque reipublicae statu ageret. Locus enim hic rebus tam magnis atque illustribus unice erat aptus, et nobis, ni fallor, postquam huc pervenimus, nunc demum res illae gravissimae in luce positae videntur. Admiramur hîc autem philosophiae Platonicae non solum ubertatem, sed simplicitatem etiam. Uno illa constanter tenore procedit, utque a principio ad res perspiciendas politicas praeparavit, ita hîc, ubi eas exponit, ad supe-

1) *Initia* p. 352.

riora illa omnia recolenda animum nostrum traducit denuo. Sed de ipso jam Platonis effato, quod diximus, datâ operâ agamus.

De effato Platonis, non ante rebus publicis finem futurum malorum, quam praesint illis philosophi.

Haud facile protulit antiquitas sententiam, quae tantam, quantam effatum hocce, celebritatem nacta sit. Nec vero defuerunt, qui reprehenderent illud, imo riderent. Nam quamvis magno philosophiam ipsam honore haberent, tamen philosophis concedere reipublicae gubernaculum, ridiculum esse negotium ajebant. Nec sane temere in hunc modum pronunciabant, siquidem philosophos intelligebant, non quales Plato spectavit, sed quales vulgo appellari hoc nomine solent. Umbratici scilicet homines, qui in scholae angustiis disputando cavillandoque aetatem terunt, hi profecto ad nullum negotium minus, quam ad civitates regendas, apti sunt. Sed Plato quos intellexerit philosophos, nobis, in tractanda ejus philosophia veri, patuit. Illos spectavit, qui indole praediti philosopha, per gravissimas quasque disciplinas veri amore essent imbuti, veramque ita hominis et virtutem et felicitatem, quae maxime esset, assequerentur. Nec vero hos sivit, quum ita erudirentur, in mundo *νοητῷ* ad contemplandam veritatem perpetuo versari, sed descendere identidem in specum mundi visibilis jussit, ut quae illic percepissent, hîc ad res nostras rite administrandas accommodarent. Viris illis tribuit, ut meminimus, cum alias ingenii animique dotes et virtutes, tum etiam ut quisque eorum *φύσει* esset *μνήμων, εὐμαθὴς, μεγαλοπρεπὴς, εὔχαρις, φίλος τε καὶ ξυγγενὴς ἀληθείας, δικαιοσύνης, ἀνδρίας, σωφροσύνης.* 1) Ineptusne igitur Plato fuit, qui talibus viris, tali indole, talem in modum excultis et sic rebus civium suorum prudenter prospicientibus, civitatum rectionem traderet? Expletum hoc Platonis vaticinium nondum plane est, sed quod interpres ejus de saeculo Antoninorum notavit, uon puto negligendum. *Τί λέγει; ὅπερ ἐπὶ Μάρκου τοῦ φιλοσόφου, βασιλέως Ῥωμαίων, ἀπέβη.* 2) Quadrat certe in illam Graecorum Romanorumque aetatem, quod quasi vaticinatus philosophus fuerat.

---

1) *De Rep.* VI. 487. A. Cff. *Initia* p. 219.

2) *Scholia in Plat.* ed. Ruhnk. p. 166. De hoc Platonis effato vid. *De Geer diatr.* p. 164. Cf. Schleierm. in prooem. ad versionem Germ.

DE VIRTUTIBUS,

QUIBUS VITA CONSTARE BEATA VIDETUR.

Peregit ita Plato, quod animo susceperat, ut perfectam fingeret civitatem, quo facilius explicare quaestionem gravissimam de justitia et felicitate liceret. Quod cum agebat, praevidebat facile, futuros esse, qui inanem esse dicerent fictionem illam: nam fieri non posse, ut talis exsisteret in his terris respublica. Itaque Adimantum in illis sermonibus hoc ipsum Socrati objicientem fecit. «De caeteris, inquit, nobis facile persuaseris, optimam hanc esse omnibusque numeris absolutam civitatem; sed illud tibi demonstrandum restat, posse eam reapse esse. Hîc Socrates, tune vero, reponit, existimas, *ἧττόν τι ἀγαθὸν ζωγράφον εἶναι, ὃς ἂν γράψας παράδειγμα οἷος ἂν εἴη ὁ κάλλιστος ἄνθρωπος, καὶ πάντα εἰς τὸ γράμμα ἱκανῶς ἀποδοὺς, μὴ ἔχοι ἐπιδεῖξαι ὡς καὶ δυνατὸν γενέσθαι τοιοῦτον ἄνδρα; minus bonum pictorem fore, quod, postquam exemplar pinxit, qualis pulcerrimus esset homo, nihilque de specie praetermisit, nequeat demonstrare, hominem talem reperiri posse?* — Nequaquam equidem. — Quid igitur? nonne et nos praestantissimae civitatis exemplar oratione effinximus? — Omnino. — An igitur minus recte nos loqui existimas, si ostendere non possumus, talem exstare posse civitatem, qualem ipso sermone depinximus? — Haud sane.» 1) Sed Plato, quod ab initio attendimus, non hoc proprie spectavit civitate fingendâ, ut perfectam nobis imaginem quandam, tanquam

1) *De Rep.* V. 472. D. Quid profecerit ex hoc loco Cicero ad perfectum effingendum oratorem, supra animadvertimus. *Initia* p. 330.

Phidiae signum, spectandam praeberet, sed illud potissimum, ut nos ipsi in perfecta civitate exquireremus, ubinam lateret justitia, indeque, quid tandem esset justitia, efficeremus. Habemus iccirco, quod nunc deinceps peragamus, suavissimum negotium: videamus vero, quemadmodum hanc disquisitionem cum Glaucone et Adimanto caeterisque, qui aderant, instituat Socratés.

Ubinam latere in civitate, maximeque in homine justitiam suspicemur?

Sic igitur Socrates « constituta ergo jam tibi, o Aristonis fili, sit civitas. Nunc autem deinceps, age, lumine accenso, et ipse vide et fratrem advoca et Polemarchum et caeteros, num forte cernamus, ubinam sit tandem justitia, ubinamque injustitia: quid inter utramque discriminis sit: et utram assequi is debeat, qui beatus futurus sit sive lateat sive non lateat omnes Deos atque homines. Tum Glauco, nihil, inquit, dicis: tu enim ipse investigandi negotium suscepisti: quippe cum impium foret non succurrere justitiae, quoad ejus fieri possit, qualicunque tandem ratione. — Recte mones et sic faciendum omnino: vos autem me adjuvare oportet. — Nos vero ita agemus. — Spero autem fore, ut sic illud inveniamus. Nempe arbitror, civitatem, si recte nobis fuerit constituta, perfectum in modum bonam futuram. — Necesse est. — Constat igitur futuram eam *sapientem*, *fortem*, *temperantem* et *justam*. — Constat. — Nonne si tria illorum in ea repererimus, id quod reliquum est illud erit, quod nondum fuerit repertum? — Quidni? — Uti autem in omnibus, quae quatuor numero sunt, si unum quaereremus, si illud continuo reperissemus, sufficeret: quodsi tria reperissemus primum, hoc ipso cognosceretur illnd, quod quaereremus: non enim aliud esset, nisi id, quod restaret. — Probe loqueris. — De his igitur, quae quatuor numero sunt, nonne pari est nobis ratione quaerendum? — Vero. — Atqui primum mihi in istis videtur *sapientia* elucere.» 1)

Ubinam in civitate sapientia?

Hic autem mirum sibi quid apparere dicit Socrates. « Sapiens, inquit, mihi esse videtur, quam condidimus, civitas; nam bene consulta est,

---

1) *De Rep.* IV. 427. C. — 428. A. Animadvertendum corrupte legi: *οὐκοῦν ὅ τι ἂν αὐτῶν εὕρωμεν ἐν αὐτῇ, τὸ ὑπόλοιπον ἔσται τὸ οὐχ εὑρημένον;* — Necessario legi oportet, nt suus sententiae sensus sit: *οὐκοῦν ὅταν ϱρία αὐτῶν* — Cf. 433. C. *εἰ τὰ τρία εὕροιμεν.*

nonne? — Est omnino. — Etenim haec ipsa consulendi facultas scientia quaedam est: non enim inscitiâ, sed scientiâ, homines bene cousulunt. — Perspicuum. — Multiplex vero et varia in civitate scientia est. — Est. — Num propter fabrorum scientiam sapiens et bene consulta civitas appellanda? — Nullo modo propter istam, sed artis fabrilis perita. — Non ergo sapiens appellanda est civitas ex eo, quod, qua ratione quam optime opera lignea perficiantur, bene consultet? — Non certe. — Nec fortasse etiam propter scientiam fructuum e terra producendorum, sed agriculturae perita. — Sic opinor. — Quid vero? estne aliqua scientia in civitate modo a nobis condita penes cives quosdam, qua non de re aliqua privata in civitate deliberatur, sed de universa civitate, qua ratione et ipsa erga semet ipsam et erga alias civitates optime sese gerat? — Est nimirum. — Quaenam haec et in quibus? — Ipsa est custodiendi peritia et in his est principibus, quos modo perfectos custodes appellavimus. — Propter hanc ergo scientiam quo nomine civitatem nuncupas? — *Εὔβουλον καὶ τῷ ὄντι σοφήν· bene consultam et revera sapientem.* — Utrum plures in civitate fabros aerarios, quam veros hosce custodes, esse putas? — Multo certe plures aerarios fabros. — Nonne et caeterorum, qui a scientia, qua valent, nomen habent, illi paucissimi erunt? — Paucissimi sane. — *Τῷ σμικροτάτῳ ἄρα ἔθνει καὶ μέρει ἑαυτῆς καὶ τῇ ἐν τούτῳ ἐπιστήμῃ, τῷ προεστῶτι καὶ ἄρχοντι, ὅλη σοφὴ ἂν εἴη κατὰ φύσιν οἰκισθεῖσα πόλις· καὶ τοῦτο, ὡς ἔοικε, φύσει ὀλίγιστον γίγνεται γένος, ᾧ προσήκει ταύτης τῆς ἐπιστήμης μεταλαγχάνειν ἣν μόνην δεῖ τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν σοφίαν καλεῖσθαι· ergo minimâ quadam gente suique parte, et scientiâ, quae in praeside et principe parte inest, tota s a p i e n s erit secundum naturam civitas instituta: atque id, ut videtur, naturâ paucissimum est rarissimumque genus, cui convenit esse hujus scientiae particeps, quam solam e caeteris omnibus decet s a p i e n t i a m appellare.*» 1)

U b i n a m i n c i v i t a t e f o r t i t u d o?

«Hoc igitur, sic pergit deinceps Socrates, unum e quatuor illis est, quod nescio quomodo invenimus cum ipsum, tum quo loco in civitate repositum sit; fortitudo autem, quid ipsa sit, tum qua in parte civitatis adsit, qua civitas fortis dicenda sit, non admodum inventu difficile est. — Quonam pacto? — Quisnam ad aliud quidquam respiciens, civitatem vel ignavam vel fortem nominet, quam ad eam partem, quae

---

1) *De Rep.* IV. 428. B. — 429. A.

pro ipsa pugnat ac militat? — Nullus certe ad aliam. — Non enim caeteri in illa alii, cum vel ignavi vel fortes sint, vi suâ efficient ut ignava vel fortis sit. — Non sane. — Fortis igitur parte sui civitas erit, quod in ea vim ejusmodi babet, quae perpetuo servat de rebus terribilibus opinionem, illas eas esse et tales, quas et quales in institutione legislator constituit: nonne banc fortitudinem vocas? — Non satis, quod dixisti, percepi: dic iterum. — Conservationem quandam fortitudinem esse dico. — Quam conservationem? — Opinionis videlicet, lege per educationem conceptae, qua judicatur, quae terribilia sint et qualia. In omnibus autem eam conservationem esse dixi, ut rata semper et ubique servetur, sive quis doloribus seu voluptatibus aut cupiditatibus aut timoribus afficiatur, nec ullo pacto quis propter baec ab ea dimoveatur. » 1)

Id autem ut recte intelligatur, Socratem hic Plato inducit eximia quadam longeque celebratissima imagine utentem. « Cui autem simile id esse arbitrer, si vis, tibi aperiam. — Cupio equidem. — Fullones, novisti, ubi tingere volunt lanas, ut sint purpureae, primum eligunt, quae naturâ sint quam maxime albae: deinde praeparant eas haod mediocri studio et opera, ut ipsum deinceps suscipere possint coloris florem: tom eas tingunt. Quidquid boc modo tinctum est, indelebile manet, et, quantumvis illud laves, sive aquâ, sive additis etiam abstergendi remediis, flos ille tolli nullo modo potest. Quae vero non rite praeparata sunt, facile his color tollitur et informia fiunt. Tale quid facere nos studuisse pro viribus cogita, quum custodes eligeremus, eosque et musica et gymnastica erudiremus: atque existima, nihil nos aliud excogitasse, quam ut optime leges, tanquam colorem, imbiberent: quo magis indelebilis eorum esset de rebus terribilibus deque caeteris omnibus opinio, neque tincturam eorum abolere possent purgationes istae ad diluendum vehementissimae, voluptas scilicet, omni nitri acrimonia et calcis ad expurgandum acrior: dolor item, metus ac cupiditas, omni aliâ purgatione ad abstergendum potentiora. *Τὴν δὴ τοιαύτην δύναμιν καὶ σωτηρίαν διὰ παντὸς δόξης ὀρθῆς τε καὶ νομίμου δεινῶν πέρι καὶ μὴ, ἀνδρίαν ἔγωγε καλῶ καὶ τίθεμαι· hanc utique vim, rectae legitimaeque opinionis conservatricem de terribilibus eorumque contrariis, f o r t i t u d i n e m voco equidem atque assero.* » 2)

---

1) *De Rep.* IV. 429. A. — D.

2) *Eod.* 428. D. — 430. B. Vidd. de hoc loco Ruhnken. ad Tim. v. δευσοποιός. Stallb. ad h. l. et *Den Tex*, *disp. de vi musices*, p. 35 et 133.

Ubinam in civitate temperantia?

Reperta in hunc modum cum sapientiâ in civitate, tum fortitudine, « duo, ait Socrates, restant in civitate consideranda, temperantia, et, cujus gratiâ haec omnia perquirimus, justitia. — Prorsus. — Invenire jam continuo justitiam possimus, ut ne quid in investiganda temperantia laboremus? — Equidem neque id scio, neque velim nobis prius justitiam innotescere, quam temperantiam consideraverimus: quare si mihi gratum vis facere, prius hoc, quam illud, investigato. — Volo equidem, si recte ita facio. — Considera igitur. — Ecce, considero, et hinc quidem spectanti concentus et harmoniae magis, quam superiora, similis videtur. — Quo pacto? — *Κόσμος πού τις ἡ σωφροσύνη ἐστὶ, καὶ ἡδονῶν τινῶν καὶ ἐπιθυμιῶν ἐγκράτεια, ὥς φασι, κρείττω δὴ αὑτοῦ λέγοντες,* 1) *οὐκ οἶδ' ὅντινα τρόπον, καὶ ἄλλα ἄττα τοιαῦτα ὥσπερ ἴχνη αὐτῆς λέγεται· cultus est aliquis temperantia et a voluptatibus quibusdam ac cupiditatibus abstinentia, ut ajunt, dicentes scilicet aliquem esse se ipso superiorem, nescio quo modo, atque alia etiam quaedam, tanquam rei vestigia dicuntur.* — Maxime omnium. — Respice igitur, quam modo condidimus, civitatem: invenies in illa alterum eorum; dices eam recte appellari se ipsa superiorem, siquidem, si melius in ea pejori imperat, temperans dicenda est et se ipsa superior. — Ego vero respicio illuc: ac vera loqueris. — Enimvero vilissimas quasque et nullius non generis cupiditates, voluptates doloresque in pueris quis maxime et mulieribus servisque reperiet, tum etiam in eorum, qui ingenui dicuntur, vilioribus quibusque. 2) — Omnino. — Simplices vero et moderatas, quae ratiocinatione ipsaque mente et recta opinione ducuntur, in paucis eorum reperies, in illis duntaxat, qui, optime nati, optime instituti sunt. — Vera haec sunt. — Nonne haec ita se habere in civitate nostra vides, gubernarique vulgi et vilium hominum cupiditates cupiditatibus ac prudentiâ paucorum modestorumque virorum? — Video equidem. — Si qua igitur civitas potentior sit cupiditatibus ac voluptatibus, ipsaque semet ipsâ, haec ita appellanda est? — Omnino. — Nonne item propter haec omnia temperans? — Maxime. — Et vero, si ulla in alia civitate tam regentibus, quam iis qui regun-

---

1) Secutus in his sum Stallbaumii emendationem. Vulgo: *φασι· κρείττω δὲ αὑτοῦ φαίνονται, οὐκ* —

2) Graece legitur: *ἐν πᾶσι μάλιστα ἄν τις εὕροι καὶ γυναιξὶ* — Quod durius dictum in foeminas videtur. Scripsit, ni fallor, Plato, uti vertimus, *ἐν παισὶ μάλ.* — Saepe haec ita apud Platonem junguntur, uti mox 433. D. *καὶ ἐν παιδὶ καὶ ἐν γυναικὶ καὶ ἐν δούλῳ καὶ ἐν ἐλευθέρῳ.*

tur, eadem opinio inest, quibus deferre potissimum imperium deceat, in hac illud nostra aderit? — Et maxime quidem. — Quibus igitur civibus inesse temperantiam dices, siquidem ita se habeant, iis, qui regunt, an vero, qui reguntur? — Utrisque. — Cernis igitur, quam apte vaticinati simus, harmoniae cuidam esse similem temperantiam dicentes? — Cur? — Quia non, prouti sapientia et fortitudo, quae partibus insunt civitatis atque ita eam cum sapientem tum fortem efficiunt, ita haec eam temperantem reddit, sed per eam totam singulasque ejus partes, tanquam chordas, diffusa, efficit, nt in idem debiliores homines, fortioresque et medii, prudentiâ, potentiâ, multitudine, pecuniis item et quavis alia re concinant: *ὥστε ὀρθότατ' ἂν φαῖμεν, ταύτην τὴν ὁμόνοιαν σωφροσύνην εἶναι, χείρονός τε καὶ ἀμείνονος κατὰ φύσιν ξυμφωνίαν, ὁπότερον δεῖ ἄρχειν καὶ ἐν πόλει καὶ ἐν ἑνὶ ἑκάστῳ· quapropter rectissime possimus hunc concentum temperantiam appellare, deterioris et melioris secundum naturum consensionem, utrum regnare oporteat, cum in civitate, tum in unoquoque homine.* — Sic item mihi videtur.» 1)

Tum Socrates «esto igitur, inquit; tria jam nobis in civitate comperta sunt, ut ex his apparet; reliquum autem negotium illud, quo praeterea virtutis particeps sit civitas, quodnam erit? *Justitiam* esse, patet, ni fallor. — Patet.» 2) Hîc autem ille cum adolescentibus, pari cum ipso inveniendae justitiae ardore ductis, rei quasi venationem instituit. Audiamus eum porro.

Ubinam tandem in civitate justitia latet?

«Ergo oportet nos, ait, Glauco, tanquam venatores quosdam, circumcirca cespites ponere, circumspicientes, ne qua ex parte justitia subterfugiat atque evanescens lateat nos. Patet enim, hîc eam esse: vide igitur et conspicari annitere, si forte tu prius, quam ego, eam cernas mihique indices. — Utinam vero possem! Tu autem me potius ut comite uteris, qui et sequar te et quae monstraveris conspicere possim. — Sequere igitur, precatus mecum. — Faciam: tu modo duc, quaeso. — Difficilis sane mihi hic locus videtur et umbrosus: est plane obscurus et imperscrutabilis; veruntamen progrediendum. — Progrediendum omnino. — Io! io! o Glauco, vestigium videmur quoddam tenere, nec effugiet nos illud, quod quaerimus. — Bene mones. — Enimvero stultum plane negotium hoc nostrum. — Quid istud? — Jam pridem

1) *De Rep.* IV. 430. C. — 432. A.
2) *Eod.* 432. B.

nobis ab ipso principio, o bone, quod quaerimus, ante pedes volvitur, nec conspeximus illud; eramus vero non minus ridiculi, quam qui in manibus quid habentes, quaerunt subiude quod habent: sic nos ad illud quidem non attendimus, sed procul in alia omnia mentem convertimus: quo facile nos latuit. — Quo modo istud? — Hoc modo: videmur mihi dicentes illud jam pridem et audientes, haudquaquam animadvertisse, id nos quodammodo dicere.» 1)

Hic Glauco «μακρὸν, inquit, τὸ προοίμιον τῷ ἐπιθυμοῦντι ἀκοῦσαι· *longum sane prooemium audire cupienti.*» Tum Socrates, quid ipsi videatur justitia esse, accuratius exponit. «Audi, inquit, uum quid dicam: quod enim ab initio statuimus unumquemque agere oportere, illud est, ut mihi videtur vel hujus species quaedam, justitia. Statuimus autem, et saepius, si memineris, diximus, unumquemque decere unum quid factitare eorum, quae civitati conducunt, ad quod ipsius natura esset aptissima. — Diximus procul dubio. — Atqui suum agere nec quod aliis agendum est affectare, justitiam esse, et hoc cum ab aliis multis audivimus, tum ipsi diximus saepenumero. — Diximus. — Hoc utique videtur, amice, cum fit, justitia quodammodo esse, sua agere. Scisne autem, unde illud conjiciam? — Nequaquam, sed dic, quaeso. — Δοκεῖ μοι τὸ ὑπόλοιπον ἐν τῇ πόλει ὧν ἐσκέμμεθα, σωφροσύνης καὶ ἀνδρίας καὶ φρονήσεως, τοῦτο εἶναι ὃ πᾶσιν ἐκείνοις τὴν δύναμιν παρέσχεν, ὥστε ἐγγενέσθαι καὶ ἐγγενόμενά γε σωτηρίαν παρέχειν, ἕως ἂν ἐνῇ· *videtur mihi quod reliquum est in civitate, praeter illa, quae consideravimus, temperantiam, fortitudinem, sapientiam, hoc esse, quod omnibus illis vim praeberet, ut innascerentur et innata salutem afferrent, donec inessent.*» 2)

Et sic quidem Socrates ad finem tendit disquisitionis cum de civitate perfecta, tum de justitia. In quibus justitia ut virtus summa civitatis, imo ut ipsa civitatis perfectae οὐσία proponitur. Veruntamen quod a Simonide inde semper justitiae adscriptum est, ut suum cuique quis tribuat, non negligit illud Socrates. «Considera praeterea, inquit, hac ratione, num tibi sic videatur. An principibus in civitate mandabis, ut juste sententiam ferant? — Quidni? — Judicabuntne autem alius cujusquam rei avidi magis, quam hujus ipsius, ut singuli neque usurpent aliena neque suis priventur? — Non saue. — Quasi nempe hoc sit justum? — Omnino. — Et hac quoque ratione asseritur, sui cuique et proprii operis possessionem actionemque esse justitiam. — Asseritur.» 3)

1) *De Rep.* IV. 432. B. — E.
2) *Eod.* 432. E. — 433. B.
3) *Eod.* 433. E.

Ad tres illas civitatis partes, quatuorque in ea virtutes, animi exigitur natura.

Conditâ igitur in hunc modum republicâ optimâ, repertâque in illa justitiâ, exquirit jam porro Socrates, quis homo optimus sit, ut, quid esse in animo hominis justitia videatur, pateat. Huc enim tota illa de republica disputatio pertinuerat. « Censebamus enim, ait, si plurium rerum, quibus inesset justitia, in majore quadam prius eam videremus, facilius deinde nos in minore, nempe in homine uno, qualis illa sit, perspecturos. Tale quid nobis esse civitas videbatur: quapropter eam quam optimam finximus, scientes in bona republica inesse justitiam. Iccirco quod in illa nobis apparuit, referamus ad unum hominem. Si convenient sibi invicem, sufficiet nobis; sin vero in uno aliud quid appareat, rursus ad civitatem conversi, explorabimus. *Καὶ τάχα ἂν παρ' ἄλληλα σκοποῦντες καὶ τρίβοντες, ὥσπερ ἐκ πυρείων, ἐκλάμψαι ποιήσαιμεν τὴν δικαιοσύνην· et fortasse secum invicem illa comparantes et veluti collidentes, efficimus, ut, tanquam e silicibus, eluceat ex iis justitia.* » 1)

De ratione et cupiditatibus.

Praemittitur animadversio e gentium indole ducta, quae rem in primis illustrat. « Nonne necesse est, inquit, confiteri, eosdem in nobis ipsis, quos in civitate, mores inesse? Neque enim aliunde illi in civitatem venissent. Ridiculum quippe esset, si quis τὸ θυμοειδὲς existimaret non e privatis hominibus, quorum idem esset ac Thracum et Scytharum ingenium, in civitatem pervenisse, aut τὸ φιλομαθὲς, non e tali privatorum indole, qualis nobis est naturâ tributa, aut τὸ φιλοχρήματον, non ex ea singulorum hominum cupiditate, qua esse dicuntur Phoenices et Aegyptii? » 2) Hic autem Socrates necessario requiri ad disquisitionem distinguendi diligentiam, videt. « Hoc igitur, ait, sic sese habet nec difficile inventu est; illud vero difficile, utrum uno quodam eodemque haec singula agamus, an, cum tria sint, aliud alio. Utrum alio eorum, quae nobis insunt, discamus, alio irascamur, tertio concupiscamus, an toto animo in his singulis moveamur. » 3) Distinguitur ergo primum *ratio* a *cupiditatibus.* Nam post longum de distinguendi ratione optima, tum etiam de ipsis cupiditatibus sermonem, animus

1) *De Rep.* IV. 433. A. — 434. C.
2) *Eod.* 435. D. — 436. A.
3) *Eod.* 436. A. B.

exploratur sitientis hominis, qui maxime ducitur bibendi cupiditate. « Sitientis animus, ait Socrates, quatenus sitit, non aliud appetit, quam bibere: hoc spectat, huc tendit unice. — Omnino. — Quodsi igitur sit, quod sitientem illum retrahat, aliud id in animo erit, quam illud, quod sitit, ipsumque, ut feram, ad bibendum impellit: non enim fieri posse dicimus, ut idem quid eadem sui parte circa idem contraria agat. — Non certe. — Quemadmodum absurdum dictu est, ejusdem sagittarii manûs arcum simul propellere et retrahere: dicendum, alteram esse manum, quae propellat, alteram, quae retrahat. — Ita prorsus se res habet. — Fatemurne esse aliquos, qui, cum sitiant, nonnunquam bibere nolint? — Multos sane et crebro. — Quid igitur de hisce dicat aliquis? Nonne inesse in eorum animo, quod jubeat, inesse item, quod vetet bibere, quorum hoc jubenti illi imperat? — Videtur mihi sane. — Nonne igitur quod prohibet ista, ubi exsistit, e ratione exsistit? quae vero agunt trahuntque in varias partes animum, ex affectibus perturbationibusque oriuntur? — Apparet. — *Οὐ δὴ ἀλόγως ἀξιώσομεν αὐτὰ διττά τε καὶ ἕτερα ἀλλήλων εἶναι· τὸ μὲν ᾧ λογίζεται λογιστικὸν προσαγορεύοντες τῆς ψυχῆς· τὸ δὲ ᾧ ἐρᾷ τε καὶ πεινῇ καὶ διψῇ καὶ περὶ τὰς ἄλλας ἐπιθυμίας ἐπτόηται, ἀλόγιστόν τε καὶ ἐπιθυμητικὸν, πληρώσεών τινων καὶ ἡδονῶν ἑταῖρον· non igitur sine ratione duo illa esse et a se invicem diversa statuemus: et illud quidem, quo ratiocinatur animus, rationale vocabimus: illud vero, quo amat, esurit, sitit, caeterisque cupiditatibus agitatur, irrationale et concupiscens, repletionum quarundam ac voluptatum socium.* — Non sane, sed merito ita censebimus. » 1)

De distinguendo ab hisce recte, qui nobis inest, θυμῷ.

Hic vero nos Socrates ad rem paullo difficiliorem intricatioremque explicandam ducit. Inesse nobis, praeter rationem ac cupiditates, tertium aliquid, quod *θυμὸς* dicendum est, videtur. Hoc vero quid est et quemadmodum est ab illis distinguendum? Apud nos fere qui ethicam tradunt, requiri aliquid praeter duo illa, vident. Memorare igitur *voluntatis* quandam vim facultatemque solent. Nec sane temere: nam tertium illis accedat, necesse est. Quo magis operae pretium est, hac ipsa de re Socratem cum adolescentibus illis disputantem audire. Narrat continuo, quod de Leontio, Aglaionis filio, acceperat aliquando: hunc e Piraeeo in urbem progredientem, quum cadavera animadver-

---

1) *De Rep.* IV. 439. A.—D.

teret in cloaca publica jacentia, simul et videre illa cupivisse et abhorruisse seque avertisse: et dudum quidem ita secum ipsum pugnasse vultumque texisse, superatum vero tandem cupiditate, ad cadavera intentis oculis accurrisse, dicentem: ecce jam vobis, miseri, desiderium vestrum pulcro spectaculo explete! Quod ubi narravit Socrates «testatur id, inquit, iram subinde pugnare cum cupiditatibus, quasi haec a se invicem diversa sint.» Tum pergit: «nonne et alibi crebro animadvertimus, ubi vim inferunt alicui praeter rationem cupiditates, objurgare ipsum sese et adversus eam sui partem, quae vim infert, indignari, et, quasi duobus dissentientibus, adjutricem rationi iram succurrere? ratione autem imperante non esse sibi contradicendum, iram cupiditatibus conjunctam obsistere illi, arbitror te nunquam vel in te ipso vel in alio persensisse. — Nunquam per Jovem. — Quid autem, ubi quis injuriâ se afficere alium putat, nonne is, quo generosior est, eo minus irascitur, sive esuriat sive algeat sive aliud quodvis tale patiatur ab eo, quem jure his sese afficere existimat, omninoque, non excitabitur istius adversus illum ira? — Vera loqueris. — Quid vero, ubi injuriâ se affici ab alio putat, nonne tunc effervescit ipsius ira ac saevit atque auxilium praestans justi studio, famemque et frigus et caetera talia perdurans ad victoriam contendit: neque a generoso labore cessat prius, quam vel perfecerit rem, vel obierit, vel, tanquam canis a pastore, sic a ratione ipsi propria revocatus mitescat? — Sic omnino se res habet. — Est igitur aliud τὸ θυμοειδές, aliud τὸ ἐπιθυμητικόν. Diversam autem iram a ratione esse, facile nobis pateat. Nam in pueris quivis istud intelligat, qui statim, ut nati sunt, irâ sunt pleni; rationis autem nonnulli eorum nunquam, plerique sero demum participes fiunt. — Per Jovem, praeclare loqueris: sed praeterea in feris animalibus idem quis videat: testatur et Homeri illud de Ulysse:

Στῆθος δὲ πλήξας, κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ.

Hic enim aperte Homerus alteri horum repugnans alterum fecit, illi, quod de meliore ac pejore ratiocinatur, id, quod sine ratione irascitur.» 1)

Civitati optimae homo comparatur. De virtutibus animi primariis.

Distingui haec recte in animo hominis nisi summâ hujusmodi diligentiâ adhibitâ, non poterant. Hinc autem jam facile, quae primariae sint animi humani virtutes, efficiamus. «Has igitur tandem difficul-

1) *De Rep.* IV. 439. E. 441 B.

tates, sic pergit Socrates, aegre superavimus, satisque inter nos roustat, *τὰ αὐτὰ μὲν ἐν πόλει, τὰ αὐτὰ δ' ἐν ἑνὸς ἑκάστου τῇ ψυχῇ γένη ἐνεῖναι καὶ ἴσα τὸν ἀριθμόν· eadem civitati, eademque cujusvis hominis animo genera inesse et numero paria.* — Sic sane. — Quin etiam id necessarium est, quemadmodum et quo sapiens erat civitas, ita et eodem sapientem esse hominem. — Quidni? — Item quo fortis est homo et quomodo, eodem et ita fortem esse civitatem: et in caeteris omuibus ad virtutem utraque similiter se habere. — Necesse est. — Atqui et justum, o Glauco, dicemus virum eadem ratione, qua dicimus civitatem. — Et hoc omnino necessarium. — Nec vero illud obliti sumus, civitatem ex eo nobis visam esse justam, quia, cum tria adsint hominum genera, snum quisque in ea explet officium. — Haud profecto id mihi obliti videmur. — Meminisse ergo oportet, unumquemque uostrum tum justum futurum ac sua peracturum, ubi singulae apud eum animi partes sua peragent. - Meminisse prorsus oportet. — Nonne τῷ λογιστικῷ convenit imperare, cum sapiens sit, geratque totius animi providentiam? τῷ θυμοειδεῖ vero, obsequi rationi proque illa pugnare? — Plane. — Nonne musicae et gymnasticae aequabilis conjunctio, ut concordia illa sint, efficit, alterum horum intendens augensque et praeclaris sermonibus ac disciplinis nutriens, alterum vero remittens, sedaus ac per harmoniam atque rhythmum mansuefaciens? — Maxime. — Haec igitur sic nutrita, cum sua re vera didicerint, nonne praeesse τῷ ἐπιθυμητικῷ debebunt, quod maximam animi partem in unoquoque efficit, et divitiis expleri naturâ non potest: cavebuntque, ne illud, corporis voluptatibus repletum, grandius robustiusque evadat, nolitque suo fungi officio, sed subjicere sibi illa conteudat, quibus imperare naturâ uon debet, atque ita universam omnium vitam pervertat. — Sic prorsus. — Quin etiam ab externis hostibus duo illa optime universum et animum et corpus vindicabunt, cum illud quidem provide consulit, hoc autem propuguat, principi obtemperans, et fortitudine, quae consulta sunt, peragens. - Vera haec sunt. — Fortem profecto hac ex parte virum quemque vocamus, ùbi, quod ipsi inest, θυμοειδὲς iu mediis voluptatibus ac doloribus id observat, quod ratio praescripsit vel terribile vel non terribile esse. — Recte. — Sapientem vero parva illa ex parte, quae et imperat in ipso et ista dictat, habens item in sese scientiam, qua discernit, quid potissimum ex usu sit tam singulis, quam universo coetui ex his tribus constituto. — Certe. — Temperantem rursus aliquem appellamus horum ipsorum amicitiâ atque concordiâ, ubi et quod praeest, et quod subest, in seutentiam eandem conveniunt, rationem imperare debere, neque ab illa desciscendum esse. — Nihil sane aliud in civitate atque in homine temperantia est. — Justus denique ex eo atque ita erit quisque, ex quo et quemadmodum saepe jam diximus. — Necesse est prorsus. — *Τί οὖν*;

μή πῃ ἡμῖν ἀπαμβλύνεται καὶ ἄλλο τι δικαιοσύνη δοκεῖ εἶναι ἢ ὅπερ ἐν τῇ πόλει ἐφάνη; quid igitur? num forte nobis aliquid obtunditur, videturque aliud quid esse justitia, quam quod ante in civitate videbatur? 1) — Mihi non videtur.» 2)

Quid tandem in ipso hominis animo injustitia est?

Quodsi jam, instituta hac civitatis optimae cum homine comparatione, illuc revertimur, unde in condenda civitate orsi sumus, unumquemque oportere suum negotium factitare, facile nobis illud assequi, quod quaerimus, licebit. « Videmur nobis, ait Socrates, quasi divinitus, *κατὰ θεόν τινα, εἰς ἀρχήν τε καὶ τύπον τινὰ τῆς δικαιοσύνης ἐμβεβηκέναι.* Nam illud, quod tum diximus de agricolis, artificibus, caeteris, *εἴδωλον* erat justitiae; reapse vero est ad interiorem hominem referendum, ut non sinat quis, quae ipsi insunt, aliena peragere; sed oporteat *τῷ ὄντι τὰ οἰκεῖα εὖ θέμενον, καὶ ἄρξαντα αὐτὸν αὑτοῦ, καὶ κοσμήσαντα, καὶ φίλον γενόμενον ἑαυτῷ, καὶ ξυναρμόσαντα τρία ὄντα, ὥσπερ ὅρους τρεῖς ἁρμονίας ἀτεχνῶς, νεάτης τε καὶ ὑπάτης καὶ μέσης, καὶ εἰ ἄλλα ἄττα μεταξὺ τυγχάνει ὄντα, πάντα ταῦτα ξυνδήσαντα, καὶ παντάπασιν ἕνα γενόμενον ἐκ πολλῶν σώφρονα καὶ ἡρμοσμένον, οὕτω δὴ πράττειν ἤδη, ἐάν τι πράττῃ, ἢ περὶ χρημάτων κτῆσιν, ἢ περὶ σώματος θεραπείαν, ἢ καὶ περὶ πολιτικόν τι, ἢ περὶ τὰ ἴδια ξυμβόλαια ἐν πᾶσι τούτοις ἡγούμενον καὶ ὀνομάζοντα δικαίαν μὲν καὶ καλὴν πρᾶξιν, ἣ ἂν ταύτην τὴν ἕξιν σώζῃ τε καὶ ξυναπεργάζηται· ἄδικον δὲ πρᾶξιν, ἣ ἂν ἀεὶ ταύτην λύῃ.»* 3) Praeclarae sententiae haec fere vis est. « *Servat justitiam, qui semper sua rite digessit, sibi ipse imperavit, sibi ipse consensit, tres illas sui partes, tanquam tres terminos harmoniae, imae, summae, mediae, conciliavit secum invicem et connexuit, atque ita prorsus per concentum huncce e multis factus est unus: tum vero qualis intus esse solet, talem se foris praestat in pecuniis quaerendis, in corpore colendo, in rebus civilibus administrandis, in pactis ineundis servandisque: in his omnibus justam vocans actionem, quae illum animi habitum et servet et perficiat, injustam vero eam, quae habitum illum tollat.* » 4)

---

1) Locus corruptus; sed probabilis haec videtur, quam secuti sumus, Stallbaumii lectio.

2) *De Rep.* IV. 441. C. — 442. D.

3) *Eod.* 443. C. — 444. A.

4) Hanc loci interpretationem Geerio meo debui, qui transponendo senten-

De vi justitiae in vitae humanae felicitatem.

Id autem cum in ipso hominis animo justitia sit, quid tandem de vita beata pronunciabimus? Uter nobis videtur beatior, justus homo, an injustus? «Quo rectius, dicit Socrates, judicium pronunciemus, de injustitia hoc tene, contrariam illam justitiae, atque iccirco *στάσιν τινὰ* esse *τριῶν ὄντων τούτων, καὶ πολυπραγμοσύνην καὶ ἀλλοτριοπραγμοσύνην καὶ ἐπανάστασιν μέρους τινὸς τῷ ὅλῳ τῆς ψυχῆς, ἵν' ἄρχῃ ἐν αὐτῇ, οὐ προσῆκον.* In his autem, inquit, illud respice, justitiam et injustitiam non differre a salubribus et insalubribus. Salubria corpori nostro sanitatem, insalubria et noxia morbum afferunt: sic justa facere, justitiam, injusta facere, injustitiam efficit. Est autem sanitatem inferre, ita quae in corpore sunt disponere, ut secundum naturae ordinem cum regant tum regantur; morbum vero, contra naturae ordinem regere et regi. Eadem ratione jnstitiam praestare cuiquam, nihil est aliud, quam animi partes in ordinem suum digerere, ut ad naturae normam imperent ac pareant: injnstitiam vero, ut contra naturam aliud alii imperet ac pareat. *Ἀρετὴ μὲν ἄρα, ὡς ἔοικεν, ὑγίειά τέ τις ἂν εἴη καὶ κάλλος καὶ εὐεξία ψυχῆς· κακία δὲ, νόσος τε καὶ αἶσχος καὶ ἀσθένεια· virtus igitur, ut videtur, sanitas esset quaedam et pulcritudo et integra animi conditio; pravitas contra, morbus, turpitudo et infirmitas.* 1) His animadversis, quodnam erit tandem, quaerit Socrates, de vita beata judicium nostrum? Cui Glauco, ridicula mihi, inquit, disceptatio videtur, *εἰ τοῦ μὲν σώματος τῆς φύσεως διαφθειρομένης δοκεῖ οὐ βιωτὸν εἶναι, οὐδὲ μετὰ πάντων σιτίων τε καὶ ποτῶν καὶ παντὸς πλούτου καὶ πάσης ἀρχῆς· τῆς δὲ αὐτοῦ τούτου, ᾧ ζῶμεν, φύσεως ταραττομένης καὶ διαφθειρομένης, βιωτὸν ἄρα ἔσται· si corporis naturâ corruptâ, non esse vivendum videatur, in summa etiam epularum et poculorum affluentia, in divitiis omnibus omnique imperio; naturâ vero illius, quo vivimus, corruptâ, vita videatur vitalis.»* 2)

Platonicae hujus de justitia disputationis interpretatio.

Talis est Platonis in Politia de justitia disputatio, quam nos, more nostro, ipsius maxime auctoris verbis, quo plenius intelligeretur, ex-

---

tiam restituit, ut legeretur: *καὶ ἄρξαντα αὐτὸν αὑτοῦ, καὶ φίλον γενόμενον ἑαυτῷ, καὶ κοσμήσαντα, καὶ ξυναρμόσαντα τρία ὄντα* — Vid. *Diatr. in Pol. Plat.* p. 102.

1) *De Rep.* IV. 444. D.

2) *Eod.* 445. A.

pressimus. Accedat autem, credo, interpretatio oportet. Nam repugnare haec si non opinionibus nostris, certe cogitandi nostrae disserendique rationi videntur, ubi de justitia agimus. Memorare nos fere cum leges, tum poenas, tum judicia ac tribunalia solemus, de quibus in his omnibus Socratis sermonibus vix mentio fit. Agimus item de quaestionibus juris, ut vocantur, intricatioribus, quemadmodum de iis judici pronunciandum sit: quo spectat maxime jurisprudentia nostra. Id vero praetermisit de industria Plato. Caeterum mirum nonnullis, opinor, ne dicam absurdum, videatur, ita de justitia in civitate pronunciare, quasi illic sit maxime, ubi suo quisque maxime vacet officio, nec peragere quod aliorum est studeat. Imo vero, ajunt, ubi et optimae sunt leges et judices optimi. nec civium libertas cohibendis maleficis optime vindicatur, illic demum in civitate justitia est. Sed uos explicandae Platonicae doctrinae, in quam ista profecto non ita temere jaciuntur, ipsum Platonem interpretem adhibeamus.

Haud sane negavit philosophus, ea, quae nunc vulgo dicuntur, ad justitiam in civitate proxime pertinere; sed rem ille indagavit interius. Quaesivit, quemadmodum optimi in civitate exsistere cum magistratus et legislatores, tum judices possent, ut optimae constituerentur leges, eaedemque ad libertatem salutemque civium tuendam vindicarentur. Id inde repetendum censuit, si suum quisque in civitate perageret officium, i. e. illud, ad quod aptus naturâ et fere natus esset, exsequeretur, non vero, ut fere, maximeque Athenis, fiebat, omnia omnes, et gravissima adeo civitatis munera agresti ingenio homines affectarent. Itaque traditâ illâ Phoenicum de hominum e terra ortu fabulâ, primum ex omni civium genere in numerum custodum, tum etiam e custodibus in numerum magistratuum illos retulit, quorum naturae nonnihil sive argenti sive auri admixtum esset: tum custodes, maximeque futuros reipublicae gubernatores exquisita quadam institutione erudivit, ut libertatem ac salutem civium recte tuerentur. Porro de ferendis legibus, de poenis constituendis, de judicibus creandis aut ornandis tribunalibus, de his omnibus, fateor, non singulatim egit: noluit adeo in haec singula, quomodo essent instruenda, inquirere: quod *ὕδραν τέμνειν* appellabat. 1) Veruntamen tales sibi videbatur et custodes et magistratus cum elegisse, tum artibus disciplinisque informasse, quales his singulis universisque optime prospicerent. His peractis, principia sibi visus est tradidisse, ut justa esset civitas. Nec vero illud in hac re judicanda praetermittamus, quod verbo jam attigimus, *justitiae* notionem per omnem antiquitatem, nec minus apud Graecos, quam apud

---

1) *De Rep.* IV. 426. E.

gentes orientales, cum *moralis*, quam vocamus, *perfectionis* notione conjunctam fuisse, ut δίκαιος diceretur vir bonus, omnibus virtutibus ad bene vivendum instructus: quo fit, ut perfectionis cujusdam significatio in tota hac Platonis disputatione dominetur. Dicere poterat, *justam* esse perfectam illam rempublicam, quia suo unusquisque in ea peragendo officio suum cuique tribueret, *bonam* vero perfectamque, quia suum quisque perageret. Sed hoc justi bonique discrimen hîc non expressit. Caeterum interpretandi nos Platonis, non laudandi aut defendendi partes suscepimus; veruntamen animadvertere nobis licet, non ita longe Platonem a nostra cogitandi loquendique ratione discessisse. Etenim lex illa, quam ab initio in condenda civitate sancivit, ut suum unusquisque in caeterorum omnium usum perageret, ipsa est jurisprudentiae nostrae lex summa, a jureconsultis Romanis prodita, quum definirent justitiam, *constantem* illam esse *et perpetuam jus suum cuique tribuendi voluntatem*. Id enim fieri nullo modo potest, nisi primum quis suum ipse officium recte peregerit. Hîc autem nos locus admonet, ut de politica veterum, tum etiam de politicis Platonis dialogis nonnihil memoremus.

De politica veterum.

Exstat apud Platonem pulcerrima de Prometheo et Epimetheo fabula, quae maxime nos docet, quam veteres fere intellexerint politicam. Nam ut homines per Prometheum τῇ ἐντέχνῳ σοφίᾳ ad artes tractandas instructi fuerant, πολιτικὴ adhuc dicitur non adfuisse. Exstitit illa demum, a quo tempore Jupiter, misso ad hominum genus Mercurio, αἰδῶ καὶ δίκην eorum animis indidit. Sed rem nobis ipse enarret Protagoras. « Solà illà, ait, artis facultate instructi homines sparsim habitabant: nam urbes nondum erant. Dilacerabantur igitur a feris, quandoquidem his omnino erant imbecilliores. Πολιτικὴν enim τέχνην nondum tenebant, cujus pars est ars militaris. Urbibus igitur condendis congregari servarique studebant; verum, cum essent congregati, injurias sibi invicem inferebant quippe τὴν πολιτικὴν τέχνην non tenentes: quocirca dispersi denuo interibant. Jupiter igitur de genere nostro timens, ne totum evanesceret, Mercurium ad homines misit, qui afferret iis αἰδῶ τε καὶ δίκην, *pudorem ac justitiam*, quae essent urbium ornamenta ac mutuae amicitiae vincula. Interrogabat autem Mercurius Jovem, quemadmodum hominibus pudorem ac justitiam daret. Num, inquit, ut artes distributae sunt, sic et haec distribuam? Illae scilicet ita distributae sunt, ut unus artis medicae peritus aliis, qui ejus expertes sunt, sufficiat, caeterique artifices similiter. Numquid ita pudorem ac justitiam hominibus dabo? an omnibus inseram? Omni-

bus, respondet Jupiter: omnes horum participes sunto. Neque enim civitates constarent, si pauci quidam, ut aliarum artium, sic horum essent participes. Legem praeterea meo nomine conde, qua quicunque pudoris ac justitiae omnino est expers, tanquam pestis civitatis ultimo supplicio afficiatur.» 1) Similiter in *Symposio* Platonis politica σωφροσύνῃ et δικαιοσύνῃ constare dicitur. 2) Unde in primis patet, quod supra monuimus, arctissimum fuisse apud veteres politicae cum ethica necessitudinem. Separatim deinceps utraque, ad utriusque detrimentum, tractari coepta est, auctore potissimum Aristotele. Nam vi suâ destituta ethica est, quam antea habuerat, ut hominem non solum ad vitae usum, sed etiam ad res civitatis recte administrandas instrueret; politica vero, quum uberrimo illo fonte careret, unde officia, virtutes, veramque hominum felicitatem duceret, unâ contineri regnandi arte coepit. Unde dici non potest, quanta quamque gravia mala in hominum genus redundaverint. Nam factum ita est, ut, nullâ virtutis justitiaeque ratione habitâ, civilis prudentia ad regnantium caussam tuendam tota referretur, illudque Eteoclis apud Euripidem in eam accommodaretur:

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. 3)

Unde ipsum apud recentiores *politicae* nomen calliditatis atque astutiae significationem suscepit. Nota res est, quo audaciae temeritatisque hac in re apud Italos processerit Machiavellus; sed praeiverat ipsi Aristoteles: cujus e politicis scriptis cum alia loca interpretes Machiavelli notarunt, tum hanc sententiam: *non opus est principi, ut sit bonus, modo esse videatur* 4). Apud Platonem vero ethicae illud et politicae vinculum integrum exstat: quod recte tenendum, ut dialogos ejus politicos, cum caeteros, tum in primis *Politiam*, unde haec omnia duximus, recte intelligamus.

1(*Protag.* 322. B.—D. Cf. *Ekker*, *disp. de Protag. apud Plat. fabula.* Traj. 1822.
2) *Symp.* 209. A.
3) *Phoeniss.* vs. 527. Vertit Cicero:

Nam si violandum est jus, regnandi gratiâ
Violandum est: aliis rebus pietatem colat.

de Off. III. 21. Frequenter usurpabat illud J. Caesar, ut memorat Sueton. in vita.

1) Vid. Aristot. *Polit.* V. p. 231. Cf. *Star Numan*, *Diatr. in Machiav. opusc. de Principe.* Pars II, p. 7.

De politicis Platonis dialogis.

Ut ěroticos philosophi dialogos dialectici, ita hos subsecuti politici videntur: quae ratio ingenio hominis propria est, ut a pulcro ad verum, hinc autem ad justum bonumque ac rerum humanarum interiorem disquisitionem procedat. Itaque scripto *Theasteto* ac *Sophista*, ad *Politicum* progressus est; sed hic, quamvis nomine politicam prudentiam referret, re tamen, ut vidimus, ad dialecticam pertinebat maxime. Politicam demum datâ operâ tractare in *Gorgia*, maxime in *Politia* coepit. *Gorgiae* argumentum, ut *Phaedri*, rhetoricam sive bene dicendi artem spectat; verum exstat in eo locus ille de justitia gravissimus, quo justorum injustorumque post mortem judicium descripsit. Accessisse autem ita sponte suâ ad *Politiam*, vel, ut proprie inscribendus dialogus erat, ad *dialogum περὶ τοῦ δικαίου* conscribendum videtur. Adjecit his tandem senili aetate opus, politicum plane, *de Legibus;* sed nobis primum de *Politia* agendum, cujus quae sit ratio, quod in primis propositum, in magno eruditorum dissensu, operae pretium est exquirere.

De Politia Platonis.

Ratio dialogi e disputatione nostra quodammodo intelligitur. Ad investigandam justitiam philosophus in eo optimam effinxit civitatem. Sed accidit ita, ut alii justitiam, alii rempublicam dialogi esse argumentum putarent. **M u r e t u s**, qui unus in paucis optime et legit Platonis librum et interpretatus est, sic de eo monet. «Mihi utrique recte dicere videntur. Nam *σκοπὸς* est, et *περὶ δικαιοσύνης*, et *περὶ πολιτείας*. Non ut sint duo *σκοποὶ*, sed ut haec duo idem sint. Nam quod est *ἐν μιᾷ ψυχῇ δικαιοσύνη*, id in civitate talis *πολιτεία*. Nam et in politia tria genera respondent tribus animae partibus, *τὸ φυλακικὸν τῷ λόγῳ, τὸ ἐπικουρικὸν, ὡς πολεμοῦν, τῷ θυμῷ, τὸ θητικὸν τῷ ἐπιθυμητικῷ.* — Ergo et quilibet nostrum vivit *πολιτικῶς ὑποκεκοσμένος* et *πόλις δικαίως ταχθεῖσα*: estque justitia *πολιτεία ψυχῆς*, et *πολιτεία δικαιοσύνη πόλεως.* — Non ergo duo sunt *σκοποὶ*, sed unicus, *περὶ πολιτικῆς δικαιοσύνης καὶ περὶ δικαίας πολιτείας.*» 1) Equidem non dubito, quin, lecta dialogi descriptione nostra, videant lectores, justitiae exquirendae causså scriptum a Platone dialogum esse. Quod eo plenius intelligemus, quo diligentius et prooemium dialogi, et primos, qui in eo occurrunt, sermones attenderimus. Nam ubivis in hisce de *justo*, quid sit, exquiritur,

1) Muret. *in Plat. Remp. comment.* Opp. III. 517.

de *republica* ne verbum quidem. Tum demum optimae reipublicae mentio fit, ubi adhibenda putatur ad justi disquisitionem recte instituendam. Sed aliud item judicium recentius aevum de hoc opere philosophi protulit. Dixit Rossavius, rempublicam Platonis optimam sibi esse videri institutionis scholam. 1) Quod dictum, a multis probatum 2), aliqua quidem parte exprimere recte cum consilium auctoris tum operis argumentum videtur. Nam locus ille de institutione per musicam et gymnasticam in primariis censendus est dialogi partibus, et illuc profecto universe valet Socratis disputatio, ut per institutionem optimam optima informetur civitas. Veruntamen his ego finibus non cohiberi philosophi consilium credam. Ut paucis complectar, nec *politicum* est dicendum, nec *paedagogicum* palmarium hoc Platonis opus, sed *ethicam* complectitur proprie, talem autem illam, qualem ante Platonem, imo vero ne post eum quidem ad hanc usque aetatem nostram nullus unquam animo conceperit philosophus.

Unus scilicet adhuc omni aevo Plato fuit, qui in civitate hominem, in homine civitatem exploraret. Quod institui apud Graecos facilius, quam apud nos potuit. Nam vita illorum ad civitatem, cujus cives erant, tota referebatur; quo magis hujus imagine in explorandis quibuscunque rebus utebantur. Nihil est autem, quo aptius dilucidiusque cum universe ethica, tum quaestio in primis de justitia beataque vita explicari possit. Nam cum hominibus constent civitates, et quidquid in iis fit, ab hominibus repetendum sit, spectaculum illae magnum et illustre philosopho praebent, in quo hominem exploret. Veluti, quod facultates animi humani, rationem, cupiditates, θυμὸν attinet, qui semet ipse paullo diligentius cognoscere studuit, quales sint illae et quemadmodum a se invicem distinguendae, facile perspexerit; sed in civitate demum eaedem illae, tanquam in illustri quodam loco, apparent. Inde autem quaestiones omnes de virtutibus ac vitiis, quae gravissimum continent ethicae argumentum, repetendae illustrandaeque sunt. Usus est hac hominis explorandi ratione Plato, ut adhuc vidimus, quo magis optimum perfectumque hominem, in quo facultates illae recte concinerent, cognoscendum nobis praeberet; sed usus est item, quod deinceps patebit nobis, ad varia describenda hominum genera, imo vero, ad demonstrandum, quemadmodum homo ab illo perfectionis humanae fastigio per varios vitiorum pravitatisque gradus descenderet: id vero

---

1) **Rousseau**, *Emile*, L. I. init.

2) Gillies, *Hist. of anc. Greece*, III. 521. *Plato traced the plan of a perfect commonwealth; though his work, known by that title, as has been justly observed by a great genius, is rather a treatise of education, than a system of policy.*

magis etiam ad interius perscrutandum cognosceudumque hominem valet. Quid dicam de *summo bono*, de *finibus bonorum et malorum*, quae quaestio princeps fuit in omni veterum sectarum ethica? Quantas illa quamque graves lites et controversias inter philosophos excitaverit, notum est; sed, si quid aliud, haec civitatis cum homine et hominis cum civitate comparatio finem imponere his altercationibus potuit. Nam ita nos illud, quod vulgo, ut ipsa Platonis utar comparatione, minutis scriptum literis legitur, in amplo illo theatro rerum humanarum, quasi magnis literis scriptum spectamus, nec latere nos, quid sit bonum sive summum bonum, potest. Nec vero hodie inutilis esse haec hominis explorandi ratio videtur. Nam cum alia bene multa, tum maxime quae ad illum, qui nobis inest, θυμὸν attinent, sic demum in luce ponuntur.

Intelligimus exinde, quanti nobis pretii hoc antiquitatis monumentum faciendum sit. Et sane *singulare* propemodum opus dici potest. Nam sic nobis in illo ethica traditur, ut, quamvis recentiorum omnium de hoc argumento libros legerimus, *nova* prorsus doctrina videatur. Quo autem rectius praestantissimi hujus operis perspiciatur ratio, quoque magis ipsa Platonis politica illustretur, operae pretium videtur, primarium cum eo Ciceronis opus, simili titulo *de Republica* inscriptum, conferre. Nam hujus item ratio, ubi de antiqua politica agimus, perspicienda recte est, his in primis temporibus, quibus sic est integrum restitutum, ut, si minus de eo toto, certe de ejus partibus praecipuis atque universa distributione, probabiliter judicare liceat.

Politiae Platonicae ac Ciceroniani de republica operis comparatio.

Pariter igitur et Plato et Cicero, in scribendo uterque palmario suo opere, cum ethicam, tum politicam complexi sunt; sed Cicero continuo aggressus politicam est, Plato vero, ab ethica exorsus, ad politicam est progressus et hanc adhibuit ad illam explicandam. Ciceroniani dialogi exordium demonstrat nobis continuo, quid maxime scribeudo spectaverit. Est illud unum in paucis maxime Cicerone dignum, qui ipse sic eruditus in scholis philosophorum fuit, ut non deinceps in otio philosopharetur, sed philosophiam ad civitatis usum, quin etiam ad eam recte gubernandam adhiberet. Viros igitur continuo, qui, spretis voluptatibus, unam maxime civitatis suae salutem provehere studuissent, justis laudibus celebrat: quod studium *virtutis necessitatem* vocat. *Unum hoc definio, tantam esse necessitatem virtutis generi hominum a natura, tantumque amorem ad communem salutem defendendam datum, ut ea vis omnia blandimenta voluptatis otiique*

vicerit. 1) Exspectamus hinc facile; politicam deinceps princeps futuram esse scribendi argumentum: et vero, postquam in principio dialogi Scipio cum amicis, qui advenerant, Socratica ratione de utroque illo sole, mittendisque inanibus de coelo quaestiunculis, ac pertractandis rebus humanis, disseruerunt, quaestio continuo excitatur, quis sit optimus civitatis status. *Quamobrem*, ait Laelius, *ut hae feriae nobis ad utilissimos reipublicae sermones potissimum conferantur, Scipionem rogemus, ut explicet, quem existimet esse optimum statum civitatis. Deinde alia quaeremus.* 2) Hoc igitur continuo et Scipioni et caeteris solum est disserendi argumentum: quapropter primum, quid sit civitas, deinde quot genera civitatum sint, tum, quod maxime spectant, quis optimus sit civitatis status, quaerunt. In quibus sermonibus tradendis Cicero, quamvis universe Platonem secutus est, illo tamen loco, ubi de civitatum generibus ac de optima civitate agit, unam maxime Polybii sententiam exponit. Quo sponte ad reipublicae Romanae descriptionem pervenit. Nam Polybius, ut e sexti libri fragmentis patet, in ipsa Romanorum civitate optimi status exemplum reperisse sibi visus fuerat. Hunc igitur in hisce secutus Cicero, cum mixtum imperium caeteris civitatis generibus praefert, tum locum illum de Romanae reipublicae praestantia fuse et deditâ operâ tractat. In hisce omnibus vix quidquam occurrit, quod Platonis nobis referat *Politiam:* Polybium exprimit Cicero, tum etiam et Ennii et vero Catonis sententias explicat: hujus autem hoc maxime celebrat de Romana civitate effatum, non unius eam hominis ingenio, sed multorum, nec unâ hominis vitâ, sed aliquot constitutam saeculis et aetatibus fuisse. Nam, ut descripturus hanc rempublicam est, illa dicentem Scipionem facit. *Catonis hoc senis est, quem, ut scitis, unice dilexi maximeque sum admiratus, cuique vel patris utriusque judicio, vel etiam meo studio me totum ab adolescentia dedidi; cujus me nunquam satiare potuit oratio: tantus erat in homine* 3) *usus reipublicae, quam et domi et militiae cum optime tum etiam diutissime gesserat, et modus in dicendo, et gravitate mixtus lepos, et summum vel discendi studium vel docendi, et orationi vita admodum congruens. Is dicere solebat, ob hanc caussam praestare nostrae civitatis statum caeteris civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, quorum suam quisque rempublicam constituissent legibus atque institutis suis; ut Cretum Minos, Lacedaemoniorum*

---

1) Cic. *De Rep.* I. 1.

2) *Eod.* c. 20.

3) Inserendum *et* videtur. Mos id requirit Ciceronis: *et usus rei publicae et modus — et gravitate mixtus lepos — et summum — et orationi —*

Lycurgus, *Atheniensium*, *quae persaepe commutata esset*, *tum Theseus*, *tum Draco*, *tum Solo*, *tum Clisthenes*, *tum multi alii: postremo exsanguem jam et jacentem doctus vir Phalereus sustentasset Demetrius; nostra autem respublica non unius esset ingenio*, *sed multorum*, *nec unâ hominis vitâ*, *sed aliquot constituta saeculis et aetatibus. Nam neque ullum ingenium tantum exstitisse dicebat*, *ut*, *quem res nulla fugeret*, *quisquam aliquando fuisset; neque cuncta ingenia collata in unum tantum posse uno tempore providere*, *ut omnia complecterentur sine rerum usu ac vetustate. Quamobrem*, *ut ille solebat*, *ita nunc mea repetet oratio populi o r i g i n e s: libenter enim etiam verbo utor Catonis.* 1) Discedit adeo a Platone Cicero nam sic porro apud eum idem Scipio. *Facilius autem quod est propositum consequar*, *si nostram rempublicam vobis et nascentem et crescentem et adultam et jam firmam atque robustam ostendero*, *quam si mihi aliquam*, *ut apud Platonem Socrates*, *ipse finxero.* 2)

Est igitur, ut ex hisce licet efficere, *politicum* proprie Ciceronis opus: et sic quidem Platonici operis ratio magis etiam in oculos nobis incurrit. Non ille continuo, quis optimus sit reipublicae status, quaerit; sed hoc scilicet agit, ut, quid justum sit, quid injustum, exploret ac definiat: quod ethicae multo magis, quam politicae philosophiae argumentum est. Et vero in exordio Plato non exercitatum rebus civilibus ac militaribus virum, non principem civitatis, omni laudum ac gloriae genere cumulatum, ut apud Ciceronem P. Scipio Africanus est, dicentem inducit, sed a Socratis illud cum Cephalo, optimo sene, sermonibus repetit. Sic autem hos de senectute deque optima vivendi ratione disputantes facit, ut sponte sermo ad justitiae beataeque vitae rationem, quae primaria ethicae materies est, tendat: cui prooemio totus, ut vidimus, dialogus respondet. Factum ita est, ut idem hoc prooemium Ciceroni cum materiâ, tum etiam formâ, opportunitatem dederit ad *Catonem* scribendum, quo datâ ille operâ de senectute, de moribus atque optima felicissimaque vita egit. Quo magis hîc cernimus, ut *politicum* Ciceronis opus est, ita hoc Platonis opus *ethicam* proprie complecti.

Sed quamvis ita et Cicero et Plato in primario scribendo libro diversum habuerint propositum, multum tamen abest, ut cum ethicam ille, tum hic politicam neglexerit prorsus. Recte vidit Cicero, nullam sine moribus esse civitatem posse; Plato autem, quo ethicam illustraret magis, ad perfectam civitatis formam hominem excolendum erudiendumque censuit. Operae pretium est, Ciceroniani operis, quod mores atti-

---

1) Cic. *eod.* II. 1.
2) Id. *eod.*

net, rationem paullo attentius considerare. Communis haec interpretum, a veteribus jam prolata, sententia est, ut finxit ordinavitque civitatem Plato, ita Ciceronem tantummodo rempublicam Romanam, quippe perfectissimam, adumbrasse. Sic enim jam Macrobius *ad somnium Scipionis* in libri sexti exitu: *inter Platonis et Ciceronis libros, quos de republica utrumque constituisse constat, hoc interesse prima fronte perspeximus, quod ille rempublicam ordinavit, hic retulit: alter, qualis esse deberet, alter, qualis esset a majoribus instituta, disseruit* 1). Cui opinioni ansam dedisse ipse Cicero videtur, quum Scipionem dicentem faceret, facilius se propositum consecuturum, si rempublicam Romanam — ostendisset, quam si aliquam, ut apud Platonem Socrates, ipse finxisset. Tubero vero, apud eundem, Scipioni, postquam is Romanam rempublicam adumbraverat, haec dicit: *Laudavisse mihi videris nostram rempublicam, cum ex te non de nostra, sed de omni republica quaesisset Laelius. Nec tamen didici ex oratione tua, istam ipsam rempublicam, quam laudas, qua disciplina, quibus moribus aut legibus constituere vel conservare possimus* 2). Quae cum dixisset Tubero, Africanus, *puto*, inquit, *nobis mox de instituendis et conservandis civitatibus aptiorem, Tubero, fore disserendi locum. De optimo autem statu equidem arbitrabar me satis respondisse ad id, quod quaesierat Laelius. Primum enim numero definieram genera civitatum tria probabilia; perniciosa autem tribus illis totidem contraria: nullumque ex iis unum esse optimum; sed id praestare singulis, quod e tribus primis esset modice temperatum. Quod autem exemplo nostrae civitatis usus sum, non ad definiendum optimum statum valuit — nam id fieri potuit sine exemplo — sed ut in civitate maxima reapse cerneretur, quale esset id, quod ratio oratioque describeret. Sin autem sine ullius populi exemplo genus ipsum exquiris optimi status, n a t u r a e i m a g i n e utendum est nobis* 3). Quo patet, Ciceronem, etiamsi proprie non ad Platonis exemplum civitatem finxerit, tamen informare ingenio rempublicam studuisse; usurpasse autem civitatem Romanam, quo aptius ita *naturae imaginem* exprimeret. Deperdita sunt loca, quibus id peregisse videtur; in proximis autem supersunt, e quibus, quid in *naturae* illa *imagine* spectaverit, conjiciamus 4). In his elucet maxime locus de justitia. *Renuncio*

1) Macrob. ad *Somn. Sc.* I. 1.

2) Cic. *De Rep.* II. 1. 11. 38.

3) Id. *eod.* 39.

4) Recte Majus ad h. l.: *sermo hic fuit de natura; quae moderationem justitiamque suadet et servat.* — Videtur autem mihi Cicero hic datâ operâ, ad Plato-

vobis, ait Scipio, *nihil esse, quod adhuc de republica dictum putemus, aut quo possimus longius progredi, nisi erit confirmatum non modo, falsum illud esse, sine injuria non posse, sed hoc verissimum esse, sine summa justitia rempublicam geri nullo modo posse* 1). Quemadmodum autem gravissimum hunc in ethica locum tractaverit Cicero, testis nobis Augustinus est, qui integrum Ciceronis opus legerat. « In tertio libro, memorat, magnâ conflictatione res acta est. Suscepit enim Philus ipse disputationem eorum, qui sentirent, sine injustitia regi non posse rempublicam; purgans se praecipue, ne hoc ipse sentire crederetur: egitque sedulo pro injustitia contra justitiam, ut hanc esse utilem reipublicae, illam vero inutilem, verisimilibus rationibus et exemplis velut conaretur ostendere. Tum Laelius, rogantibus omnibus, justitiam defendere aggressus est, asseruitque, quantum potuit, nihil tam inimicum, quam injustitiam, civitati, nec omnino, nisi magna justitia, geri aut stare posse rempublicam. Qua quaestione quantum satis visum est pertractata, Scipio ad intermissa revertitur, recolitque suam atque commendat brevem reipublicae definitionem, qua dixerat, eam esse rem populi: populum autem non omnem coetum multitudinis, sed coetum juris consensu et utilitatis communione sociatum esse determinat » 2). In qua disputatione Cicero non justo, fateor, ordine egit; nam assumsit ab initio, quod hoc demum libro tertio exponit ac demonstrat, cuique, tanquam hypothesi, totam doctrinam quasi inaedificaverat; illud dico *rem publicam esse rem populi; populum autem coetum multitudinis juris consensu et utilitatis communione sociatum* 3). Hoc nunc demum e justitiae natura explicat. Aptius Plato, qui ab ethica orsus, sic sibi facillime ad politicam viam stravit. Veruntamen patet nobis inde, Ciceronem non solum ethicam in tradenda politica non neglexisse, sed gravissimum hunc de justitia locum fuse diligentissimeque tractasse. Quo magis est sane quod doleamus, Laelii hanc pro justitia orationem intercidisse. Nam, ut effici e veterum testimoniis potest, in hoc tractando argumento semet ipse superasse oratorum apud Romanos princeps videtur.

---

nis exemplum, de *prudentia, fortitudine, temperantia* ac *justitia* egisse: non, ut in optima civitate optimum hominem exploraret, sed secundum id, quod dixerat I. 31. *talis est quaeque respublica, qualis ejus aut natura aut voluntas, qui illam regit.* Inde haec II. 40: — *quem jam dudum quaero* et c. 42: *video jam, illum, quem exspectabam, virum cui praeficias officio et muneri.* Inde concordia virtutum et harmonia in republica et his locis et in *Somnio Scipionis.*

1) *De Rep.* II. 44.

2) August. *de civ. Dei* II. 21.

3) *De Rep.* I. 25.

Quod autem Platonis attinet consilium, ut opus ethici argumenti, proprieque *περὶ τοῦ δικαίου* scriberet, tantum abest, ut vel politicam non attingeret, vel solummodo ad ethicam explicandam adhiberet, ut verissima ita poneret germanae politicae fundamenta.

De politica Platonis.

Non ille quidem, quod postea fecit Polybius, mixtum civitatis genus accurate exposuit: quamquam attigit illud quodammodo in opere *de Legibus*. 1) Perspici id informarique tum demum a Graecis politicis potuit, postquam innotuerat iis Romana respublica, eaque ad vim et vigorem pervenerat. Vix quidquam ei simile spectandum praebuerant civitates Graecae. Sed ante Polybium Plato, et illo, ni fallor, interius, quae omnis essent politicae principia verissima, perspexerat. Imo vero, quamvis magni post Polybium facti fuerint in juris publici doctrina progressus, hac nostra quoque aetate proficere nobis ex iisdem illis Platonicae politicae principiis licet. Non finxit ille, quod recentioribus placuit, nescio quem, *naturae statum*, e quo homines, quasi *pacto* inter se *mutuo* inito, ad vitam civilem progressi sint. Missis fictionibus, ex antiquis traditionibus, quae vita hominum pristina fuisset, indagavit. Quod in *Politico* 2) et in *Legibus* 3) fecit, indeque origines optimarum civitatum duxit. Tum vero in politicis justi studium, homini naturâ proprium, celebravit maxime, nec tamen rejecit, quae indigentiam hominis vitaeque communis ac societatis appetitum, tum etiam utilitatis spem spectarent. Ab his enim initia civitatum repetebat; veluti in ipsa *Politia*, ubi civitatem condere instituit, Socratem haec facit, ut vidimus dicentem. *Γίγνεται τοίνυν πόλις, ὡς ἐγῷμαι, ἐπειδὴ τυγχανει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής· ἢ τίν' οἴει ἀρχὴν ἄλλην πόλιν οἰκίζειν;* 4) Sic scilicet convenire secum invicem homines, mutuoque sibi prodesse, statuit: qua in re apium ac formicarum similes sunt. Sed idem ab initiis hisce societatis omnis ac civitatum illud distinguit, quod nos vocare *principium civitatis* solemus. Est autem id justi bonique studium, uni naturae humanae proprium, quod, quo magis se homo explicat, eo magis in eo apparet, effecitque in hominum genere, ut leges ad justi normam exactae conderentur, atque exsisterent ita civitates *juris consensu*, ut Cicero vocat,

---

1) L. III. 692. A.
2) *Politic.* 271.
3) L. III. 678.
4) *De Rep.* II. 369. B. Cff. *Initia* p. 468.

conjunctae. Expressit hoc Plato plane in Promethei fabula enarranda. Dederat hominibus Prometheus, una cum igne, *τὴν ἔντεχνον σοφίαν*, qua instructi prospiciebant sibi, ut et cibos et vestes et arma et quidquid ad vitae usum utilitatemque pertineret, sibi compararent; deerat vero mortalibus *πολιτική*: quo fiebat, ut his ipsis armis, quibus se defendere a feris bestiis debuerant, se invicem interimerent. Quid igitur? Nempe, ne periret hominum genus, cavit Jupiter, ac Mercurium ad miseros mortales misit, qui inderet iis *αἰδῶ καὶ δίκην*, *pudorem* et *justitiae sensum.* Tum vero enata in his terris politica est, coeperuntque homines in civitatibus vitam agere civilem, i. e. justis legibus temperatam, ut in legibus haberent verissimae salutis felicitatisque praesidia. Haec sunt germana, ni fallimur, juris publici principia, quibus perceptis recte, et Ciceronem intelligemus, ubi sine justitia esse civitatem non posse affirmat, nec statum naturae aut rudium populorum contractum, qualem recentiores philosophi fingendum necessario existimaverunt, desideraturi magnopere sumus.

De opere Platonis de Legibus.

Quodsi rectius etiam et intelligere et dijudicare politicam Platonis velimus, legendum nobis praecipue opus est, quod *de Legibus* inscriptum est. Nam ut in *Politia* ad explicandam illustrandamque ethicam politicam adhibuit, ita in hocce dialogo ipsam datâ operâ tradere politicam studuit. Itaque Cliniam hic Cretensem induxit cum Megillo Lacedaemonio et hospite Atheniensi de colonia condenda agentem, quam ipse esset ducturus et optimis quibusque legibus instruere averet. Sermones hi igitur non, ut in *Politia*, justitiam et vitam beatam spectant, sed ad leges referuntur proprie, quibus optime et constituatur et regatur civitas. Quamquam abest multum, ut, missâ ethicâ, artem nos ita Plato regnandi docuerit, quod unum postea conati sunt multi; imo vero explicandam ille politicam ex ethica atque ex interiore hominis notitia censuit. Sed de dialogis Platonis, ut, quod sit apud eum politicae et ethicae vinculum, intelligatur, haec satis: nunc quae verissime dicenda sit vita beata, exquiramus.

DE VITA BEATA.

Fictâ civitate optimâ; exactoque ad cam animo hominis, patuit jam nobis, longe perfectiorem esse justum hominem, quam injustum, imo vero, sano illum integroque, hunc autem aegroto corruptoque simillimum esse: nec vero affirmare dubitamus, justi conditionem longe esse, quam injusti, beatiorem. «Sed huc cum pervenerimus, ait Socrates, ecce! in speculam veluti quandam escendimus, unde non tantum optimam illam rempublicam conspicere, sed assequi etiam licet, quemadmodum corrumpantur civitates atque ad pessimam conditionem delabantur. Age igitur, inquit, huc accede, o Glauco, ut videas, quot habeat species vitium. Cui Glauco, ego vero, inquit, sequor. Dic modo. Tum Socrates, sane cum huc escenderimus, una mihi esse videtur virtutis species, pravitatis vero innumerae; veruntamen quatuor sunt maxime, quarum mentio facienda sit. — Quomodo istud ais? — Quot sunt rerumpublicarum, tot esse animi species videntur. — Quot? — Quinque rerumpublicarum, quinque item animi. — Quaenam illae? — Unam esse ajo hancce, quam exposuimus: duobus autem nominibus appellari potest. Nam si inter principes civitatis unus quidam sit omnium praestantissimus, *βασιλεία* dicenda sit, sin autem plures, *ἀριστοκρατία*. — Vera narras. — Hanc unam adeo speciem esse dico, quia, sive plures gubernent, sive unus, nullus, qui ita, ut diximus, educatus eruditusque fuerit, quidquam magnopere in reipublicae legibus innovabit» 1). — Et

1) *De Rep.* IV. 445. C. ad finem.

sic quidem hunc ingreditur eum adolescentibus sermonem Socrates, qui ad tyrannidem ducit, civitatis conditionem pessimam. Hinc autem comparare justam civitatem cum injustissima, justum hominem cum injustissimo, indeque de utriusque, et civitatis et hominis, vita recte judicare licebit.

Exigitur ad optimae civitatis felicitatem earum conditio civitatum, quae corruptae sunt.

Acturus deinceps Plato de optimae civitatis in pejorem conditionem commutatione, ad Pythagoreorum exemplum rem a coeli conversionibus ac numerorum naturis ducit. Qui locus in ejus scriptis omnes omnis aevi interpretes pessime habuit, necdum satis explicitus videtur. Nobis, cum ipsam maxime interpretari Platonis philosophiam studeamus, illud potissimum animadvertendum est, repeti ab eo commutationem illam proxime cum a musicae atque institutionis puerilis neglectu, tum etiam inde, quod genera hominum, quae in perfecta republica recte erant distincta, commiscentur. Musas igitur haec continuo dicentes inducit: «nos iccirco negligere custodes incipient, musicam non, ut decet, neque gymnasticam curantes: unde ἀμουσότεροι fient juvenes nostri. Inde autem principes constituentur negligentiores, quam decet, ad recte discernendum, quibus gerundis rebus singuli cives naturâ sint apti: quo neglecto, omnia in civitate perturbentur necesse est.» 1)

De timocratia et viro timocratico.

Aristocratiae, quam optimam dixit Plato civitatem, proxime accedit de ejus sententia timocratia: utriusque autem discrimen ut recte perspiciatur, de perfecta illa republica hoc item tenendum uobis est. Qui defenduut eam et regunt, custodes ac magistratus, hos uoluit ipsos rei familiari eonsulere; caeteros jussit eives victui eorum prospicere: tum vero universis voluit eum opes, tum uxores etiam et liberos commuues esse. In quibus placitis multa, fateor, occurrunt absurda naturaeque humanae repugnantia, propterea quidem, quod ad *civilem* ea hominum statum accommodavit; sed hoc ille spectabat in primis, ut ita una esset civitas nec diversis singulorum studiis in partes distraheretur, tum vero sic sperabat fore, ut cives se invicem tanquam fratres diligerent, natu majores tanquam *parentes* revererentur et pueros ut *filios* ipsi suos

1) *De Rep* VIII. 546. E. — 547. A.

paterno amore complecterentur. Qualem hominum societatem, sed sejunctam a *civili* vita et *moralem*, posse exsistere et res loquitur et historia post Platonem docuit. Talis enim exstitit per religionem Christianam communis hominum civitas, animorum consensu divinorumque auctoritate praeceptorum juncta et stabilita. Sed his ita de optima Platonis republica monitis, assequimur jam facile cum hujus et timocratiae comparationem, tum etiam, quemadmodum illa apud Platonem in hanc commutetur. «Neglecto, ait, civium discrimine naturali, confusisque ita hominum generibus, *ferreum* et *aeneum* ad quaestum, agrorumque et domorum possessionem ferentur, *aureum* vero et *argenteum*, quippe naturâ nil eorum appetentia, ad virtutem rectamque conditionem tendent. Orto igitur tumultu ac seditione, in medium convenient, ut agros atque domos privatim possideant; illis vero, qui antea ab iis privabantur tanquam liberi, amici et nutritores, in servitutem redactis et loco accolarum et ministrorum habitis, ipsi belli atque custodiae illorum curam gerant. Hinc videtur mutatio oriri et erit hic reipublicae status inter aristocratiam et oligarchiam medius aliquis. Quamobrem imitabitur partim priorem civitatem, partim oligarchiam, habebit autem pariter proprium quid. Et priorem quidem in eo imitabitur, quod principes honorabuntur, et milites ab agricultura mechanicisque artibus abstinebunt, et communia fient convivia, gymnasticique ludi et belli certamina frequentabuntur. Proprium autem hoc habebit, quod sapientes non ad principatum admittet, sed homines *θυμοειδεῖς* eosque, qui belli magis quam pacis amantes sint. Caeterum erunt in hac civitate cives pecuniarum appetentes, ut in oligarchiis, quippe *οὐχ ὑπὸ πειθοῦς, ἀλλ' ὑπὸ βίας πεπαιδευμένοι, διὰ τὸ τῆς ἀληθινῆς Μούσης τῆς μετὰ λόγων τε καὶ φιλοσοφίας ἠμεληκέναι, καὶ πρεσβυτέρως γυμναστικὴν μουσικῆς τετιμηκέναι· non persuasione, sed vi educati, propterea, quod Musam veram, quae cum sermonibus et philosophia conjuncta est, neglexerunt, magisque ac potius gymnasticam, quam musicam, honoraverunt.* Erit igitur respublica haec e bono maloque mixta.» 1)

Mirum alicui fortasse videatur hoc civitatum genus. Nam per totam antiquitatem nil est oligarchiâ, democratiâ et tyrannide frequentius; *timocratiam* vero quis, uno excepto Platone, memoravit? Videtur sane Plato nominis auctor fuisse: nam dubitat quaeritque apud eum Socrates, quemadmodum nuncupanda civitas illa videatur. Spectavit nempe Cretensem et Lacedaemoniam, quarum utramque a sua civitate peculiari nomine distinguere studebat. Hae ipsius aetate optimae habebantur,

---

1) *De Rep.* VIII. 547. B. - 548. C.

ut et ipse affirmat et Xenophontis exemplum docet, qui vix quidquam in politicis, praeter Lacedaemoniorum instituta, laudare solebat. Plato vero in utraque, maximeque in Lacedaemonia, ut ex his locis intelligitur, cnm morum duritiem, tum helli studium reprehendit vehementer, persecutusque, quae hîc inchoaverat, in opere *de Legibus* est. Quod maxime videtur tenendum, si opns illud recte velimus intelligere. Sic factum, nt in dialogo Cliniae Cretensi et Megillo Lacedaemonio tertiam adjungeret personam, hospitem Atheniensem, quo semet ipsum significasse videtur; universam autem disputationem a Cretensium ac Lacedaemoniorum legibus duceret, quibus vir ille Atticus, Attica urbanitate, humaniores leges opponeret. Hinc explicandum item est, quare choris, praeter Musas et Apollinem, Bacchum adjecerit, qui vini usu morum temperaret asperitatem: tum vero fusam illic instituerit de musica, hujusque artis ad humanitatem efficacia, disputationem. Sit sane operae pretium, haec persequi; sed nobis jam timocraticae illi civitati comparandus vir timocraticus est.

Nam, uti optimam Plato civitatem, quam aristocratiam appellabat, finxit, ut exigeret ad eam virum bonum et justum 1), eodem consilio haec tradidit de timocratia sive Spartanorum republica, ut virum scilicet, qui ah optimo proxime abesset, ad ejus speciem informaret. Audiamus igitur Socratem, sic de eo disserentem. «Quis jam, quaerit, secundum hanc rempublicam vir? quomodo exsistit et qualis est?» Hîc Adimantus, oculis in fratrem conversis «reor eum equidem, inqnit, Glauconi huic nostro, quod contentionem et amhitionem attinet, haud dissimilem esse. Tum Socrates, fortasse, reponit, hac in re ei similis est, veruntamen in aliis non item. — Quihus in rebus? — Contumaciorem sane eum esse necesse est et a musica quodammodo alieniorem, musicae tamen cupidum 2); et audiendi quidem studiosum, dicendi vero peritum nequaquam. Et erit adversus servos quosdam agrestis hujusmodi vir, haud servos despiciens, quemadmodum vir recte eruditus, erga liberos autem erit mitis: erga principes qnidem obediens maxime, sed et principatus et honorum avidior, oportere existimans non arte dicendi vel alia quavis simili facultate, sed rehus bellicis civilihusque excellere et caeteris praeesse, cum sit et gymnasticae et venationis admodum studiosus. Caeterum pecunias iste in juventute con-

---

1) *De Rep.* IV. 544. E.

2) Pravâ distinctione conturbata haec sunt. Legitur enim: *αὐθαδέστερόν τε δεῖ αὐτὸν εἶναι καὶ ὑποαμουσότερον· φιλόμουσον δὲ καὶ φιλήκοον μὲν, ῥητορικὸν δ' οὐδαμῶς.* Distingue, ut fecit Ficinus: — *ὑποαμουσότερον, φιλόμουσον δὲ· καὶ φιλ.* —

temnit, quo vero senescit magis, eo magis pecunias diliget, quod avarae naturae particeps, neque integer sit ad virtutem, quia optimo custode caret. Est autem custos ille *λόγος, μουσικῇ κεκραμένος· ὃς μόνος ἐγγενόμενος, σωτὴρ ἀρετῆς διὰ βίου ἐνοικεῖ τῷ ἔχοντι* 1) *ratio, musicâ temperata; quae sola cum adest, per omnem vitam, ei, qui ipsam tenet, virtutis insidet conservatrix.»* 2)

Talis igitur juvenis timocraticus, i. e. timocraticae civitati similis est. Sed quo interius Plato optimae naturae corruptionem indaget, illamque ab ipsis initiis deducat, exigit eam ad optimae civitatis corruptionem. «Fit talis fere, ait Socrates, juvenis ille, quandoquidem patrem habet bonum, sed qui in civitate non bene gubernata habitans, honores, principatus ac judicia fugit; matrem vero, quae indignatur, quoties maritum videt horum omnium, itemque pecuniarum, negligentiorem. Facile haec filio dicit, ignavum ipsi patrem esse nimiumque remissum et alia, quae de talibus garrire mulieres consueverunt. Talia item famuli pueris in aurem dicunt, et si quem viderint vel pecunias patri debentem, quem ipse non in jus vocat, vel in aliis peccantem, edicunt puero, si quando vir evadat, omnes tales ulciscatur, virque magis sit, quam pater exstiterit. Caeterum domo item egressus puer, his non dissimilia audit videtque: homines nempe, qui in civitate suarum rerum satagunt, stolidos vocari et parvi pendi, qui vero sua negligunt, honorari laudarique. Quum haec igitur adolescentulus audit videtque, rursusque patris percipit sermones, *ἑλκόμενος ὑπ' ἀμφοτέρων τούτων, τοῦ μὲν πατρὸς αὐτοῦ τὸ λογιστικὸν ἐν τῇ ψυχῇ ἄρδοντός τε καὶ αὔξοντος, τῶν δὲ ἄλλων τό τε ἐπιθυμητικὸν καὶ τὸ θυμοειδὲς, τὴν ἐν αὑτῷ ἀρχὴν παρέδωκε τῷ μέσῳ τε καὶ φιλονείκῳ καὶ θυμοειδεῖ· καὶ ἐγένετο ὑψηλόφρων τε καὶ φιλότιμος ἀνήρ· ab his utrisque attractus, quum pater in ipsius animo rationem, caeteri vero cupiditatem atque iram fovent augentque, animi sui imperium mediae illi facultati, contentiosae atque iracundae tradit, fitque vir elato animo ac gloriae cupidus.»* 3)

Animadvertimus facile in legendis hisce curam diligentiamque Platonis, qua hominem illum exploravit: idemque nobis deinceps, ubi de viro oligarchico, democratico et tyrannico agit, apparebit. Erat scilicet in omni hac disputatione princeps ejus consilium, non, ut civitatum conditionem, sed ut hominis naturam indagaret. Inde enim maxime

---

1) Non negligenda lectio est, quam secutus Ficinus videtur, *ἐνοικεῖ τῷ ἄρχοντι.* Vertit enim: *per omnem vitam virtutem in eo, qui praeest, servat.*

2) *De Rep.* VIII. 548. E.

3) *Eod.* 548. E. — 550. B.

quaestionem de justitia ac felicitate explicandam esse arbitrabatur. Attendendum autem nobis in primis est, respexisse in his philosophum potissimum tria illa, quae in animo hominis repererat, τὸν λόγον, τὸ θυμοειδὲς et tertium τὸ ἐπιθυμητικόν. In optimo homine sic ea esse temperata demonstraverat, ut suum singula peragerent: gubernaret animum ratio, submissae rationi essent cupiditates, θυμὸς vero sive τὸ θυμοειδὲς, quo rectius et compescerentur et rationi servirent cupiditates, rationem adjuvaret. Sic demum hominem dixerat secum ipsum consensurum esse ac bonum justumque futurum. In his autem nos docet, quemadmodum, demto hoc trium illorum consensu et velut concentu, ad pejorem identidem conditionem delabatur homo. Idem vero magis etiam patebit nobis, ubi ad philosophi de oligarchico viro disquisitionem pervenerimus. Sed primum de oligarchia agendum.

De oligarchia et viro oligarchico.

Appellavit hanc Plato civitatem, in qua pauci quidam summam rerum tenerent, qui opibus praecellerent caeteris, talem omnino, qualem nos vulgo vocare aristocratiam solemus. 1) Paucis eam sic describit: τὴν ἀπὸ τιμημάτων πολιτείαν, ἐν ᾗ οἱ μὲν πλούσιοι ἄρχουσι, πένησι δὲ οὐ μέτεστιν ἀρχῆς. 2) Quaerentem autem continuo Socratem facit, quemadmodum haec e timocratia oriatur. «Est illud autem, inquit, vel coeco manifestum. Scilicet τὸ ταμιεῖον ἐκεῖνο ἑκάστῳ χρυσίου πληρούμενον ἀπόλλυσι τὴν τοιαύτην πολιτείαν· *aerarium illud cujusque auro plenum, perdit talem rempublicam.* Nam primum novos sumtus reperiunt atque illuc contorquent leges: tum de augendis divitiis aemulantur secum invicem et concertant. Quo vero majore in civitate honore divitiae ac divites habentur, eo minore habentur virtus et boni cives. Ἀσκεῖται scilicet τὸ ἀεὶ τιμώμενον, ἀμελεῖται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον. Itaque divites ad magistratus evehuntur, pauperes contemnuntur. Hinc damna oriuntur gravissima. Non enim rerum periti, sed divitiis excellentes civitatem gubernant: non una manet civitas, sed exsistunt duae, altera divitum, pauperum altera, sibi invicem inimicae: vix bellum suscipere principes audent, plebem armatam magis, quam hostes, reformidantes: tum vero, quod gravissimum malum est, ut cuique licet sua omnia alienare, ita sunt qui haec acquirant; unde turba exsistit cum mendicorum, tum maleficorum. Talis igitur civitas est paucorum imperio subjecta et tot habet, fortasse alia item, mala.» 3)

1) Vid. *Lusac Orat. de Socr. cive.* L.B. 1796 in Adnot.
2) *De Rep.* VIII. 550. C.
3) *Eod.* 550. D. — 552. E.

Suspicari hoc loco licet, denuo respexisse Platonem Lacedaemoniorum rempublicam, non prouti antea e Lycurgi legibus fuerat, sed qualis ipsius aevo esse coeperat. Nam opum divitiarumque studium Spartam, post bellum in primis Peloponnesiacum, invasisse, et historia docet et aliis locis Plato commemorat. Caeterum quadrant plane in Spartanae reipublicae conversionem corruptionemque, quae hoc nostro loco Socrates de oligarchia mouet. Veruntamen universe respexisse Plato illas Graeciae civitates videtur, in quibus per opes maxime iter ad honores patebat, tum proprie, ut mihi quidem videtur, Phoenicias civitates, inque his maxime Carthaginem, ubi diserte prodit Aristoteles, *πλουτινδὴν*, non *ἀριστινδὴν* res administratas esse. Divitiarum certe cupiditatem Plato Phoenicibus tribuit potissimum, ut e loco, quem jam adduximus, patet. *Τὸ φιλοχρήματον, ὃ περὶ τούς τε Φοίνικας εἶναι καὶ τοὺς κατὰ Αἴγυπτον φαίη τις ἂν οὐχ ἥκιστα.* 1) Sed oligarchiam sic nobis Plato descripsit, quo interius oligarchici, quem vocat, viri vitia exploraret. Illuc igitur progredimur.

« De hoc item videndum, ait Socrates, quemadmodum fiat et qualis sit. Sic igitur ex ambitioso illo fieri solet, ubi patris istiusmodi filius, primum imitatus eum, deinde videt ex culmine dignitatis prolapsum, in judicium ab insidiatoribus deductum, a calumniatoribus circumventum, tum morte condemnatum vel in exsilium ejectum, famâ omnino et bonis spoliatum. Haec igitur intuitus ille ac perpessus, amisso patrimonio, propter formidinem confestim, credo, *ἐπὶ κεφαλὴν ὠθεῖ ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ ἐν τῇ ἑαυτοῦ ψυχῇ φιλοτιμίαν τε καὶ τὸ θυμοειδὲς ἐκεῖνο· ex animi sui throno et ambitionem illam et irae impetum dejicit*, tum humilior propter paupertatem factus, sese ad quaestum convertit et angusto admodum animo parce vivens, seque in obeundo negotio vexans, pecunias colligit. *Ἆρ' οὐκ οἴει τὸν τοιοῦτον τότε εἰς μὲν τὸν θρόνον ἐκεῖνον τὸ ἐπιθυμητικόν τε καὶ φιλοχρήματον ἐγκαθίζειν, καὶ μέγαν βασιλέα ποιεῖν ἐν ἑαυτῷ, τιάρας τε καὶ στρεπτοὺς καὶ ἀκινάκας παραζωννύντα; nonne putas hujuscemodi hominem in illo tunc animi throno cupiditatem atque avaritiam positurum, atque hanc, regis Persici instar, diademate, fimbriis, ense exornaturum? Τὸ δέ γε, οἶμαι, λογιστικόν τε καὶ θυμοειδὲς χαμαὶ ἔνθεν καὶ ἔνθεν παρακαθίσας ὑπ' ἐκείνῳ καὶ καταδουλωσάμενος· rationem autem, credo, et irae impetum humi hic illic depositum, servire huic cogit*, nihilque aliud inquirere sinit ac considerare, nisi unde e paucioribus pecuniis quam plurimae efficiantur, ut, praeter divitias et divites, nihil colat. Haec est *φιλοτίμου νέου* in *φιλοχρήματον* commutatio. » 2)

1) De *Rep.* IV. 435. E.

2) *Eod.* VIII. 553. A. — 554. E.

Neglecta fere a philosophis est tota haec hominis apud Platonem in pejorem conditionem conversio. Nec mirum. Nam agi hoc loco unice de civitatum conversionibus videbatur: vix attendebatur iccirco, quidquid de hominis animo ejusque commutationibus occurrebat. Sunt autem reapse hae animi humani commutationes princeps harum disquisitionum argumentum. Ad *ethicam* enim proprie, non ad *politicam* totum hoc, ut vidimus, philosophi opus refertur. Et dici vix potest, quantâ ille diligentiâ naturaeque humanae perspicientiâ hominis ad vitia iter exploraverit ac declaraverit. Summam habet, ut animadvertere jam coepimus, trium illorum, quae homini insunt, λογιστικοῦ, θυμοειδοῦς et ἐπιθυμητικοῦ, rationem, quae in aristocratico sive bono justoque homine consentiunt, in timocratico autem et oligarchico turbantur, ut in animo ipsorum veluti seditiones oriantur. Tum vero iter illud hominis ad vitia omnemque pravitatem attendamus diligenter. Fit ille primum, ut timocraticus iste, *superbus* atque *ambitiosus*, ὑψηλόφρων καὶ φιλότιμος ἀνήρ. 1) Dominari in eo τὸ θυμοειδὲς incipit, ut minus, quam par est, ratio auctoritatis habeat: excitantur cupiditates etiam, quibus gloriam unice et auctoritatem appetit. Sunt haec praeclarissimorum etiam virorum vitia, in quibus feruntur facile; verum vitia sunt tamen, iisdemque animus proclivis ad omnem pravitatem fit. 2) Nam, quod e civitatis timocraticae in oligarchiam conversione patet, cupiditatis hac viâ a gloriae studio ad auri sacram famem convertuntur: quo accidit, ut θυμοειδὲς illud, quod excitare hominem ad generosa facinora solebat, solis inserviat cupiditatibus explendis, quae opibus inhiant, et nihil habent cum generositate atque animi magnitudine commune. Et vero efficitur simul, ut hinc deinceps in homine nullum non cupiditatum genus excitetur, isque tandem, omni spretâ rationis auctoritate, nec quidquam habens ἐν τῷ θυμοειδεῖ praesidii, totus a cupiditatibus, et pervicacissimis quidem illis ac prorsus effrenatis, pendeat ac regatur. Verum hoc ut nobis demonstraret Plato, ad democratiam et tyrannidem animum nostrum convertendum censuit. Nos igitur pergamus illuc.

De democratia et viro democratico.

«Oritur, ait, ex oligarchia democratia propter insatiabilem divitiarum cupiditatem. Nam ut divites sunt, qui tali civitati praesunt, ita hi

---

1) *De Rep.* VIII. 550. B.

2) Nostro id proverbio exprimitur: *lapsum praecedit superbia.* Sed communis haec omnis est antiquitatis sententia: quamobrem Deus occurrit illic fere, nil magis in homine puniens, quam superbiam. Vid. *De Jongh Disq. de Herodoti philosophia.* Traj. ad Rh. 1833. p. 32.

juvenes facile sinunt patrimonium suum negligere, in emtionibus ac foenoribus eorum acquirentes bona, opulentiores etiam atque honoratiores fiant. Sic reddunt illos molles, delicatos, socordes, voluptatibus ac doloribus succumbentes. Fit autem, ut pauperes, ad hanc abjecti conditionem, divitum illorum luxum non ferentes, vel ipsi vel aliunde auxilia nacti seditiones moveant. In quibus si vicerint, statim democratia exsistit. Est autem illa hujusmodi. Liberi erunt omnes, libertatisque erit et *παῤῥησίας* plena civitas: licebit adeo unicuique id quod vult peragere. Quocirça pulcerrima videbitur haec reipublicae conditio, quippe quae perqnam varia continet hominum genera. Porro divina illic erit civium vita, cum neque cogare magistratibus fungi, si vel maxime possis, neque parere, si nolis, neque bellum gerere aliis bellum gerentibus, neque pacem agere agentibus aliis, nisi id placeat: imo vero, si qua te lex imperare vetet ac sententias ferre, nihilominus et imperes et sententias feras in judicio, modo hoc tibi visum fuerit. Quid autem de lenitate erga damnatos dicam? Homines in hac civitate videmus, vel morte vel exsilio condemnatos, nihilominus urbem incolere ac prodire in medium, et saepe, quasi nemo id videat aut curet, herois instar per urbem incedere. Sic igitur suavissima erit haec respublica, *ἰσότητά τινα ὁμοίως ἴσοις τε καὶ ἀνίσοις διανέμουσα· aequalitatem quandam similiter aequalibus inaequalibusque distribuens.*» 1)

Sit sane ita, prouti diximus: *hominem* in disquisitionibus hisce magis, quam *civitatem* resque civiles exploraverit philosophus; veruntamen, quod hanc attinet oligarchiae in democratiam conversionem, etiamsi hoc unum habuisset consilium, ut eam e verissimae politicae principiis adumbraret, rem sane perficere accuratius non potuisset. Cavendum autem, ne reprehensam exagitatamque a Platone democratiam putemus, qualis a Solone fuerat Athenis constituta ac deinceps ab optimis quibusque oratoribus Atticis, ab ipso Demosthene, laudata est ac commendata. Ipse eam in *Menexeno* celebravit. 2) De conversionibus hoc loco civitatum a meliore ad pejorem conditionem agit: respicit igitur Atticae quidem reipublicae democratiam, verum eâ maxime conditione, qua suâ erat aetate. Quod ubi attenderimus, quadrare nobis haec democratici imperii descriptio in civitates omnes et regna videbitur, in quibus, spretâ auctoritate legum ac sursum deorsumque versatis omnibus, unam cuncti insano studio et ardore libertatem crepant. Accuratissime autem traditâ et veluti in tabula expressâ Atticae democratiae conditione, quam *admodum* sibi *notam* Glauco dicit, ad virum jam

1) *De Rep.* VIII. 555. B. — 558. C.
2) *Menex.* 238.

pergit Socrates, huic civitati similem, describendum. Quem sane locum attentius legisse, si interius explorare animi humani cupiditatumque rationem velimus, non pigebit.

Sic igitur pergit Socrates. « Vide jam, inquit, quis talis vir sit: vel primum, prouti in republica fecimus, investigandum est, quonam pacto exsistat. Avari atque oligarchici patris filius primum quidem cupiditates coërcebit, quae non necessariae sunt, quo magis opes cumulet: idem vero, ubi, parca ac rudi ratione educatus, aliorum voluptates luxuriemque attendere ac degustare coeperit, facile totus commutabitur. Continuo repugnābit ipse sibimet, quum alio tempore patris, alio luxuriosorum hominum vita eum teneat: tum vero, subeuntibus adolescentis animum, rudem plane et doctrinâ vacnum, nullis non voluptatibus, cupiditates tandem *κατέλαβον τὴν τῆς ψυχῆς ἀκρόπολιν, arcem illiu* ceperint. Quodsi ab amicis subsidium subinde aliquod laboranti animo submittatur, *κλείσαντες οἱ ἀλαζόνες λόγοι τὰς τοῦ βασιλικοῦ τείχους ἐν αὐτῷ πύλας· superbae petulantesque rationes, clausis regii in eo muri portis*, neque subsidium admittunt neque legatos, privatorum senum monita, excipiunt, sed ipsae proelio superant: et pudorem quidem appellantes *stoliditatem*, in exsilium mittunt, temperantiam vero *ignaviam* appellantes conviciantesque ejiciunt, modestiam quoque in moribus et in sumtibus moderationem, tanquam *rusticitatem* et *illiberalitatem*, penitus detestantur ac fugant: ipsae vero cum nullis non futilibus cupiditatibus invalescunt. Post haec petulantiam, licentiam, prodigalitatem, impudentiam ingenti catervâ coronatas deducunt, extollentes illas applaudentesque: petulantiam *ingenuam educationem*, licentiam *libertatem*, prodigalitatem *magnificentiam*, impudentiam *fortitudinem* vocantes. Sic transit juvenis ad dissolutam prorsus licentiam, et vitam agit huic morum mutationi consentaneam. » 1)

Quod diximus, ethicam proprie contineri *Politiâ* Platonis, talem autem illam esse, qualis apud alios philosophos haud facile reperias, id, ni fallor, legendis his omnibus animoque recolendis, verissimum nobis videbitur. Quis enim unquam similem in modum ad civitatum effigiem mores hominis exegit? Sic autem effecit ille, ut, quod in civitatibus corruptis omnium in oculos incurrit, idem in animo hominis, ubi ad pejorem conditionem inclinat ac pronus deinde praecepsque proruit, luce clarius animadvertamus. Mitto, de quibus jam monui, tria illa in animo hominis, τὸ λογιστικὸν, θυμοειδὲς et ἐπιθυμητικόν: quorum in optimo viro consensum et in corrupto dissensum ac veluti tumultus et seditiones, nisi civitatum adhibita specie, tanta nobis perspicuitate do-

1) *De Rep.* VIII. 558. C. — 562. A.

cere non potuisset; quod vero animi dubitationes attinet, ubi diversis agitatur, nunc in meliorem, tum vero in deteriorem partem, studiis, illudque reapse percipit:

— *video meliora proboque,*
deteriora sequor:

quo illud pacto tam nobis manifesto diligenterque potuisset demonstrare, quam uti fecit, civitate nobis ad spectandum propositâ, quae non una, sed in duas esset partes distracta? Quid? quod non solum *θυμοειδὲς* illud, quod nobis inest, *custodibus* civitatis, sed cupiditates etiam nostras *multitudini* comparavit? In seditionibus civitatum ac regnorum quid efficiat fere multitudo vilissimorumque hominum turba et colluvies, novimus: quid autem ad agitationes animi internasque seditiones cognoscendas interius, adhiberi aptius efficaciusque potest, quam civitas tumultibus agitata? Nec vero finxit ingenio Plato hanc animi cum civitate comparationem: reposita est in nullius non linguae vocibus dictionibusque, quae a civitatibus ductae ad animi motus diversos significandos adhibentur. Illud autem nondum commemoravi, quod in his praecipuum est, expressam ita a Platone esse, certe effici plane ex ejus civitatum descriptione posse, verissimam cum civitatis tum hominis *libertatem*. Quod ut percipiamus animo, tyrannidem deinceps virumque ei similem, ut exstat in *Politia*, contemplari juvabit. Primum vero de democratiae in hanc pessimam civitatem conversione agamus.

Democratiae in tyrannidem conversio.

Recte hoc vidit philosophus, illud ipsum, quod in civitatibus maximo habetur loco, ubi nimium est, ad ejus lapsum et perniciem evalescere. «Nonne eodem fere modo, sic pergit apud eum Socrates, ex democratia tyrannis, quo ex oligarchia democratia, exsistit? Illic nempe nimia divitiarum cupiditas democratiam progenuit: similiter hîc nimius libertatis ardor tyrannidis caussa est. Fit autem illud, *cum inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti, malisque usus ille ministris, non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hauserit; tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint, et large sibi libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit: praepotentes, reges, tyrannos vocat. Eos autem, qui in magistratu privatorum similes esse velint, eosque privatos, qui efficiant, ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus, ut necesse sit, in ejusmodi republica plena libertatis esse omnia: ut et privata domus omnis vacet dominatione, et hoc malum usque ad bestias perveniat: denique ut pater filium metuat, filius patrem negligat: absit omnis pudor, ut plane liberi sint: nihil intersit,*

civis sit an peregrinus: magister ut discipulos metuat et iis blandiatur: spernantque discipuli magistros: adolescentes ut senum sibi pondus assumant, senes autem ad ludum adolescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves. Ex quo fit, ut etiam servi se liberius gerant: uxores eodem jure sint, quo viri; quin tantâ libertate canes etiam et equi, aselli denique, liberi sint, sic incurrant, ut iis de via decedendum sit. Ergo ex hac infinita licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant: ex quo leges quoque incipiunt negligere, ut plane sine ullo domino sint. Haec igitur egregia illa et pulcra respublica est, ex qua tyrannis nascitur. Scilicet ἡ ἄγαν ἐλευθερία ἔοικεν οὐκ εἰς ἄλλο τι ἢ εἰς ἄγαν δουλείαν μεταβάλλειν καὶ ἰδιώτῃ καὶ πόλει· *nimia libertas haud in aliud quid videtur, quam nimiam in servitutem abire, tam privato homini, quam civitati.»* 1)

Quid efficerent in civitatibus tyrannides, animadvertere facile Plato cum Athenis, tum aliis in rebuspublicis Graeciae, tum in primis Syracusis potuit. Illud vero unice philosophiae debuit, ut hoc modo originem earum ortumque e re contraria, e nimia libertate, duceret. Quod viderat jam quodammodo politicae ille apud Graecos non minus, quam historiae parens, Herodotus. 2) Idem autem a Platone demum et perspectum totum est et recte explicitum. Quod sane placitum, dici non potest, quam late per omnem veterum politicam patuerit. Expressit Livius ipsa Platonis verba in hisce: *ex diutina siti nimis avide meram haurientes libertatem.* 3) Cicero autem in dialogo, quem de republica scripsit, sic inducit hac de re Scipionem dicentem, ut Latine is reddere totam Platonis sententiam enitatur. *Tum fit illud, quod apud Platonem est luculente dictum, si modo id exprimere Latine potuero: nam difficile factu est, sed conabor tamen.* 4) Sequuntur, quae nos modo in vertendo Platone usurpavimus; addit, *puto enim tibi haec esse nota.* Ad haec autem Laelius: *vero mihi*, inquit, *notissima.* Sed ut Plato haec interiori philosophiae studio debuit, ita Cicero hoc sese ex eodem fonte et maxime ex Platone hausisse confessus est, quum Romae exortâ ex iisdem caussis Caesaris tyrannide, semet ipse consolaretur. *Dabunt igitur mihi veniam mei cives, vel gratiam potius habebunt, quod, cum esset in unius potestate respublica, neque ego me abdidi, neque deserui, neque afflixi, neque ita gessi, quasi homini aut temporibus*

---

1) *De Rep.* VIII. 562. A. — 564. A. Cf. Cic. *de Rep.* I. 43.
2) Herod. III. 82. Cf. *Diatr. mea in civit. antiquas* p. 71.
3) Liv. XXXIX. 26. Vid. Ast. ad Plat. *de Rep.* VIII. 562. C.
4) Cic. *de Rep.* I. 43.

iratus: neque ita porro aut adulatus aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae poeniteret. Id enim ipsum a Platone philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerumpublicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. 1) Sed satis haec de tyrannidis origine. Disquirendum de ipsa hac pessima est civitatis conditione.

De tyrannide.

«Uti in hac infinita omnium licentia calumniae, accusationes, lites ac contentiones oriuntur, consuevit populus unum aliquem sui defensorem creare, eumque ut servatorem laudare, sibique praeficere. Accidit autem, ut is primum quidem faveat arrideatque cunctis, deinde vero, ut ab insidiis inimicorum tutus sit, custodes quosdam corporis expetat, ut salvus ipsis sit populi auxiliator. Dant autem illi, *δείσαντες μὲν ὑπὲρ ἐκείνου, θαῤῥήσαντες δὲ ὑπὲρ ἑαυτῶν· de illo solliciti, de semet ipsis autem securi.* Ille vero, quo magis auctoritatem sustentet, bella fere movet, ut duce atque imperatore populus indigeat. Porro attendere eum oportet, quis in civitate fortis, quis magnanimus, quis prudens, quis dives sit. Hos scilicet metuit, nec vivit tranquille, donec universos summoverit. Talis felicissima est illa civitatis conditio, quae tyrannica vocatur. Nempe *ὁ δῆμος φεύγων ἂν καπνὸν δουλείας ἐλευθέρων, εἰς πῦρ δούλων δεσποτείας ἂν ἐμπεπτωκὼς εἴη, ἀντὶ τῆς πολλῆς ἐκείνης καὶ ἀκαίρου ἐλευθερίας τὴν χαλεπωτάτην τε καὶ πικροτάτην δούλων δουλείαν μεταμπισχόμενος· populus servitutis liberorum hominum fugiens fumum, in flammam servorum dominationis incidit, loco ingentis illius et importunae libertatis durissimam acerbissimamque servorum servitutem subiens.*» 2)

Non est in veterum philosophorum politica locus, qui tam fuse ab ipsis est tamque accurate expositus, quam locus hic de tyrannide. Quod ex antiquarum conditione rerumpublicarum, quae omnes tandem in tyrannides abierunt, intelligitur facile. Cavendum iccirco in primis arbitrabantur, ne quis in civitate novas res moliretur, imo vero, ne vel paulisper se quis prae civibus suis efferret; unde ostracismus, petalismus, similia apud veteres instituta, eo spectantia maxime, ne oriretur in civitate tyrannis: tum etiam existimatio et gloria tyrannicidarum, in quorum honorem statuae poni solebant. Itaque Cicero aemulatus fere esse cum Platone videtur, ubi tyranni imaginem adumbrat. *Tyrannus,*

---

1) *De Divin.* II. 2.
2) *De Rep.* VIII. 565. C. — 569. C.

ait, *quo neque taetrius neque foedius nec diis hominibusque invisius animal ullum cogitari potest: qui, quamquam figurâ est hominis, morum tamen immanitate vastissimas vincit belluas. Quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam esse juris communionem, nullam humanitatis societatem velit?* 1) Sed ex iisdem illis, quae veteres de hoc pessimo civitatis statu monuerunt, ipsa etiam, quam significamus, rerumpublicarum *ratio* et *natura*, quae proprie fuerit, effici potest: efficitur in primis, quam esse verissimam veteres *libertatem civilem* existimaverint. Cicero civitatem, in qua tyrannis obtinet, non tantum male se habere, intusque peste laborare, sed *nullam* esse, affirmat: nam ubicunque nulla habetur legum aut justitiae, sed unius unice viri ratio, illic rempublicam, i. e. *rem populi*, desiderari. Quo magis patet, ad rationem propriam civitatum, imo vero ad earum naturam pertinere, quod posuit Plato et Cicero inculcat fere, *τὰ φίλων κοινά*, communia esse omnibus omnia debere: quod non solum ad suffragiorum jus, sed universe ad legum jurisque aequabilitatem refertur. Itaque per tyrannides perierunt civitates antiquae, floruerunt vero et viguerunt hac juris communione. Quod rite vidit Sosicles apud Herodotum, ac reapse Athenae in utramque partem cum aetate Pisistrati et Pisistratidarum, tum post expertae sunt. In concione sociorum Lacedaemonii suadebant, ut, quo infirmior redderetur respublica Atheniensium, Hippias iis redderetur; Sosicles vero «imo vero, ajebat, coelum sub terram subibit et terra supra coelum erit sublimis, hominesque habitabunt in mari, et pisces domicilium occupabunt hominum, quando vos quidem, Lacedaemonii, juris aequabilitate sublata, tyrannides in civitates reducere paratis: quo nihil est in hominibus iniquius, nihil sceleratius.» 2)

Illud scilicet recte perspiciebant illi, labefactari in civitatibus, tyrannide exortâ, civium vim, restitutâ vero et auctoritate legum et aequalitate, vigorem simul civibus restitui. Quod autem verissimam, quam diximus, civium in civitatibus antiquis libertatem attinet, ex nulla re illa magis, quam ex hac Platonica tyrannidis descriptione patet. Tantum abest, ut ista sit, quam in democraticis civitatibus crepant omnes, ut haec ad communem omnium servitutem tendat: imo vero, quo longius ab ista distat, quoque arctius cum legum ac magistratuum obedientia conjuncta est, eo rectius appellari *verissima civitatis libertas* potest. Et hinc quidem quae vero item nomine *hominis* dicenda *li-*

---

1) Cic. *De Rep.* II. 26.
2) Herod. V. 91. Cf. *Diatr. mea* p. 65.

bertas sit, efficitur: quod quo nobis manifestius fiat, tyrannidi jam comparemus pessimum hominum, virum tyrannicum.

De viro tyrannico. Qua ratione fit?

Uti e democratia tyrannis, ita e democratico viro tyrannicus fit. In hac autem disquisitione Plato cupiditates esse accurate distinguendas censuit. Quum de ratione quaerebatur, quemadmodum ex oligarchico homine democraticus oriretur, in necessarias illas et non necessarias divisit: hic autem non necessarias in *παρανόμους*, quae possunt coërceri, et *ἰσχυροτέρας*, *vehementiores*, distinguit. Vehementiores hasce tales esse maxime dicit, quales in somnis subinde excitantur, quando reliqua pars animi, quae rationis est particeps ac mansueta obtinetque principatum, obdormivit; illa autem, quae immanis est ac fera, vel vino vel cibo repleta, trepidat abactoque somno longius procedere studet suoque ingenio satisfacere; tum vero haec nil non facere sustinet. Omnia huic visa objiciuntur, mente ac ratione vacua, ut aut cum matre corpus miscere videatur, aut cum quovis alio vel homine vel deo, saepe belluâ: atque etiam trucidare aliquem et impie cruentare, multaque facere impure atque tetre cum temeritate atque impudentia. Patet hinc, quam vehemens, quam immane, quam dirum cupiditatum genus homini insit: id maxime animadvertendum, ubi ortum tyrannici viri consideramus. «Finge juvenem, democratici viri filium, similiter atque ipsius patrem, multis variisque cupiditatibus agitatum: primum quidem in omnes partes distrahetur: deinde vero, quum tyrannidis fantores adolescentem existimaverint non alia posse ratione contineri, *amorem* ei queudam indere nituntur, *προστάτην τῶν ἀργῶν καὶ τὰ ἕτοιμα διανεμομένων ἐπιθυμιῶν*· 1) *praesidem otiosorum atque libidinem illi subministrantium desideriorum*. Ubi vero susurrantes circa ipsum cupiditates caeterae, refertae nidore, unguentis, coronis ac mero, coaugent aluntque desiderium illud, tum jam hic animi praeses furit omnino dementiâque fervet, ac stipatus inde satellitibus stimuloque percitus, si quas intra se frugales et verecundas opiniones cupiditatesque offenderit, protinus exstirpat expellitque, donec temperantiam omnem animo ejecerit seque nova insania repleverit. Hanc ob caussam amor *tyrannus* dictus olim est.» 2)

In his Plato, uti cernimus, iter hominis ad vitia omnemque pravitatem

---

1) Cicero *de Rep.* II. 4 has respexit, *sumtuosas et desidiosas illecebras cupiditatum* memorans. Ita ex fonte interpretandus, qui Platonem semper cogitabat.
2) *De Rep.* IX. 571. A — 573. B.

absolvit tandem. Quo in negotio quid amoris illo, quem describit, furore spectaverit, e *Phaedro* et *Symposio* intelligitur. *Πάνδημος* est iste scilicet, qui hominem sic ad turpissima, ut *οὐράνιος* ad pulcerrima quaecue et honestissima, adducit. Idem autem ille vilis abjectusque amor, ut in *Phaedro* poëtica est ratione descriptus, ita hic philosophâ baece de natura humana disquisitione, efficitur, qualis sit proprie, quamque vim ad caeteras cupiditates omnes incendendas totumque hominem et regendum tyranni instar et penitus corrumpendum, babeat. Quo magis ethicae locum philosophus, qui est de virtutibus ac vitiis maximeque de animi depravatione, plene tractasse videtur. Sed in vita potissimum tyrannici viri hic stimulus amoris apparet: quod, age, describat nobis deinceps Socrates.

Vita viri tyrannici.

«Fit igitur, ait, hunc in modum talis vir. Qui autem eo pervenerunt, festis, comessationibus, congressibus, scortis caeterisque bujusmodi omnibus indulgent, *ὧν ἂν Ἔρως τύραννος ἔνδον οἰκῶν διακυβερνῴη τὰ τῆς ψυχῆς ἅπαντα· quorum tyrannus Amor, intus animi incolens penetralia, regit omnia.* Itaque multae dies noctesque vehementes cupiditates, multorum indigae, pullulant. Cito igitur, si qui proventus exstiterint, consumuntur. Post baec utique foenora et patrimonii dissipatio. Ubi vero deficiunt omnia, necesse est cupiditates vociferari atque conqueri, quae quidem frequentes ardentesque in animo delitescunt; *αὐτοὺς* 1) *δ' ὥσπερ ὑπὸ κέντρων ἐλαυνομένους, τῶν τε ἄλλων ἐπιθυμιῶν, καὶ διαφερόντως ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Ἔρωτος, πάσαις ταῖς ἄλλαις, ὥσπερ δορυφόροις, ἡγουμένου, οἰστρᾶν· ipsos autem, veluti stimulis quibusdam agitatos, cum caeteris libidinibus, tum ipso praesertim Amore, qui reliquis omnibus, tanquam dux, praeest, in furorem adigi*, efferrique ad explorandum, si quis quidquam possideat, quod vel fraude surripi vel vi eripi possit. Hinc furta, binc rapinae, hinc crimina et flagitia, ut ausint adeo et domi parentes verberibus caedere et foris magistratus laedere, ipsa adeo Deorum templa ac sacra violare.» 2)

Quae vero nomine dicenda in civitate libertas sit, e tyrannide, ut descripta a Platone est, effici in primis posse, animadvertimus; ex hac autem tyrannici viri descriptione non minus, credo, quae hominis, sive, ut nos loquimur, *moralis* sit libertas, intelligitur. Ethicae apud nos doctores hominem esse dicunt naturam moralem, quippe moralis

---

1) Sic legendum pro *τοὺς* videtur.

2) *De Rep.* IX. 573. C. — 576. B.

libertatis participem: et recte quidem illi, quo magis inde efficiant, posse semet ipsum corrigere ac perficere hominem. Ego vero non ausim id universe de hominum genere usurpare. Nam pauci admodum, si rem rite perspexerimus, reapse liberi sunt: caeteri libertate morali carent. Regi enim sese a cupiditatibus libidinibusque suis ita patiuntur, ut prorsus sint iis submissi. Nec vero id vehementissimis tantum vilissimisque cupiditatibus tribuendum est; similiter imperium in nos exercent ac dominantur plane cum minus abjecta honestioraque studia, tum opiniones praejudicatae. His autem quis tandem mortalium est, qui plane se liberum possit praedicare? Quamobrem non magis libera, quam sapiens aut perfecta natura, homo dicendus est, quippe non magis libertatis moralis, quam sapientiae ac perfectionis particeps. Et vero tyrannicus iste homo belluae est potius, praedae inhiantis suae suique impotentis prorsus, quam liberae naturae similis. Quodsi quaerimus, quemadmodum fieri homo libertatis moralis particeps possit, ab hoc in primis immani ferissimoque viro conjectura petenda est, ut, quae justi sit viri conditio, assequamur. Prouti in illo omni auctoritate destituta ratio est, atque, ad hanc ferme delendam, *τὸ θυμοειδὲς* vi sua *τὸ ἐπιθυμητικὸν* juvat ac corroborat, ita in hoc submissae rationi cupiditates sunt, imperat ratio, opemque ei *θυμὸς* affert ad animum totum recte gubernandum. Hic autem ille est, qui verissime demum dici libera natura, *homo liber*, possit, quemque omnes imitari, qui libertatis moralis participes esse cupiunt, oportet. Talis scilicet Socratica illa est *αὐτάρκεια*, imo *αὐτοκράτεια*, quam praeclare in *Menexeno* descripsit Plato. *Ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα ἢ ἐγγὺς τούτου, καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώποις αἰωρεῖται ἐξ ὧν ἢ εὖ ἢ κακῶς πραξάντων πλανᾶσθαι ἠνάγκασται καὶ τἀκείνου, τούτῳ ἄριστα παρεσκεύασται ζῆν· οὗτός ἐστιν ὁ σώφρων καὶ οὗτος ὁ ἀνδρεῖος καὶ φρόνιμος· οὗτος, γιγνομένων χρημάτων καὶ παίδων καὶ διαφθειρομένων, μάλιστα πείσεται τῇ παροιμίᾳ· οὔτε γὰρ χαίρων οὔτε λυπούμενος ἄγαν φανήσεται διὰ τὸ αὐτῷ πεποιθέναι.* 1) Quem locum diserte expressit Cicero: *nam cui viro ex se ipso apta sunt omnia, quae ad beate vivendum ferunt, nec, suspensa aliorum aut bono casu aut contrario, pendere ex alterius eventis et errare coguntur, huic optime vivendi ratio comparata est: hic est ille moderatus, hic fortis, hic sapiens, hic, et nascentibus et cadentibus cum reliquis commodis, tum maxime liberis, parebit et obediet praecepto illi veteri:*

Neque enim laetabitur unquam, nec moerebit nimis,
Quod semper in se ipso omnem spem reponet sui. 2)

1) *Menex.* 247. E.
2) Cic. *Tusc. Q.* V. 12.

Sed explorată ita in omnem partem, adhibendâ in primis civitatum imagine, naturâ humanâ, accedendum eo tandem existimat Socrates, quo omnis haec tetendit disputatio, ut, quae justitiae sit ac vitae beatae ratio, exquiramus. Qua de re ut pronunciari aliquando recte vereque possit, justissimum tandem virum cum injustissimo committit.

Uter tandem beatior? justusne ille, an omnium hic hominum injustissimus, tyrannicus vir?

Illud continuo tenendum censet Socrates, non speciem externam, sed interiorem conditionem justi injustique viri considerandam esse. « Si tyrannicam civitatem, inquit, cognoscere velimus, non ejus speciem admirabimur, ad solum tyrannum respicientes aut ad eos paucos, qui cum eo rerum potiti sunt; sed, ut decet, omnem penitus civitatem ingressi, lustrabimus singula et, ad cuncta conversis oculis, feremus sententiam. Pariter ad virum tyrannicum cognoscendum, illi permittendum judicium, qui cogitatione se possit in hominis mentem insinuare, ejusque mores interius perspicere: non, qui, ut pueri solent, exteriora intuens obstupescat, quum tyrannicam illam adspicit pompam et magnificentiam, ad quam illi sese apud eos, qui externa spectant, effingunt. » 1) Quibus dictis, judicium Socrates cum Adimanto utriusque cum civitatis tum viri instituit. Principio rogat: « *liberam* civitatem tyrannicam dices, an *servam?* — Maxime omnium servam. — Veruntamen in ea dominos et liberos animadvertis. — Animadverto; sed exiguum est istud: universum vero in ipsa et praestantissimum genus, turpiter est et misere servum. — Quodsi vir civitati similis est, pariter ejus animus illiberalitatis ac servitutis erit plena, ac probabile est, eas animi partes in illo servire, quae praestantissimae sunt, exilem vero partem, ignavissimam et dementissimam, dominari. — Omnino. — Quid igitur? *δούλην ἢ ἐλευθέραν τὴν τοιαύτην φήσεις εἶναι ψυχήν; servum an liberum esse dices talem animum?* — Servum. — Atqui serva et tyranno subdita civitas minime, quae vult, agit. — Minime. — Sic autem animus tyrannicus minime, quae vult, efficiet; *ὑπὸ δὲ οἴστρου ἀεὶ ἑλκομένη βίᾳ, ταραχῆς καὶ μεταμελείας μεστὴ ἔσται· sed stimulo semper percitus violento, perturbatione poenitentiaque redundabit.* Huc igitur et ad caetera, quae his conjuncta sunt, respiciens, nonne et civitatem et virum longe miserrimâ esse conditione dicis? — Dico equidem. » 2)

1) *De Rep.* IX. 576. D.
2) *Eod.* 577. B. — 578. B.

Hinc porro Socrates de singulorum, quos descripsit, virorum conditione agit, instituitque de iis, ac si in ludis chororum praemii reportandi caussâ concertassent, solemne judicium. «Age, ait, Adimante, quemadmodum judex, omnia conspiciens, de singulis judicat, ita tu jam profer, qui tuo judicio primus felicitate, qui secundus sit: caeterosque deinceps judica, *βασιλικὸν, τιμοκρατικὸν, ὀλιγαρχικὸν, δημοκρατικὸν, τυραννικόν.* — Haud sane difficile hoc judicium est: uti enim ingressi sunt, sic ego eos, tanquam choros, virtute ac pravitate, felicitate ac contrario, comparo inter se et judico. — Praeconemne igitur conducemus, an ego pronunciabo, *ὅτι ὁ Ἀρίστωνος υἱὸς τὸν ἄριστόν τε καὶ δικαιότατον εὐδαιμονέστατον ἔκρινε· τοῦτον δ' εἶναι τὸν βασιλικώτατον καὶ βασιλεύοντα αὑτοῦ· τὸν δὲ κάκιστόν τε καὶ ἀδικώτατον ἀθλιώτατον· τοῦτον δ' αὖ τυγχάνειν ὄντα, ὃς ἂν τυραννικώτατος ὢν ἑαυτοῦ τε ὅτι μάλιστα τυραννῇ καὶ τῆς πόλεως· Aristonis filium virum optimum et justissimum judicasse beatissimum: esse autem hunc hominem maxime omnium regium seque ipsum regentem; pessimum vero et iniquissimum, esse miserrimum: talem autem esse, qui maxime tyrannus sit, seque ipsum et civitatem tyrannide premat.*» 1)

De utriusque hominis interna animi conditione.

Poëseos ferme Pindaricae colorem in hoc veluti athlothetarum judicio de prolatis viris agnoscimus; sed nemo haec facile, quae adduximus, tum etiam quae haec subsequuntur, diligentius legerit, quin ducta illa omnia esse videat ex interiore naturae humanae indagatione. Factum autem ita est, ut sponte hinc Plato justissimi viri atque injustissimi interiorem animi conditionem imagine informandâ declararet, atque ita quidem nos de gravissima caussa idoneos judices redderet. Sic enim porro apud eum Socrates. «Esto, inquit, postquam huc disputando devenimus, iteremus, quae a principio dicta sunt, unde huc sumus delati: dictum aûtem est, injuste agere illi prodesse, qui cum perfectum in modum injustus sit, justus tamen habetur. Hac igitur de re ut recte judicemus tandem, sermone fingamus animi imaginem, ut, qui ista dixit, sciat, quid dixerit. — Qualem dicis imaginem? — Talem aliquam, qualem antiqui informarunt Chimaeram, Scyllam, Cerberum, similes, e variis formis conflatas. Finge igitur primum bestiae formam, variae admodum, et capita circumcirca multa habentis, partim mansuetorum, partim agrestium animalium, quae ipsa per se producit atque

1) *De Rep.* IX. 580. A.—C.

alit. Huic adjungi deinceps cum leonis, tum etiam hominis formam. Tribus autem istis extrinsecus humanam figuram circumda. Jam vero illi, qui asserit, prodesse homini injuste agere, juste vero vivere non prodesse, dicamus, eum nihil aliud asserere, *ἢ λυσιτελεῖν αὐτῷ, τὸ παντοδαπὸν θηρίον εὐωχοῦντι, ποιεῖν ἰσχυρὸν καὶ τὸν λέοντα καὶ τὰ περὶ τὸν λέοντα· τὸν δὲ ἄνθρωπον λιμοκτονεῖν καὶ ποιεῖν ἀσθενῆ, ὥστε ἕλκεσθαι ὅπῃ ἂν ἐκείνων ὁπότερον ἄγοι· nisi prodesse illi, ut, bestiam illam in semet ipso multiplicem pascens, et ipsam et leonem robustiorem efficiat; hominem vero fame perire sinat atque enervet, ut propter imbecillitatem distrahatur, quocunque ipsum illa rapiunt.* Quodsi contra quis statuit, utile esse juste agere, dicamus, hunc statuere, id agendum ipsi esse, *ὅθεν τοῦ ἀνθρώπου ὁ ἐντὸς ἄνθρωπος ἔσται ἐγκρατέστατος, καὶ τοῦ πολυκεφάλου θρέμματος ἐπιμελήσεται, ὥσπερ γεωργός, τὰ μὲν ἥμερα τρέφων καὶ τιθασσεύων, τὰ δὲ ἄγρια ἀποκωλύων φύεσθαι, ξύμμαχον ποιησάμενος τὴν τοῦ λέοντος φύσιν, καὶ κοινῇ πάντων κηδόμενος, φίλα ποιησάμενος ἀλλήλοις τε καὶ αὑτῷ, οὕτω θρέψει· ut qui intus ipsi homo inest, totum hominem, quoad ejus fieri maxime potest, regat: isque feram illam, multis capitibus insignem, coloni instar, curet, mansueta in illa animalia alens ac fovens, ferocia vero ne increscant impediens, adhibens ad recte hoc efficiendum leonis vim ac fortitudinem: sic autem omnium curam gerens, in concordiam cunctis et invicem et secum redactis, ea alat atque educet.»* 1)

Quid maxime conferre ad bene beateque vivendum videtur?

Quemadmodum sit homini vivendum, ut bene beateque vivere dici possit, ex hac utriusque hominis, optimi et pessimi, specie, intelligitur. Sed non dimisit gravissimum argumentum Plato, anteaquam hanc optimam vitae rationem pluribus exposuisset. Et vero habebat ille, quae de recta hominis ad veram felicitatem *institutione* adderet hisce: quod philosophiae, quam colebat, unum omnium maxime conveniebat. Pergat igitur deinceps apud eum in hunc modum Socrates. «Si quis, ait, quae diximus, reprehendit, placide ipsi, non enim lubens peccat, persuadeamus, sic interrogantes: nonne, o bone, et honesta vitae instituta et turpia, ob talia quaedam esse dicimus? honesta, quandoquidem homini, imo divino, quod inest homini, ferinam naturam subjiciunt: turpia autem, quod agresti, quod nobis est, mansuetum mancipant? Consentiet, necne? — Consentiet, si mihi crediderit. — Estne aliquis,

1) *De Rep.* IX. 588. A. — 589. B.

cui prosit hac ratione injuste aurum accipere, siquidem accidit, ut, cum accipit aurum, praestantissimam sui partem ignobilissimae servire cogat? Sane, si accipiens aurum, filium suum vel filiam mancipium efficeret agrestium et improborum hominum, haudquaquam accepisse prodesset, etiamsi adeo quam plurimum esset nactus; sin vero partem sui divinissimam parti profanissimae scelestissimaeque servire cogit, nonne miser is erit, multoque majori damno suo auri muneribus corruptus, quam Eriphyle, quae, ut salutem mariti proderet, monile illud accepit? — Longe sane majore, ut ego tibi pro illo respondeam. — Nonne intemperantia propterea fere culpata est, quoniam in ea *τὸ δεινὸν καὶ τὸ μέγα ἐκεῖνο καὶ πολυειδὲς θρέμμα πέρα τοῦ δέοντος ἀνίεται; dira illa ingensque et multiplex fera, ultra quam decet, remittitur?* Contumacia autem et insolentia nonne hanc ob caussam improbatur, quod *τὸ λεοντῶδές τε καὶ ὀφεῶδες αὔξηται καὶ συντείνηται ἀναρμόστως· leoninum et serpentinum illud genus supra modum increscit atque invalescit?* Tum etiam nonne infamem aliquem reddit sordida vita, *ὅταν τις ἀσθενὲς φύσει ἔχῃ τὸ τοῦ βελτίστου εἶδος, ὥστε μὴ ἂν δύνασθαι ἄρχειν τῶν ἐν αὑτῷ θρεμμάτων· ubi quis, quod optimum in homine est, infirmum habet, ut non possit in bestias, quae in ipso sunt, dominari?* Ergo, ut hujusmodi vir a tali quodam duce regatur, a quali optimus quisque regitur, nonne servum ipsum esse debere dicimus optimi viri *ἔχοντος ἐν αὑτῷ τὸ θεῖον ἄρχον· qui divinum in se ipso imperatorem habet?* Praestat enim cuique, divino sapientique principi subjici, maxime quidem, si talem in se ipso habeat; si non habeat, principi exteriori: *ἵνα εἰς δύναμιν πάντες ὅμοιοι ὦμεν καὶ φίλοι, τῷ αὐτῷ κυβερνώμενοι· ut omnes simus, quoad ejus fieri potest, consimiles et amici, ab eodem principe gubernati.* Huc scilicet et *lex* respicit, cum omnibus civibus aeque consulit, et *puerorum institutio*, *τὸ μὴ ἐᾷν ἐλευθέρους εἶναι, ἕως ἂν ἐν αὐτοῖς, ὥσπερ ἐν πόλει πολιτείαν καταστήσωμεν, καὶ τὸ βέλτιστον θεραπεύσαντες, τῷ παρ᾽ ἡμῖν τοιούτῳ ἀντικαταστήσωμεν φύλακα ὅμοιον καὶ ἄρχοντα ἐν αὐτῷ· καὶ τότε δὴ ἐλεύθερον ἀφίεμεν· cum eos liberos esse non sinimus, donec in iis, tanquam in civitate, rempublicam constituerimus, optimamque ipsorum partem colentes, optimâ nostri parte similem in illa quendam et custodem et imperantem creaverimus: tum demum eos liberos esse permittimus.*» 1) Divinae hae profecto sententiae sunt, e quibus et Ciceronianum illud fluxit *pro Cluentio:* 2) *legum servi sumus ut liberi esse possimus:* et praeclarum Plutarchi prooemium, libello *de audiendis*

1) *De Rep.* IX. 589. C. — 590. D.
2) *Cap.* 53.

philosophis praemissum, ubi sic alloquitur Nicandrum suum: « *Σὺ δὲ πολλάκις ἀκηκοὼς, ὅτι ταυτόν ἐστι τὸ ἕπεσθαι θεῷ καὶ τὸ πείθεσθαι λόγῳ, νόμιζε τὴν εἰς ἄνδρας ἐκ παίδων ἀγωγὴν, οὐκ ἀρχῆς εἶναι τοῖς εὖ φρονοῦσιν ἀποβολὴν, ἀλλὰ μεταβολὴν ἄρχοντος, ἀντὶ μισθωτοῦ τινος ἢ ἀργυρωνήτου, θεῖον ἡγεμόνα τοῦ βίου λαμβάνουσι, τὸν λόγον· ᾧ τοὺς ἑπομένους ἄξιόν ἐστι μόνους ἐλευθέρους νομίζειν. Μόνοι γὰρ ἃ δεῖ βούλεσθαι μαθόντες, ὡς βούλονται ζῶσι. Ταῖς δὲ ἀπαιδεύτοις καὶ παραλόγοις ὁρμαῖς καὶ πράξεσιν ἀγεννὲς ἔνεστι καὶ μικρὸν ἐν πολλῷ τῷ μετανοοῦντι τὸ ἑκούσιον· tu vero, qui saepenumero audivisti, idem esse Deum sequi et parere rationi, existimare debes, eos, qui sani sunt mente, ita judicare, se, quum a pueritia ad virilem procedunt aetatem, non abjicere imperium, sed mutare imperatorem, quum pro magistro mercede conducto aut aere emto, divinum vitae ducem accipiunt, rationem: cui qui parent, soli digni sunt qui liberi existimentur. Soli enim hi vivunt ut volant, quippe qui, quid velle debeant, didicerunt. Ineruditae autem et rationis expertes animi incitationes, atque actiones, exilem quandam et ignobilem voluntatis libertatem, multa cum poenitentia conjunctam, habent.* » 1)

Imaginum, quibus animi naturam expressit Plato, conjunctio.

Abest parum, quin ad plenum gravissimae caussae judicium, quae justitiae sit ac felicitatis ratio, pervenerimus. Quamquam restat, quod sane perquam est grave, ut de futura justi viri atque injustissimi post mortem conditione dispiciamus. Sed, quo rectius et de caeteris omnibus et hoc etiam de loco, qui est de animorum immortalitate, existimemus, efficere ex omni hac nostra de animo disputatione, quae ejus natura sit, juvat. Comparavit animum Plato, ut ab initio vidimus, 2) cum equorum jugo ab auriga gubernato: fecit autem in *Phaedro*, quem juvenis, certe parum provecta aetate et juvenili ardore, scripsit. Poëtarum in modum illic de animo agens, rationem aurigae, binis autem equis duplicem amorem comparavit. Pariter nempe Parmenides, poëta idem et philosophus sublimis, equorum fuerat in philosophando imagine usus. Nondum vero satis aetate illa Plato τὸ θυμοειδὲς, quod non minus nobis, quam ratio et cupiditates, inest, et pariter a philosopho attendendum est, exploravisse videtur. Deesse igitur comparationi vi-

1) Plut. *περὶ τοῦ ἀκούειν* c. 1.
2) *Initia* p. 450.

deatur, quod ad recte cognoscendam animi naturam requiramus. Verum, perspectâ hacce utriusque viri, optimi et pessimi, quam in *Politia* nunc nobis ostendit, specie, supplere illud, ni fallimur, totum licebit. Nam monstrum istud, quo cupiditates animi significavit, praeter feras indomitasque, mansuetas etiam optimasque cupiditates continet: in quibus alter ille amor, in *Phaedro* a Platone et *Symposio* vehementer commendatus, insignem sane locum habet. Adjunctum autem monstro *leonem* nunc cernimus, qui rationi obediens, et feras compescere cupiditates, et mansuetis prodesse debeat, qua *τοῦ θυμοειδοῦς* invicta vis significatur. Id ubi attenderimus diligenter, nil erit, quod in equorum atque aurigae cum animo comparatione desideremus. Nam alteri equo illi, *τῷ ὀρθῷ*, *τῷ εὐηνίῳ*, qui, ut mansuetus, freno obediens est, non solum recti amorem, sed vim item et robur *τοῦ θυμοειδοῦς* tribuemus. Ita vero nihil erit, quod requirat ratio, ut nos recte gubernet. Observandum hoc duximus, ut ipsius philosophi in philosophando progressionem attenderemus: tum vero maxime, ut in hac Platonica animi perscrutatione vim amoris agnosceremus. Nam, ut completur perficiturque hac utriusque hominis specie, quod in *Phaedro* desideramus, ita equorum illa in *Phaedro* imago una omnium maxime animum nobis totum cognoscendum praebet. Sic enim sese res habet: nisi mansuetae honestaeque nobis inessent cupiditates, in his praesertim recti amor, amor Uranius, qui stimulo isti, quem in tyranno deprehendimus, nefarii insanique amoris contrarius est, *sponte* haud facile nostra et *lubenter* ad virtutem procederemus.

De futura justissimi hominis et injustissimi post mortem conditione.

Venimus jam ad sublime in philosophia Platonis placitum, quod de animorum immortalitate est; ducit enim nos illuc deinceps Socrates, ubi de contentione justi hominis ad virtutis reportanda praemia agit. « *Μέγας γὰρ*, ait, *ὁ ἀγὼν, ὦ φίλε Γλαύκων, μέγας, οὐχ ὅσος δοκεῖ, τὸ χρηστὸν ἢ κακὸν γενέσθαι· magnum est certamen, o amice Glauco, magnum et majus etiam quam videtur, bonum fieri aut malum.* Quibus subjungit: *καὶ μὴν τά γε μέγιστα ἐπίχειρα ἀρετῆς καὶ προκείμενα ἆθλα οὐ διεληλύθαμεν· atqui maxima, quae virtuti proposita sunt, praemia non memoravimus.* Tum Glauco: *ἀμήχανόν τι λέγεις μέγεθος, εἰ τῶν εἰρημένων μείζω ἐστὶν ἄλλα· immensa dicis praemia, si qua majora sunt his, quae retulimus.* Cui Socrates: *τί δ' ἂν ἔν γε ὀλίγῳ χρόνῳ μέγα γένοιτο; πᾶς γὰρ οὗτός γε ὁ ἐκ παιδὸς μέχρι πρεσβύτου χρόνος πρὸς πάντα ὀλίγος πού τις ἂν εἴη· quid brevi in tem-*

pore esse magnum potest? nempe omne hoc a puero ad senem tempus, exiguum quoddam ad universum est. — Imo vero nihil. — Immortalem vero rem censes brevi hoc pro tempore quidem, pro universo vero nequaquam, esse debere sollicitam? — Pro omni certe; sed quorsum haec? — Non percepisti, immortalem esse animum nostrum et nunquam perire? — Tum repente ad Socratem conversus Glauco, admiratusque, per Jovem, dicit, id ego non percepi: tu vero numquid ostendere potes?» 1) Hinc Socrates ex animi natura, qualis ipse per se animus est, immortalem eum esse demonstrat: tum vero de vi, animo naturâ propria, haec subjungit. «Animus, ait, qualis sit re verâ, ut assequare, non spectandus nobis est, prouti eum nunc conspicimus, communione corporis malisque aliis inquinatum, sed qualis, cum purus esset, fuerit, diligenter decet perspicere. Qui Glaucum marinum vident, non possunt facile antiquam ejus et pristinam naturam considerare, propterea, quod antiquae corporis partes partim fractae, partim contritae sunt et ab undis penitus corruptae; alienaque ei inhaerent, conchylia, alga, lapides, quibus multo magis ferae prae se fert imaginem, quam pristinae naturae speciem: sic etiam animum nos semper adspicimus, malis innumeris inquinatum. *Ἀλλὰ δεῖ, ὦ Γλαύκων, ἐκεῖσε βλέπειν. — Ποῖ; — Εἰς τὴν φιλοσοφίαν αὐτῆς, καὶ ἐννοεῖν, ὧν ἅπτεται καὶ οἵων ἐφίεται ὁμιλιῶν, ὡς ξυγγενὴς οὖσα τῷ τε θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ ἀεὶ ὄντι, καὶ οἵα ἂν γένοιτο τῷ τοιούτῳ πᾶσα ἐπισπομένη, καὶ ὑπὸ ταύτης τῆς ὁρμῆς ἐκκομισθεῖσα ἐκ τοῦ πόντου, ἐν ᾧ νῦν ἐστὶ, καὶ περικρουσθεῖσα πέτρας τε καὶ ὄστρεα, ἃ νῦν αὐτῇ, ἅτε γῆν ἑστιωμένῃ, γεηρὰ καὶ πετρώδη πολλὰ καὶ ἄγρια περιπέφυκεν ὑπὸ τῶν εὐδαιμόνων λεγομένων ἑστιάσεων· καὶ τότ' ἄν τις ἴδῃ αὐτῆς τὴν ἀληθῆ φύσιν· sed illuc oculos convertere decet, o Glauco. — Quonum? — Ad philosophiam animi, ac reputare, quaenam amplectatur et quibuscum se conjungere studeat, quippe qui cognatus sit divino, immortali, sempiterno: qualisque praeterea futurus sit, si quando totus haec sequatur atque hoc impetu et ardore eductus e pelago, in quo nunc demersus jacet, excussis lapidibus, ostreis, caeteris, quae nunc ei, tanquam terrâ pasto, terrena, lapidosa et agrestia, quae plurima inhaerescunt propter pastum illum, quem vulgo beatum vocant: tum demum quis veram animi naturam cernat.»* 2) Augurari nobis e divino hoc effato licet, qualis justi viri atque injusti post mortem diversa conditio futura sit; sed hinc nos jam continuo id ducamus, cujus maxime caussâ omnem hanc disputationem suscepimus, num sola per se justitia ad vitam beatam sufficiat.

1) *De Rep.* X. 608. B — D.
2) *Eod.* 611. B — 612. A.

Absolvitur tandem de justitia, num sola ad beatam vitam sufficiat, judicium.

Viam nobis praeit continuo Socrates. «Sic igitur, ait, justitiam vidimus, demtis praemiis et honoribus, ipsam per se ipsi animo optimum esse negotium. Nunc item praemia ei tribuere licet: et prouti in superioribus, disputationis caussâ, finximus, justum videri injustum, injustum autem justum: nunc dicamus, quod verissimum est, non latere Deos hominesque, num justus aliquis sit, an injustus. Quodsi res ita se habet, ὁ μὲν, θεοφιλὴς ἂν εἴη, ὁ δὲ, θεομισής· *alter carus erit Diis, invisus alter.* Τῷ δὲ θεοφιλεῖ οὐχ ὁμολογήσομεν, ὅσα γε ἀπὸ θεῶν γίγνεται, πάντα γίγνεσθαι ὡς οἷόντε ἄριστα; *Deo autem qui carus est, nonne huic fatebimur quaecunque divinitus obtingunt, omnia obtingere quam optima?* — Omnino. — Sic igitur de justo viro existimandum, sive paupertati, sive morbis, sive quibusvis eorum, quae mala videntur, obnoxius sit, huic demum et viventi et mortuo ad bonum aliquod ista conducere: οὐ γὰρ δὴ ὑπό γε θεῶν ποτὲ ἀμελεῖται, ὅς ἂν προθυμεῖσθαι ἐθέλῃ δίκαιος γίνεσθαι, καὶ ἐπιτηδεύων ἀρετὴν, εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ ὁμοιοῦσθαι θεῷ· *non enim a Diis unquam negligitur, quicunque justus evadere, virtutisque officiis, quoad homini licet, Deo similis fieri conatur.* Apud deos igitur justo viro haec dabitur palma. Apud homines autem nonne sic evenit, si vera fateri velimus? οὐχ οἱ μὲν δεινοί τε καὶ ἄδικοι δρῶσιν ὅπερ οἱ δρομεῖς, ὅσοι ἂν θέωσιν εὖ ἀπὸ τῶν κάτω, ἀπὸ δὲ τῶν ἄνω μή; τὸ μὲν πρῶτον ὀξέως ἀποπηδῶσι, τελευτῶντες δὲ καταγέλαστοι γίγνονται, τὰ ὦτα ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχοντες καὶ ἀστεφάνωτοι ἀποτρέχοντες· οἱ δὲ τῇ ἀληθείᾳ δρομικοὶ, εἰς τέλος ἐλθόντες, τά τε ἆθλα λαμβάνουσι καὶ στεφανοῦνται· οὐχ οὕτω καὶ περὶ τῶν δικαίων τὸ πολὺ ξυμβαίνει; πρὸς τὸ τέλος ἑκάστης πράξεως καὶ ὁμιλίας καὶ τοῦ βίου εὐδοκιμοῦσί τε καὶ τὰ ἆθλα παρὰ τῶν ἀνθρώπων φέρονται; *nonne astuti homines et injusti perinde faciunt ac cursores illi, qui a carceribus currunt bene, a meta non item? Primum celeriter exsiliunt, tandem vero risum reportant, quippe, auribus in humeros demissis, sine corona discedentes: veri autem cursores, ad finem pervenientes, praemia accipiunt ac coronantur. Nonne justis viris similiter idem ut plurimum evenit, ut in exitu cujusque actionis consuetudinisque et vitae probentur, muneraque ab hominibus referant?* 1) Haec igitur praemia sunt ac munera, quae justo viro praeter

1) Recte cum his conferre jubet Stallb. celebratissima loca Pauli *Ep. ad Corinth.* I. 9. 24. II. 4, 9. *ad Philem.* III. 14.

ea bona, quae ipsa in se justitia continet, a diis et hominibus tribuuntur. At eadem et numero et magnitudine nihil sunt, si cum iis comparantur, quae utrumque post vitae exitum manent.» 1) Haec Socrates; nos vero, priusquam haec justo tribuamus in futura illa vita νικητήρια, hoc ipsum nobilissimum Platonicae philosophiae placitum, quod de animorum est immortalitate, cum e fontibus ducamus, tum interpretari recte e mente et sententia philosophi conemur.

De animorum immortalitate.

Illud de eo primum videtur tenendum. Ut communis omnium hodie ac vulgaris est de vita futura sententia, quippe confirmata religionis nostrae auctoritate, cujus pars princeps est, ita antiquo aevo paucorum fuit philosophorum propria. Miratur, ut modo vidimus, Glauco, ubi Socrates ejus mentionem facit. « *Καὶ ὃς ἐμβλέψας μοι καὶ θαυμάσας* — sic Graece se locus habet — *εἶπε, Μὰ Δἴ οὐκ ἔγωγε ἤσθημαι, ὅτι ἀθάνατος ἡμῶν ἡ ψυχὴ καὶ οὐδέποτε ἀπόλλυται· σὺ δὲ τοῦτ' ἔχεις λέγειν;* 2) Ipse adeo apud Xenophontem Socrates, ubi talis nobis occurrit, qualis reapse fuit, non quidem in dubium vocat animorum immortalitatem, imo affirmat, sed raro, nec nisi duobus locis de ea loquitur: tum vero sic loquitur, acsi eam non datâ operâ et adductis argumentis sibi persuadere conatus fuerit. 3) Primus hoc egisse Plato videtur, nec tamen ipse per se, sed conversus illuc Pythagoricae philosophiae auctoritate. Nam continebatur in illa immortalitas animorum cum doctrina de metempsychosi, tum poëtarum ac philosophorum effatis. Plato vero demum cum aliis conscribendis dialogis, tum maxime *Phaedone*, inde rem repetens, doctrinam in luce collocavit. Nec tamen ante Pythagoram et Platonem latuisse prorsus antiquos hoc placitum videtur. Obscure traditum in mysteriis fuerat, in quibus ad *τὰ τέλεα καὶ ἐποπτικὰ* referebatur, ut e Ciceronis loco, supra a nobis allato, credibile fit, ubi Attico his initiato dicit: *initia ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus: neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.* 4) Itaque ex hoc item fonte Plato in *Phaedone* hausit, saepiusque fecit mysteriorum mentionem, in his v. c. *καὶ κινδυνεύουσι καὶ οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν οὗτοι καταστήσαντες, οὐ φαῦλοί τινες εἶναι, ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνίττεσθαι,*

1) *De Rep.* X. 612. B. — 614. A.
2) *Initia* p. 535. Cf. 105, 131, 209.
3) Vid. Wytt. in *disp. de anim. immort.* — *Opusc.* II. 563.
4) Cic. *de Legg.* II. 14. Cff. *Initia* p. 35, 106.

ὅτι ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς ᾅδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται, ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε καὶ τετελεσμένος, ἐκεῖσε ἀφικόμενος, μετὰ θεῶν οἰκήσει· *videntur item illi, qui nobis mysteria constituerunt, non contemnendi quidam esse, sed reapse olim occulte significasse, eum, qui non expiatus neque initiatus ad inferos migraverit, in luto jacere; quicunque vero purgatus atque initiatus illuc accesserit, cum Diis habitare.* 1) Plato vero poëtica haecce ad philosophiae revocavit severitatem: quod posteri in primis, recentiore aevo, factitarunt.

Deinde animadvertendum nobis de illo philosophiae loco, ut recte intelligatur, hoc est. Non simplex, ut hodie est, apud veteres erat de immortalitate animornm doctrina, sed duplex, ut animus cum ante hanc vitam fuisse, tum post hanc vitam futurus ac sempiternus diceretnr. Sic nempe distinguebant antiqui: et Plato tam in *Phaedro*, quam in *Phaedone* primum illud, tum hoc alterum demonstrat. Mirum id multis videri atque absurdum solet: nec nos defendere Platonis ac veterum sententiam sustineamus. Veruntamen factum ita est, ut eadem illa doctrina tantam, quantam vidimus, in veri philosophiam apud Platonem vim habuerit. Nam adhibita a philosopho est ad universam demonstrandam de ideis atque optima institutione doctrinam, ut efficeret inde, instaurandam esse institutione idearum, quas in superiore vita adspexissemus, memoriam, quo magis in hac vita ad pulcrum, bonum, justum, sanctum, divinum conversi denuo, ad haec exempla et philosopharemur et viveremus, tum vero etiam, ut, quae hîc essemus exorsi, in futura vita perficeremus. Unde patet, quantae amplitudinis ubertatisque hoc apud veteres placitum fuerit. Accedit autem, ut idem hocce de immortalitate placitum apud veteres ac Platonem ad *justi* proprie philosophiam pertineat. Quo magis justitiam tuerentur, ut nobis jam satis e Platone patuit et dilucidius etiam deinceps patebit, immortalem esse affirmabant animum hominis: sic enim futurum, ut nec justis, quamvis malâ, nec injustis, quamvis prosperâ fortunâ hîc essent usi, praemia et poenae deessent. Quo spectat tribunal illud divinum, quod ex antiquis fabulis Plato in *Gorgia* descripsit. 2) Et omnino, ubi accuratissime philosophus de hoc placito agit, ibi maxime idem atque intime naturam humanam investigat. Ex amore adeo, qui naturâ nobis inest, immortalitatem animi ducit apud Platonem Diotime. Quod mihi quidem fere visum est gravissimum esse placiti argumentum, quamquam fere ab interpretibus neglectum est. Nam postquam, quid amor esset, exquisiverat divina mulier, id maxime in eo animadvertit,

---

1) *Phaed.* 69. C.
2) *Gorg.* 523. Cff. *Initia* p. 172.

non solum appetitum in homine esse pulcri et boni, sed etiam hoc eum naturâ appetere, ut ea nobis diuturna et sempiterna sint. Unde efficit, amorem in nobis *immortalitatis* esse studium. *Ἀναγκαῖον δὴ ἐκ τούτου τοῦ λόγου, καὶ τῆς ἀθανασίας τὸν ἔρωτα εἶναι.* 1) Quod ut Plato, ita disertius etiam postea Cicero, e gloriae appetitu, qui homini inest, probavit. 2)

Valent haec ad justam doctrinae de animorum immortalitate interpretationem: nec vero praetermittamus silentio, aliâ hanc methodo ab antiquis, certe a Platone, aliâ a recentioribus philosophis explicitam esse. Hi fere syllogismis connectendis et geometrarum more, quin etiam ad mathematicam evidentiam et *ἀκρίβειαν*, rem exponere et demonstrare annisi sunt: quod illi etiam, qui in primis Platonem admirabantur, v. c. Moses Mendeli filius, factitarunt. Plato vero, Socraticâ usus methodo, per *ἐπαγωγὴν* nos ad rei persuasionem ducit, ut tota illa in *Phaedone* hoc de placito disputatio, quamvis partibus variisque argumentationibus distincta, una sit tamen et continua demonstratio, a specie primum et probabilitate ducta, inde autem deinceps ad rei scientiam, certe persuasionem, quasi per gradus escendens. Quo magis vituperanda illorum temeritas est, qui, singulis singulatim argumentationibus sub examen revocatis, iisdemque porro rejectis, universas rejiciunt. Totus nobis uno tenore perlegendus dialogus est, ut eum recte intelligamus ac persuasionis inde fructum de re omnium gravissima verum uberrimumque percipiamus. Ita fecerunt antiqui: atque inde declarandum, quare tantam lectio dialogi, quantam novimus, in principes etiam viros vim et efficacitatem habuerit. Sed hic locus nos adducit, ut, prouti modo de *Politia* Platonis, ita hic de ejus *Phaedone* datâ operâ agamus.

De Platonis Phaedone.

Scripsisse hunc dialogum philosophus videtur, paullo post quam ad finem *Politiam* duxerat, certe eâ aetate, qua maxime ingenio philosophandique studio et facultate vigebat. Nam abest multum, ut, scribendo illo, Socratem nobis solummodo, quemadmodum in carcere de animorum immortalitate dixisset, tum etiam mortem subiisset, describere studeret. Fecit illud sane: et hoc agendo locum simul hunc in philosophia amplissimum de futura vita perpurgavit. Sed idem, si quid deesset in *Politia*, quo justitia commendaretur, id his enarrandis So-

1) *Symp.* 207. A.

2) *Eod.* 208. C. Cic. *pro Archia* c. 11 et 12. Cf. filii mei *Cicero φιλοπλ.* p. 194. sqq.

cratis sermonibus perfecit. Ipsum nobis Socratem in hoc dramate sic proposuit, ut cernere in eo justum illum, eundemque sapientem, quem in *Politia* informaverat,. videamur. Expressit hic imagine, quod illic nobis disquirendo demonstrandoque persuadere conatus fuerat. Quid dicam de Socratis in iisdem sermonibus oratione, ubi de animi prae corpore praestantia, de divina ejus natura ac vi, de officiis philosophi hinc ductis, ac de ipsius philosophiae officio ac sublimi fine disserit? Divina haec oratio est, et postquam finem ille dicendi fecerat, ortum dicitur per longum tempus in carcere silentium; ut qui audivissent commoti penitus ac ferme perculsi essent. 1) Nos sane, his lectis, non possumus non fateri, in hoc demum dialogo Platonem, nondum vero in *Politia*, philosophiam justi ejusque ubertatem ac sublimitatem expressisse plane. Sed quis praeterea in scriptis Platonis dialogus est, quo tam apte, quam in hocce fecit, Pythagorae placita cum Socratica philosophia conjunxerit? Hinc autem in primis doctrinae Platonicae sublimitas ducenda videtur. In *Phaedro* exstant Pythagorica multa; sed poëtica sunt illa fere, quae primum, ut par est, et juvenili aetate admiratus Plato est: tum copiose illic de pristina animorum vita agit, futuram ejus conditionem vix attingit. In *Gorgia* demum et *Politia*, quod maturiori aetati conveniebat, futuram hanc animi conditionem diligenter descripsit: in *Phaedone* vero huc totam principum Pythagoreorum doctrinam adhibuit. Quod ex ipsa dialogi ratione intelligitur. Nam qui maxime cum Socrate sermones miscent, Cebes et Simmias, Pythagorei sunt: certe, ut ipsi fatentur, Philolaum Pythagoreum Thebis audiverant; 2) sermones autem ipsi a placito Pythagoricae scholae primario, quod est de metempsychosi, ducuntur, tum princeps in iis longeque elegantissimus locus ille est, ubi de harmonia agitur, cui animum assimilabant Pythagorei. 3) Fit ita, ut sublimitatem scholae Pythagoricae cum Socratica disserendi diligentia sic conjunctam, ut in *Phaedone* est, in aliis Platonis dialogis haud reperiamus. In hoc equidem dialogo ipsam mihi videor ingenii Platonici maturitatem agnoscere: quae non solum in philosophandi, sed etiam scribendi ratione, quam usurpavit, cernitur. In *Politia* scribenda Plato rerum gravitate, quas inquirebat, occupatus abreptusque videtur, quo minus dramatis rationem constanter sequeretur. Praeclarum prooemium est, et, quamdiu sermonibus interest Thrasymachus, forma dialogi prorsus est dramatica; in proximis vero usque ad exitum operis drama esse desinit dialogus, non est, nisi

1) *Phaed.* 84. B.
2) *Eod.* 61. D.
3) *Eod.* 85. E.

Socratis cum duobus adolescentibus illis colloquium. Non ita sese *Phaedo* habet. Videtur Plato scribenda Politiâ sic omnem justi philosophiam animo esse complexus, ut nunc demum aptus esset factus, qni perfectâ eam formâ traderet, et, quamvis locum in hac ipsa philosophia longe difficillimum tractaret, mira id faceret facilitate. Nec solum perfecta dici hujus dialogi forma potest; sed lubens adeo auctor scribendi difficultatem auxisse videtur, ut dialogum dialogo includeret. Primum enim Phaedonem cum Echecrate Phliunte confabulantem fecit, tum in hos sermones sic inclusit Socratis in carcere cum amicis sermones, ut perpetuus sit ad finem usque Phaedonis et Echecratis sermo. Parem quodammodo dialogi rationem in Ciceronis *de oratore* libris cernimus: in enarrandis Crassi, Antonii caeterorumque sermonibus, suum ipse cum Quinto fratre sermonem, quem ab initio instituerat, continuat identidem. Hic autem in dialogis ejus omnium perfectissimus censetur.

De vita beata.

Verum, explicito in hunc modum Platonis de animorum immortalitate placito, accedendum jam nobis est ad νικητήρια, justitiae virtutisque praemia, quibus Socrates apud eum deinceps justum, sic reportatâ ab injusto, tyrannico isto viro, victoriâ, ornandum censet. Narrat igitur vetustam de Ere Armenio sive fabulam sive traditionem, qui, postquam mortuus fuerat, in vitam rediisse dicebatur, quaeque illic viderat audiveratque, aperuisse. Interfuerat solemni hominum cum bonorum tum malorum judicio, de quo ita narrabat. Postquam ex corpore exierat ipsius animus, in locum se quendam divinum venisse, ubi duo essent terrae, totidemque coeli hiatus: vidisse autem illic judices sedentes, qui animos judicarent, ac justos quidem ad dextram in coelum escendere juberent, injustos vero ad sinistram in imam terram descendere, utrosque eorum, quae judicaverant, signa ferentes. In hunc igitur se locum venisse, cumque ad judices accessisset, illos ajebat dixisse, redire ipsum ad homines oportere, ut quae illic vidisset nunciaret. Viderat igitur per hos coeli terraeque hiatus animos latâ sententiâ abeuntes; per alteros autem hiatus redeuntes illinc animos, qui e terra escendebant, pulvere, squalore macieque confectos, qui vero e coelo descendebant, puros. Hîc autem cunctos narrabat in prato, tanquam celebri in conventu, sibi invicem obvios, complexos se mutuo fuisse ac percontatos, quae suis in regionibus vidissent, injustos quidem dolentes ac flentes, malorum memoriâ, quae sub terris essent perpessi, justos vero, qui de coelo descenderant, de deliciis retulisse infinitaeque pulcritudinis spectaculis. 1) Haec Socrates: quibus

1) *De Rep.* X. 614. C. — 615. A.

alia multa adjicit, tum maxime vitarum distributionem, in qua perquam memorabilis est, quam Lachesis habet, Necessitatis filia, oratio: « *ψυχαὶ ἐφήμεροι, ἀρχὴ ἄλλης περιόδου θνητοῦ γένους θανατηφόρου· οὐχ ὑμᾶς δαίμων λήξεται, ἀλλ' ὑμεῖς δαίμονα αἱρήσεσθε· πρῶτος δ' ὁ λαχὼν, πρῶτος αἱρείσθω βίον, ᾧ συνέσται ἐξ ἀνάγκης· ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον, ἣν τιμῶν καὶ ἀτιμάζων, πλέον καὶ ἔλαττον αὐτῆς ἕκαστος ἕξει· αἰτία ἑλομένου, θεὸς ἀναίτιος· animi in diem viventes, novi circuitus mortalis ac letiferi generis initium adest, non vos daemon sortietur, sed vos daemonem eligetis. Cui priori sors obtigerit, prior eligat vitam. Virtus libera est, quam ut quisque magis vel coluerit vel neglexerit, ita plus ex ea vel minus nanciscetur. Culpa eligentis est, Deus culpâ vacat.* 1) Sed nobis neque haec persequenda, neque alia, qnae his similia in aliis Platonis dialogis, maxime in *Phaedone*, exstant, memoranda describendaque videntur. Illud vero notemus, quo et fabulam hanc Plato et ipsam *Politiam* absolvit. « Atque haec quidem, o Glauco, servata fabula est nec periit: uosque servabit, si ipsi paremus. *Ἀλλ' ἂν ἐμοὶ πειθώμεθα, νομίζοντες ἀθάνατον τὴν ψυχὴν καὶ δυνατὴν πάντα μὲν κακὰ ἀνέχεσθαι, πάντα δὲ ἀγαθὰ, τῆς ἄνω ὁδοῦ ἀεὶ ἑξόμεθα· καὶ δικαιοσύνην μετὰ φρονήσεως παντὶ τρόπῳ ἐπιτηδεύσομεν, ἵνα καὶ ἡμῖν αὐτοῖς φίλοι ὦμεν καὶ τοῖς θεοῖς, αὐτοῦ τε μένοντες ἐνθάδε, καὶ ἐπειδὰν τα ἆθλα αὐτῆς κομιζώμεθα, ὥσπερ οἱ νικηφόροι περιαγειρόμενοι, καὶ ἐνθάδε καὶ ἐν τῇ χιλιέτει πορείᾳ εὖ πράττωμεν· quodsi sermonibus meis obtemperabimus, immortalem futurum animum arbitrantes, quique possit et mala omnia et bona sustinere, viam, quae sursum ducit, semper tenebimus, justitiamque cum prudentia omni ratione colemus, ut et nobis ipsis simus et diis amici, dum hanc degimus vitam, et postquam virtutis praemia reportaverimus, sicuti qui victoriae palmam gerunt circumeuntes, et hic et in mille annorum itinere bene beateque vivamus.* 2) Et, quandoquidem nos ita ad finem disquisitionum nostrarum de philosophia justi pervenimus, quo rectius eam totam perspiciamus, cum Lachesis vocem illam: *οὐχ ὑμᾶς δαίμων λήξεται, ἀλλ' ὑμεῖς δαίμονα αἱρήσεσθε·* tum vero omnium maxime dictum Socratis in *Theaeteto*, quod supra memoravimus, teneamus: *ἀλλ' οὔτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατὸν, ὦ Θεόδωρε, οὔτ' ἐν θεοῖς αὐτὰ*

---

1) *De Rep.* X. 617 D. In illis: *πλέον καὶ ἔλαττον αὐτῆς ἕκαστος ἕξει* vitium latere videtur. Nam vix ferri potest: *prouti magis minusve quisque virtutem coluerit, plus minusve ex virtute sortiturum.* Multum praestat legere: *πλέον καὶ ἔλαττον αὖ τιμῆς ἕξει· plus minusve nanciscetur honoris.*

2) *Eod.* fine.

ἱδρύσθαι, τὴν δὲ θνητὴν φύσιν καὶ τόνδε τὸν τόπον περιπολεῖ ἐξ ἀνάγκης· *nec perire mala possunt, o Theodore, neque apud Deos sedem habere, sed necessario in mortali genere et hoc in loco versantur.* Διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα· φυγὴ δὲ, ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ, δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι· *quapropter opera nobis danda est, ut hinc illuc fugiamus quam celerrime: fuga autem est, ut Deo fiamus, quoad ejus fieri possit, similes: Deo autem similes nos efficit justitia vitaeque sanctitas cum sapientia conjuncta.* 1) Haec nempe apud Platonem ratio est, qua homo et sibimet ipsi consulit et verae particeps fieri felicitatis potest.

---

1) *Theaet.* 176. A. Cff. *Initia* p. 436.

PLATONIS

DE REBUS DIVINIS EFFATA.

Οὐκοῦν ἀγαθὸς ὅ γε θεὸς τῷ ὄντι τε καὶ λεκτέον οὕτω; — Τί μήν;

Quod diximus in superioris exordio disquisitionis, instaurandam hac in primis aetate nostra philosophiam Socraticam et Platonicam esse, pertinet illud ad veri et magis etiam ad justi philosophiam cum emendandam apud nos, tum firmis fundamentis stabiliendam; sed longe omnium maxime huc spectat, ut religio aliquando nostra cum vera philosophia concilietur. Quod ut optarunt magis quam sperare ausi sunt majores nostri, ita nostra aetas reapse consequi summâ ope nititur. Nam, qualiscunque tandem sit hodie philosophiae conditio, abhorrent omnes a protervia illa ac petulantia, qua superioris saeculi philosophi despicere religionem nostram, imo irridere ei solebant. *Fortia ingenia*, quae tum celebrabantur, acsi sibimet ipsa sufficerent, ac suis viribus valerent satis, ut aliunde requirerent nihil, nunc vix memorantur. Illorum adeo multi, qui ab ista scilicet fortitudine proxime absunt, effata tamen sua sacrae doctrinae nostrae cum auctoritate confirmare, tum specie ac colore commendare student. Quae cum ita sint, non committendum nobis est, ut ignorari a plerisque Socraticae ac Platonicae philosophiae vim ac praestantiam sinamus. Ab hac enim una maxime exspectare, quam omnes desiderare atque expetere videntur, *verae philosophiae cum vera religione conjunctionem*, licet. Quamobrem nobis, quod adhuc egimus, id nunc praesertim in hoc tractando argumento agendum erit, ut scri-

bendo prodesse aetati nostrae, gravissimisque ejus caussis prospicere, quoad ejus fieri potest, nitamur.

Philosophia sancti divinique, ut apud Platonem est, principia.

Escendimus ad fastigium doctrinae Platonicae. Nam, ut pulcri philosophia nobis introitus fuit, quo aditus recluderetur ad regnum veritatis ac virtutis, ita nunc, posteaquam in veri justique philosophia satis, ut videtur, diu, ad eam recte percipiendam, versati sumus, hinc nobis tandem ad initiationis hujus nostrae τὰ τέλεα καὶ ἐποπτικὰ escendendum est. Nec tamen sic existimare nos decet, quasi nova hîc omnia contemplaturi simus. Est haec admirabilis quaedam philosophiae Platonicae simplicitas, ut, quae praecesserunt, praeparent nos fere ad proxima intelligenda: quae vero subsequuntur, superiora illustrent: caeterum vix quidquam occurrat, quod non quodammodo speratum exspectatumque fuerit. Quod nos, ni fallimur, perpetuo in disquisitionibus nostris reapse experti sumus. Nam, prouti ille, qui in pulcri philosophia nos tenuit, Diotimae de via ad pulcrum ipsum per se conspiciendum sermo, aptos nos fecit, qui *veri*, αὐτοῦ τοῦ ὄντος, et vero *justi* vim assequeremur, 1) ita tota nostra deinceps de vero et justo disputatio eo apud nos valuit, ut et totum sermonem illum et vero pulcri vim ejusque cum vero et justo necessitudinem interius perspiceremus. Et pariter nunc nobis et singula et universa, quae adhuc vidimus, sufficient, certe proderunt quam plurimum, ad Platonis de rebus divinis effata intelligenda recte. Naturae haec ratio est, in qua apta sibique congrua sunt omnia, nil nobis novum inexspectatumque accidit, sed transitu facillimo lenissimoque et singula et universa conjuncta apparent. Quid? quod revertimur hîc sponte ad ipsum de animo prooemium, quod tanquam τηλαυγὲς πρόσωπον toti philosophiae praemisit Plato? Continebat illud pristinam animi, anteaquam hoc corpus induerat, conditionem praeclaram, ut deos secutus, in loco ὑπερουρανίῳ pulcerrimo spectaculo, ipsâ spectandâ et pulcri et boni et justi, imo sancti divinique perfectâ specie frueretur. Quam animi pristinam, imo naturalem conditionem si illic 2) perspexerimus recte, hîc divinam ejus indolem rationemque, qua, philosophiae ductu, illuc, unde lapsus est, reduci debeat, ut a Platone demonstrata est, assequi facillime poterimus. Nec vero, ubi hîc nobis de divina natura, de mundi opifice, de rerum natura, in primisque

1) *Initia* p. 109.
2) *Eod.* p. 49, 120.

de animi prae corpore praestantia agendum erit, novum id nobis planeque inexspectatum accidet. Latent in omnibus nostris disquisitionibus superioribus harum rerum omnium principia. Verum nos, paratos ita ad interiora illa sacra contemplanda, eoque jam procedentes escendentesque, ut jam jam attigisse philosophiae sancti divinique, ut apud Platonem est, principia videamur, ecce! avocant denuo, ut adhuc fecerunt fere, 1) sophistae ac philosophi, illud nunc maxime usurpantes, quo aliquoties jam aures nostrae personuerunt, nec sanctum esse nec divinum quidquam, ipsam adeo divinam naturam ejusque in nos providentiam nullam esse. Quibus accedunt, ut assolent, poëtae, non negantes illi quidem, esse Deos, sed hos nobis eâ specie proponentes, ut nihil habere cum sancto et divino commune videantur. Utrosque autem mittere, anteaquam, quid maxime sibi velint, cognoverimus, non licet. Imo vero, quo nos ipsi magis cavere a temeritate philosophorum istorum atque a vulgi superstitione, quam poëtis debet, didicerimus, eo tutius faciliusque iter nos nostrum persequemur. Ergo, age, quid dicant utrique illi, in primisque philosophi, audiamus.

Philosophorum de diis ac divina providentia placita.

«Incidimus inscii, o Megille et Clinia — sic hospes Atheniensis apud Platonem — in mirabilem sermonem. Cui Clinias, quem maxime dicis? — Illum, qui a multis habetur omnium sermonum sapientissimus. — Dic manifestius. — Dicunt nonnulli, *ὡς πάντα ἐστὶ τὰ πράγματα γιγνόμενα καὶ γενόμενα καὶ γενησόμενα, τὰ μὲν φύσει, τὰ δὲ τύχῃ, τὰ δὲ διὰ τέχνην· res omnes, quae fiunt, quae factae sunt quaeque fient, partim naturâ, partim fortunâ, partim arte, fieri.* Maxima quaeque, ajunt, et pulcerrima naturam ac fortunam efficere, minora vero artem: hanc autem, acceptâ a natura maximorum principumque operum generatione, fingere ac fabricari minora omnia, quae *artificiosa* fere dicuntur. Veluti ignem dicunt, aquam, terram, aërem naturâ esse et fortunâ, arte autem nihil horum: his facta esse terram, solem, lunam, sidera, fortunâque, quo unumquodque vis sua impulit, singula singulis, frigida calidis, sicca humidis, mollia duris, omnino contraria contrariis, convenisse ac necessario temperata fuisse. Hoc pacto coelum totum et quae in eo sunt omnia, animalia quoque et plantas fuisse producta: non per mentem, neque per Deum aliquem, neque per artem, sed naturâ, ut diximus, et fortunâ. Artem postea ex his

---

1) *Initia* p. 57, 121.

factam, mortalem ex mortalibus, ludicra quaedam negotia genuisse, veritatis quidem non magnopere participia, sed simulacra quaedam sibi ipsis cognata, qualia pictura, musica, caeteraeque artes his similes generant. Si quae vero artes serium aliquid faciunt, eas esse, quae vim suam cum natura communicant: qualis est medicina, agricultura, gymnastica. Civilem praeterea prudentiam, ajunt, parvâ quadam parte cum natura, magnâ vero cum arte convenire, atque ita universam legislationem non naturâ, sed arte, cujus non vera sunt decreta, constare. Deos scilicet isti non naturâ esse ajunt, sed arte et legibus quibusdam informari. 1) Hic Clinias, qualem tu tandem, o hospes, sermonem enarrasti, quantamque juvenum pestem et publice civitatibus et privatim domibus illatam!»

Haec igitur philosophorum de Diis placita Platonis aetate celebrabantur maxime: quibus alii sic repugnabant, ut esse Deos ponerent, sed simul ut nullam esse eorum in rerum naturam et nosmet ipsos providentiam, contenderent. Nobis vero, anteaquam iis puriorem quandam sanioremque doctrinam apponamus, quae in Platonis exstat philosophia, poëtae item antiqui considerandi sunt, quorum in carminibus Dii mirâ informantur specie, ut a sancto divinoque, quod in primis quaerimus, prorsus abhorrere videantur.

De poëtarum ratione, qua Deos nobis in carminibus informarunt.

Excitandus hic nobis denuo est Glauconis in *Politia* sermo, ubi, quo plenius Socrates justitiam vindicet, poëtarum inepta commemorat de Diis effata, quibus moti adolescentes injustitiam facile justitiae praeferunt. 2) «Dicat, ait, aliquis: in contemnenda justitia Deos latere non possumus nec impedire, quo minus nos poenis afficiant. Nos vero reponamus: atqui, si non sint Dii vel res humanas non curent, nobis non curandum, ut lateamus illos; sin adsint atque homines regant, id non aliunde, nisi e poëtarum carminibus cognovimus: dicunt autem iidem, posse Deos sacrificiis suavibusque precibus ac muneribus flecti. Quibus vel utrumque credendum est vel neutrum. Si credendum, injuste agere licet, si modo ex ipsa rapina Diis sacrificia offeramus. Nam, si justi sumus, illaesi quidem a Diis erimus, sed lucra, quae per injustitiam comparantur, respuemus: injusti vero, divitias parabimus, sceleribusque perpetratis, illos precibus flectentes, poena liberabimur. Nec vero dicat aliquis: apud

1) *De Legg.* X. 888. D. — 889. E.
2) *Initia* p. 463.

inferos poenas dabimus eorum, quae hîc injuste commiserimus: scilicet, o bone, respondebimus, expiationes pro peccatis commissis multum valent, exorabilesque Dii sunt, ut maximae civitates affirmant ac Deorum filii, poëtae.» 1)

De superstitione.

Memorandis hisce poëtarum effatis, descripsit nobis Plato abjectam simul, quae ipsius aetate grassabatur, superstitionem: a qua ne nostrum quidem aevum, quamvis optimae religionis luce illustratum, abhorret plane. Incidimus autem ita mente et cogitatione in nulla non superstitionis genera, in quibns sunt, quae vitam hominum conturbent plane, quippe vanis contenta divinationibus. *Instat enim*, sic Cicero de hac superstitionis ratione, *et urget, et, quo te cunque verteris, persequitur: sive tu vatem, sive tu omen audieris; sive immolaris, sive avem adspexeris: si Chaldaeum, si haruspicem videris: si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de coelo: si ostenti simile natum factumve quippiam: quorum necesse est plerumque aliquid eveniat: ut nunquam liceat quietâ mente consistere. Perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus; at ex eo ipso plurimae curae metusque nascuntur: qui quidem ipsi per se minus valerent et magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent.* 2) Quo magis apponenda his omnibus Platonis doctrina videtur, quae ex ipso hominis animo ducta, illuc nos, ni fallimur, adducet aliquando, quo per omnes has de pulcro, de vero, deque justo disquisitiones constanter tetendimus, id est, ad sanum quoddam de rebus divinis judicium. Hinc Cicero ut profecerat quam plurimum, ita optimas quasque duxit de puriore religione sententias, quas in libris *de natura Deorum* ac *de divinatione* prodidit, ut, bis ad finem perductis, sic scriberet. *Explodatur haec quoque somniorum divinatio pariter cum ceteris. Nam, ut vere loquamur, superstitio, fusa per gentes, oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit: quod et in iis libris dictum est, qui sunt de natura Deorum, et hac disputatione id maxime egimus. Multum enim et nobismet ipsis et nostris profuturi videbamur, si eam funditus sustulissemus.* 3) Addit bis autem, quod Socraticae plane et Platonicae philosophiae convenit. ***Nec vero*** *(id enim diligenter intelligi volo)* ***superstitione tollendâ***

1) *De Rep.* II. 365. D. — 366. B.
2) Cic. *de divin.* II. 72.
3) Id. *eod.*

religio tollitur. Nam et majorum instituta tueri sacris caerimoniisque retinendis, sapientis est, et esse praestantem aliquam aeternamque naturam, et eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulcritudo mundi ordoque rerum coelestium cogit confiteri. Quamobrem, ut religio propaganda etiam est, quae est juncta cum cognitione naturae, sic superstitionis stirpes omnes ejiciendae. 1) Nos autem, ut in exponenda philosophia sancti, sicuti proditum in Platonis scriptis est, ordine progrediamur, ab ejus principio ordiamur.

De sancti divinique studio, homini naturâ insito.

Divina est, ut in sublimi philosophiae prooemio, quod *Phaedro* continetur, nos docuit Plato, animi humani indoles. Nam, anteaquam hoc corpus indueret, versatus in Deorum choris est, ubi una cum illis puram intaminatamque veritatem in coeli culmine spectaret: quo factum, ut, exclusus deinde, propter rerum sensibilium appetitum, sacris hisce omnium maximis, desideraret ea tamen, quippe naturâ ipse suâ veritatis rerumque sanctarum ac divinarum cupidus. 2) Respondet prooemio ipsa Platonis philosophia, uti exposita ab eo in *Phaedone* est. Nam, missâ ratione poëticâ, demonstrat illic philosophus, nil aliud esse discere, nisi reminisci, quod ex eadem illa superiore animi vita repetit. Hic autem, divinam esse animi indolem, adhibita ejus cum corpore comparatione, datâ operâ efficit. «Duo, ait Socrates illic, rerum genera ponamus, alterum visibilium, invisibilium alterum, quorum hoc eodem se semper modo habeat, illud nunquam eodem. Invisibili animus similior est, visibili corpus. Animus enim quoties ad considerandum cognoscendumque aliquid corpus ejusque sensus tanquam socios assumit, toties trahitur a corpore ad ea, quae nunquam eodem modo sunt, vagatur incertus ac perturbatur et quasi ebrius vacillat. *Ὅταν δέ γε αὐτὴ καθ' αὑτὴν σκοπῇ, ἐκεῖσε οἴχεται εἰς τὸ καθαρόν τε καὶ ἀεὶ ὂν καὶ ἀθάνατον καὶ ὡσαύτως ἔχον· καί, ὡς συγγενὴς οὖσα αὐτοῦ, ἀεὶ μετ' ἐκείνου τε γίγνεται, ὅταν περ αὐτὴ καθ' αὑτὴν γένηται· quoties vero animus per semet ipsum cogitat, illuc tendit, ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens: et tanquam ipsius cognatus semper inhaeret illi, quoties ipse redierit in se ipsum.*» Unde nemo non efficit sponte, similiorem animum esse ei, quod semper eodem se modo habet, quam rebus mutabilibus. Sed huc item specta: quamdiu

---

1) Cic. *eod.*

2) *Initia* p. 49. sqq.

in eodem sunt animus et corpus, hoc quidem servire natura jubet, illum vero praeesse atque dominari. Quamobrem nonne divino animus, corpus vero mortali simile esse videatur? Ex his igitur omnibus colligamns, *τῷ μὲν θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ νοητῷ καὶ μονοειδεῖ καὶ ἀδιαλύτῳ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως καὶ κατὰ ταυτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ, ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν· divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo et secundum eadem se ipsum habenti, animum esse simillimum;* humano vero; mortali, non intelligibili, multiformi, dissolubili, nunquam eodem modo se habenti, simillimum esse corpus.» 1)

Haud facile quis, opinor, lectis hisce riteque perspectis, dubitabit, undenam Plato philosophiae sancti principium duxerit. Non finxit ille, ut posterioris aevi philosophis placuit, Deum continuo, e cujus, quam informasset, natura omnem repeteret explicaretque rerum divinarum doctrinam. Modestius Plato: utque philosophum decebat, e Socratica schola profectum, semet ipsum, i. e. animum hominis cognoscere studuit, quo magis ex ejus natura atque indole, non, quid esset Deus, efficeret continuo pronunciaretque, sed ad divinae naturae cognitionem sensim paullatimque progrederetur. Sic autem philosophiae non posuit pro arbitrio principia quaedam, quibus, tanquam fundamentis, doctrinae aedificium superstrueret, sed summo ejus principio ex ipsa *hominis* natura, e sancti divinique studio, quod nobis inest, ducto, facile sibimet ipse viam aperuit, qua apte deinceps ad sanctum divinumque procaderet, ut tandem aliquando in *Timaeo* sublimia illa de Deo, tanquam mundi opifice et gubernatore, effata ederet. Haec via quaenam sit, proximum est ut inquiramus: erit autem nobis ad hoc in primis argumentum recte tractandum, summa discernendi diligentia adhibenda.

Philosophiae Platonicae via, qua nos ad sanctum divinumque evehit.

Haud praeclare profecto de philosophia Platonis meriti sunt, qui, aliquot post eum saeculis, ipsius placita cum alia, tum maxime de sanctitate hominis cum novitiorum Pythagoreorum placitis confunderent. Horum factum intempestivo dogmatum conciliandorum studio est, ut et corrumperetur prorsus doctrina Platonis et salutaris homini, quae nata erat, religio, quippe commixta cum illa et alienâ sic specie prodiens, vi sua magnam partem destitueretur. Quamobrem nos, in ipso jam disquisitionum nostrarum exordio, cavendum esse ab hac hominum perversitate etiam atque etiam monuimus. 2)

---

1) *Phaed.* 79. A. – 80 B.

2) *Initia* p. 46 sqq.

Corruptioni doctrinae suae ipse videtur Plato ansam praebuisse. Nam in *Phaedone*, ubi divinam animi naturam celebrat, sic sprevisse eum et corpus et res omnes corporeas dixeris, ut potuerit hinc facile posteriorum philosophorum, ut Porphyrii, Jamblichi, similium, imo monachorum et anachoretarum disciplina exsistere. Statuit illic adeo, vitam philosophi θανάτου μελέτην, *mortis meditationem*, sive ad moriendum exercitationem quandam esse. Hoc autem placito quid esse efficacius ad tristem illam excitandam homineque indignam *de abstinentia* doctrinam potuit? Sed quo rem rectius dijudicemus, ipsa haec *Phaedonis* loca et legamus et recte interpretari conemur.

De germani philosophi vita.

Placitum continuo in hoc dialogo profert Socrates, quod et caeteris, qui in carcere adsunt, et Simmiae in primis ac Cebeti mirum accidit, *mori praestare, quam vivere*. Nam Simmiae mandaverat, ut Evenum valere juberet, ac, si recte is agere cuperet, se sequi. Hic ille «quale id est, o Socrates, quod Eveno mandas? Saepe enim in illum incidi, et quantum de eo cognovi, nullo tibi modo lubens parebit. Cui Socrates, quid vero, inquit, nonne philosophus Evenus est? — Mihi quidem esse videtur. — Volet igitur et Evenus et quicunque recte huic rei est deditus: quamquam vim quidem sibi non inferet: non enim fas esse ajunt.» 1) Sequitur hic praeclara in αὐτοχειρίαν disputatio, e Pythagoreorum fonte ducta, ut mirari subeat, fuisse apud veteres, prouti de Catone Uticensi 2) et Cleombroto Ambraciota 3) memoriae proditum est, qui, lecto *Phaedone*, violentas sibi manus inferrent. Memorat Socrates celebratissimum decretum: ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι, καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν οὐδ' ἀποδιδράσκειν· *esse nos homines in custodia quadam, nec decere quemquam ex hac se ipsum solvere neque aufugere*. Tum alterum hoc non minus praeclarum, τὸ θεοὺς εἶναι ἡμῶν τοὺς ἐπιμελομένους, καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἓν τῶν κτημάτων τοῖς θεοῖς εἶναι· *Deos esse, qui nostri curam habeant, nos autem homines unam quandam e possessionibus esse Deorum.* 4) «Ergo, ait, tune, o Cebes, si servorum quis tuorum tuo injussu semet ipsum interfecisset, probares, nec, si posses, poenâ eum afficeres?» Sed, ad ipsum hoc argumentum revocato sermone «videntur mihi, ait Socra-

1) *Phaed.* 61. C.
2) Plut. *Vita Cat.* 68.
3) Cic. *Tusc. Q.* I. 34.
4) *Phaed.* 62. B.

tes, quotquot germani sunt philosophi, nihil aliud consequi studere, quam ut moriantur ac mortui sint.» Quod sic demonstrat. Monet primum, mortem esse animi a corpore solutionem; tum quaerit: «videturne tibi, qui vere est philosophus, rerum corporearum, sensuum, voluptatum, cibi potusque studio teneri magnopere? An vero ita se res habet, ut ab iis, quoad ejus fieri potest, abstineat? — Sic omnino. — Quid vero? ad cogitandum recte, ut ad sapientiam perveniamus, impedimentum corpus est? veluti sensus, visus, auditus, caeteri, veritatem nobis percipiendam praebent, an vero recte nobis tradunt poëtae, nihil nos videre, nihil audire sincere accurateque? — Recte omnino illi. — Nonne igitur optime cogitat ac ratiocinatur animus, ubi istorum nihil ipsum conturbat, nec visus nec auditus nec dolor nec voluptas, ἀλλ' ὅτι μάλιστα αὐτὴ καθ' αὑτὴν γίγνηται, ἐῶσα χαίρειν τὸ σῶμα, καὶ καθ' ὅσον δύναται μὴ κοινωνοῦσα αὐτῷ μηδ' ἁπτομένη, ὀρέγηται τοῦ ὄντος; *sed quam maxime esmet in se recipiens, deserit corpus, et, quoad ejus fieri potest, nec communicans se cum eo nec attingens, ad verum contendit?* — Ita se res habet. — Quid vero illa, quae vocamus, *pulcrum, bonum, justum?* Horum tu quidquam oculis vidisti? an vero quicunque nostrum, repudiatâ sensuum ope, ipse per se illa contemplari studuit, is optime illa animo perceperit? — Prorsus. — Iccirco vere nobis demonstratum est, ὅτι, εἰ μέλλομέν ποτε καθαρῶς τι εἴσεσθαι, ἀπαλλακτέον τοῦ σώματος καὶ αὐτῇ τῇ ψυχῇ θεατέον αὐτὰ τὰ πράγματα· καὶ τότε, ὡς ἔοικεν, ἡμῖν ἔσται οὗ ἐπιθυμοῦμέν τε καί φαμεν ἐρασταὶ εἶναι, φρονήσεως, ἐπειδὰν τελευτήσωμεν, ζῶσι δὲ οὔ· *si quid sincere intellecturi simus, discedere nos a corpore oportere atque ipso animo ipsas res contemplari: tum demum, ut videtur, consequemur, quod appetimus cujusque nos dicimus amantes esse, sapientiam videlicet, quum mortui fuerimus, dum autem vivemus, nequaquam.*» 1)

Facile his aliquem ad *abstinentiae disciplinam*, quae Neoplatonicorum et vero Christianorum quorundam fuit, adduci potuisse, sponte cernimus. Et vero, spretis ita et sensibus et voluptatibus et rebus omnino corporeis, quidni inde hoc item ducere posteritas debuerit, unam homini respiciendam futuram vitam esse, hanc negligendam, quoque magis quis animo prospiceret suo, eo magis ipsi esse a cibo potuque, ab amore, ab ipso matrimonio abstinendum? Horum vero nihil apud Platonem. Contra se res habet. Ipsi adeo religioni nostrae, ut prodita a divino auctore est, conveniunt, si recte accipiuntur, philosophi placita. Nam spectant haec in primis *veritatem, libertatem, virtutem:*

1) *Phaed.* 64. C. — 66. E.

Plato autem in illis, quemadmodum ad tria illa perveniendum philosopho esset, declarare studuit. Non abstinendum prorsus a sensibus docuit, sed philosopho negavit indulgendum iis gratificandumque in eum modum esse, ut cum in *veritatis* studio conturbaretur, tum serviret iis ac suâ destitueretur *libertate*, tum vero in omnes libidines voluptatesque pronus, *virtute* excideret. Id vero praecipiens, quae germani esset philosophi vita, quaeque integra ac pura sanctitas, demonstravit. A *veritatis* eam studio repetebat, et vero sic statuit, nullam esse sive *virtutem* sive *sanctitatem*, nisi quae cum *veri* amore et sapientia arctissime esset conjuncta: quod ex iis patet maxime, quae porro apud eum Socrates de *purgatione animi* in hoc dialogo persequitur. *Κάθαρσιν* vocat, quam saepius memoravit, animi a corpore separationem, ut ipse per se vivat agatque, a corpore, tanquam vinculis, solutus, ut in suam se receperit libertatem. Quod ut consecutus fuerit, et veritatem assequetur facile, et sponte suâ virtutibus primariis, sapientia, fortitudine, temperantia, justitia excellet. 1)

Qua homini ratione ad vitae sanctitatem perveniendum est?

Quantum ad vitae sanctitatem veri studio ac sapientiae tribuerit Plato, ex hisce Socratis in carcere sermonibus intelligitur. Animadvertere id debuerant philosophi, qui, quamvis ex ipsa philosophi schola profecti, tamen nec disciplinas graviores, quae ad veritatem ducunt, nec virtutes adeo, quas diximus, curarunt magnopere, unam scilicet, nescio quam, sanctitatem affectantes. De virtutum autem cum vitae sanctitate necessitudine copiosus deinde Socratis est ac sublimis in eodem dialogo sermo. « Caeterorum hominum, ait, si velis fortitudinem ac temperantiam considerare, videbitur tibi illa absurda plane. Mortem existimant omnes unum e maximis malis esse. Majorum autem metu malorum, quicunque in iis fortes sunt, sustinent mortem, quando sustinent. Metuendo igitur ac metu fortes omnes sunt, praeter philosophos: quamquam absurdum est, metu aliquem vel timiditate fortem esse. Sed qui inter eos temperantes dicuntur, nonne simili quodam modo se habent, ut intemperantiâ quadam temperantes sint? quamquam id fieri non posse videtur. Veruntamen accidit iis illud, in fatuā ipsorum temperantia. Timentes scilicet, ne suis careant voluptatibus, a ceteris abstinent, et hunc in modum fiunt per intemperantiam temperantes. Atqui haec haudquaquam recta est, mi Simmia, ad virtutem via, voluptates volup-

---

1) *Phaed.* 67. E. — 68. C.

tatibus, dolores doloribus, metum metu, majus minori, tanquam nummos, permutare; sed ille duntaxat rectus sit nummus, quo haec omnia oporteat commutari, nempe *sapientia:* hoc nummo emta venditaque omnia reapse erunt fortitudo, temperantia, justitia, omninoque vera virtus cum sapientia, sive adsint, sive discesserint volnptates, timores, caeteraque hujus generis; *χωριζόμενα δὲ φρονήσεως καὶ ἀλλαττόμενα ἀντὶ ἀλλήλων, μὴ σκιαγραφία τις ᾖ ἡ τοιαύτη ἀρετὴ, καὶ τῷ ὄντι ἀνδραποδώδης τε καὶ οὐδὲν ὑγιὲς οὐδ' ἀληθὲς ἔχῃ· τὸ δ' ἀληθὲς τῷ ὄντι ᾖ κάθαρσίς τις τῶν τοιούτων πάντων, καὶ ἡ σωφροσύνη καὶ ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ ἀνδρεία, καὶ αὐτὴ ἡ φρόνησις μὴ καθαρμός τις ᾖ· sin autem a prudentia segregata atque invicem permutata sint, vide, ne inanis quaedam umbrae descriptio talis virtus sit ac reapse servilis, nec sanum quid aut verum habeat: horum autem omnium verissime purgatio sit cum temperantia, tum justitia, tum fortitudo, ipsa autem sapientia remedium sit aliquod.»* 1).

Talis apud Platonem est sapientiae caeterarumque virtutum cum sanctitate necessitudo. Quo magis cernimus, alienam plane ejus doctrinam ab omni superstitione esse. Nam superstitio unde crebrius, quam e rerum ignorantia praejudicatisque opinionibus exsistit? Horum autem philosophus, qui idem est veritatis amantissimus rectissimâque viâ ad sapientiam contendit, maxime est immunis. Sed id priusquam accuratius exploremus, persequi juvat sublimem Platonis de hoc ipso philosophiae munere sententiam. «In Deorum vero genus — haec Socrates porro Cebeti — nulli fas est pervenire, praeterquam illis, qui *discendi* cupiditate flagrantes, puri discesserunt. Horum illi gratiâ ab omnibus corporis cupiditatibus abstinent. Sciunt enim, philosophiam ipsorum animum, vinctum plane corpori, ac per corpus, tanquam per carcerem quendam, res considerare coactum: sciunt, inquam, sic se habentem ipsorum animum philosophiam suscipere, sensimque admonere ac solvere conari, ostendentem, fallax esse oculorum, fallax aurium caeterorumque sensuum judicium, tum vero suadentem, ut discedat ab his, se ipsum revocet inde atque colligat, nec ulli, praeterquam sibi, fidem habeat. Hunc autem in modum cum solverit ipsorum animum philosophia, haud arbitrantur oportere, iterum illum voluptatibus ac doloribus dedere, iterumque vincire atque irritum opus facere, quasi telam Penelopes retexentes. Imo vero horum tranquillitati studens philosophorum mens, *ἑπομένη τῷ λογισμῷ καὶ ἀεὶ ἐν τούτῳ οὖσα, τὸ ἀληθὲς, καὶ τὸ θεῖον, καὶ τὸ ἀδόξαστον θεωμένη, καὶ ὑπ' ἐκείνου τρεφομένη, ζῆν τε οὕτως οἴεται δεῖν, ἕως ἂν ζῇ· καὶ ἐπειδὰν τε-*

---

1) *Phaed.* 68. D. — 69. C.

λευτήσῃ, εἰς τὸ ξυγγενὲς καὶ εἰς τὸ τοιοῦτον ἀφικομένη, ἀπηλλάχθαι τῶν ἀνθρωπίνων κακῶν· *rationem secuta et semper in eo versata, verum, divinum, certum contemplatur: a quo nutrita ita vivendum censet, quamdiu vivat: ac postquam hinc discesserit, in cognatum se sperat locum venturam atque ita malis exemtum iri humanis.»* 1)

De divina natura.

Hac igitur via ac ratione philosophia nos apud Platonem ad sanctum divinumque educit. Quod autem diximus, immunem ejus doctrinam cum superstitionis esse, tum praejudicatarum opinionum, id, ut e dictis intelligitur, ita tum nobis maxime patebit, ubi praeclaram philosophi de divina natura sententiam exposuerimus. Prodidit eam Plato in *Timaeo;* sed non negligenda nobis sunt haec ipsa in *Phaedone*, quae attulimus, de sancto divinoque loca: nec vero silentio praetermittendum, quod de divina natura in libris *de Republica* pronunciavit. Memoratis illic poëtarum de Diis atque heroibus fabulis, efficit inde Socrates, uti vidimus supra, quantopere illae abjectam alere hominum superstitionem debeant. «Peccare, ait, non verentur, quandoquidem, ut a teneris didicerunt, λύσεις τε καὶ καθαρμοὶ ἀδικημάτων, διὰ θυσιῶν καὶ παιδιᾶς ἡδονῶν, εἰσὶ μὲν ἔτι ζῶσιν, εἰσὶ δὲ καὶ τελευτήσασιν· *solutiones purgationesque sunt scelerum per sacrificia atque ludorum oblectamenta, cum iis qui vivunt, tum etiam mortuis.»* 2) Falsam hanc Plato et vero turpem de divina natura opinionem senex de industria refutavit, cum *Leges* scriberet: in hoc autem *de Republica* opere refutat sic, ut veram ei uniceque sublimem doctrinam opponat, Deique veluti τύπους exprimat, quos in sua civitate imitari poëtas jubet. Sed ipsos hic attendamus Socratis cum Adimanto sermones.

Τύποι περὶ θεολογίας·
quinam sunt servandi maxime?

Nam, ut rogaverat Adimantus, quinam essent maxime περὶ θεολογίας τύποι, sic Socrates. «Οὐκοῦν ἀγαθὸς ὅ γε θεὸς τῷ ὄντι τε καὶ λεκτέον οὕτω; *nonne re verâ bonus Deus est, atque ita dicendum?* — Procul dubio. — Atqui nullum bonum noxium est? — Nullum, ut arbitror. — Quod innoxium est, numquid nocet? — Nequaquam. — Quod non nocet, numquid mali facit? — Neque istud

1) *Phaed.* 82 B. — 84 B.

2) *De Rep.* II. 364. E. Similiter *de Legg.* X. 885. B. εὐπαραμυθήτους εἶναι θεούς, θυσίαις τε καὶ εὐχαῖς παραγομένους. Cff. *Initia* p. 463.

quidem. — Quod autem nihil mali facit, nullius mali est caussa. — Nullius. — Quid porro? nonne utile bonum est? — Prorsus. — Ergo bene feliciterque agendi caussa est? — Est. — Non igitur omnium caussa bonum est, sed eorum duntaxat, quae bene se habent: eorum vero, quae male, nequaquam? — Sic est omnino. — *Οὐδ᾽ ἄρα ὁ θεὸς, ἐπειδὴ ἀγαθὸς, πάντων ἂν εἴη αἴτιος, ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν· ἀλλ᾽ ὀλίγων μὲν τοῖς ἀνθρώποις αἴτιος, πολλῶν δὲ ἀναίτιος· πολὺ γὰρ ἐλάττω τἀγαθὰ τῶν κακῶν ἡμῖν· καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον· τῶν δὲ κακῶν ἄλλ᾽ ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ᾽ οὐ τὸν θεόν· non igitur Deus, cum bonus sit, omnium caussa est, ut vulgo dicunt; sed paucorum quidem hominibus in caussa est, multorum vero extra caussam: multo enim pauciora nobis sunt bona, quam mala: et bonorum quidem solus Deus caussa est dicendus; malorum vero quamlibet aliam praeter Deum caussam quaerere decet.*» 1) Hic digreditur Socrates in loca Homeri, quibus Dii occurrunt malorum auctores, tum Aeschyli dictum exagitat:

— *θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς,*
Ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ.

Quibus subjungit: «vel sinendum non est, poëtam dicere, Dei haec esse opera; vel, si Dei sunt opera, invenienda est in his ea, quam nunc quaerimus, ratio: dicendumque, *ὡς ὁ μὲν θεὸς δίκαιά τε καὶ ἀγαθὰ εἰργάζετο, οἱ δὲ ὠνίναντο κολαζόμενοι· Deum quidem justa ac bona perfecisse, mortalibus autem poenas profuisse.* Miseros hos esse, quod poenas luant, hujus autem rei auctorem Deum esse, id dicere non permittendum poëtae est; sin vero diceret, miseros esse malos propterea, quod poenis egeant, luentes autem poenas juvari a Deo, permittendum. 2) *Κακῶν δὲ αἴτιον φάναι θεόν τινι γίγνεσθαι, ἀγαθὸν ὄντα, διαμαχετέον παντὶ τρόπῳ, μήτε τινὰ λέγειν ταῦτα ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει, εἰ μέλλει εὐνομήσεσθαι, μήτε τινὰ ἀκούειν, μήτε νεώτερον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν μέτρῳ, μήτε ἄνευ μέτρου μυθολογοῦντα· ὡς οὔθ᾽ ὅσια ἂν λεγόμενα, εἰ λέγοιτο, οὔτε ξύμφορα ἡμῖν, οὔτε ξύμφωνα αὐτὰ αὑτοῖς· malorum autem alicui caussam esse Deum, cum bonus sit, refellendum omnino est: neque permittendum, hoc quemquam vel di-*

1) *De Rep.* II. 379 A.—C.

2) Vulgo haec male accipiuntur, quasi voluerit Plato: *sed si dicant, illis poena opus fuisse, quum miseri sint mali.* Fuit, cum verba transponerem: *ἀλλ᾽ εἰ μὲν λέγοιεν, ὡς ἄθλιοι οἱ κακοὶ, ὅτι ἐδεήθησαν κολάσεως, διδόντες δὲ* — Sed interpungendo restituimus locum in hunc modum: *ἀλλ᾽ εἰ μὲν, ὅτι ἐδεήθησαν κολάσεως, λέγοιεν, ὡς ἄθλιοι οἱ κακοὶ, διδ.* —

cere in civitate sua, si bonis institui legibus civitas debet, vel audire, sive sit ille junior, sive senior, sive carminibus haec inserantur, sive solutâ oratione enarrentur: quippe quae nec sancta honestave sint, si dicantur, neque utilia nobis, neque inter se consona.» 1)

Locus hic sane apud Platonem, ut sublimem ipsius de divina natura sententiam percipiamus, unus in paucis maxime notandus nobis est: valet adeo ad nostrum de sublimi argumento judicium cum illustrandum, tum confirmandum. Nam distinguenda nobis est, quod negligitur a multis, duplex vocis *bonitas* significatio. Usurpamus eam de Dei erga nos clementia, ut apud Ciceronem non semel occurrit; v. c. ubi de Dionysio narrat: *jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri: in quibus quod more veteris Graeciae inscriptum esset*, BONORUM DEORUM, *uti se eorum bonitate velle dicebat.* 2) Fit ita, ut nos fere de Dei attributis agentes, *bonitatem* Dei de munificentia ejus inque hominem voluntate accipiamus. Et recte nos quidem. 3) Veruntamen est alia item ejusdem vocis vis, ubi de *bonitate* v. c. *ingenii*, *vocis*, *caussae*, similium, agimus. Significat ita rei *virtutem*, *praestantiam*, *perfectionem*. Id sic traducendum ad divinam naturam est, ut *moralem*, quam nos vocamus, *bonitatem* i. e. virtutem summam perfectamque, intelligamus, eamque non minus, quam clementiam et benignitatem, ad Dei attributa, imo vero ad divinae naturae οὐσίαν referamus. Id scilicet intelligebat divinus divinae naturae interpres, quum juveni, qui ipsum vulgari ratione *bonum magistrum* appellaverat, illud reponebat: *Τί με λέγεις ἀγαθὸν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός.* 4) Sed nos de altero item Platonis περὶ θεολογίας τύπῳ videamus.

«*Bonus* igitur Deus est, ait Socrates, eique contraria sunt quaecunque nos *mala* vocare solemus: horum homines auctores existimandi sunt, Deus non auctor est. Quid vero secundus hic τύπος; Num existimas praestigiatorem esse Deum, et, veluti ex insidiis, alias alia sub specie apparere? an vero simplicem esse potius minimeque omnium speciem mutantem?» 5) Ingreditur ita Socrates de *immutabilitate* Dei ac *veracitate* dicere: utramque autem e divinae naturae indole repetit. «Quidquid, ait, speciem mutat suam, vel per semet ipsum intrinsecus, vel extrinsecus ab alio mutatur. Quod vero optime se habet, minime

1) *De Rep.* II. 379 C. — 380 C.

2) Cic. *de Nat. Deor.* III. 34.

3) Nuper de hoc loco, in omni theologia gravissima, elegans apud nos prodiit disquisitio *J. H. Scholteni de Dei erga hominem amore.* Traj. ad Rh. 1836.

4) *Euang. Lucae* XVIII. 19.

5) *De Rep.* II. 380 D.

est mutationi obnoxium. Atqui ὁ θεός τε καὶ τὰ τοῦ θεοῦ πάντῃ ἄριστα ἔχει· ταύτῃ δὴ ἥκιστ' ἂν πολλὰς μορφὰς ἴσχοι ὁ θεός· *Deus resque divinae optime se habent: quamobrem minime Deus multas aliunde formas suscipiat.* Numquid vero per semet ipsum Deus se immutet? Sed, id si fieret, in pejus se mutaret: nam indigum pulcritudinis vel virtutis Deum esse, haud dicamus. Pejorem vero se reddere nec Deus nec homo velit. Quod autem vulgo dicunt, mentiri subinde Deos, ut alienâ sub specie hominibus apparentes, prosint iis: duplex mendacium est, alterum verum, veri alterum imago: illud omnes omni aevo et Dii et homines oderunt: est enim ignorantia rerum, ut semet ipsum quis decipiat: imago autem veri mendacii, quae verbis factisque se prodit fallacibus, neque haec etiam in Deum cadit: nam cum ad alios decipiendos pertineat, tali mendacio, ut hominibus prosit, Deus non utitur; κομιδῇ ἄρα ὁ θεὸς ἁπλοῦν καὶ ἀληθὲς ἔν τε ἔργῳ καὶ ἐν λόγῳ καὶ οὔτε αὐτὸς μεθίσταται, οὔτε ἄλλους ἐξαπατᾷ, οὔτε κατὰ φαντασίας, οὔτε κατὰ λόγους, οὔτε κατὰ σημείων πομπάς, οὔθ' ὕπαρ οὔτ' ὄναρ· *quare et simplex omnino Deus est et verax dictis factisque: neque mutatur ipse, neque alios decipit, neque per visiones, neque per sermones, neque signis immittendis, neque dormientibus nobis neque vigilantibus.*» 1)

De Deo, universi cum auctore, tum gubernatore.

Sic Plato in *Politia* cum vulgi superstitioni, tum poëtarum fabulis saniorem purioremque opposuit de divina natura doctrinam. In *Timaeo* autem Deum ipsum ad τύπους hosce divinitatis effinxit, nobisque, ut universum hocce cum informantem, tum gubernantem, sublimi oratione veluti ob oculos proposuit. Sed ad hunc dialogum priusquam accedamus, respondendum jam philosophis est, qui, quo facilius se ex omnis μυθολογίας ac θεολογίας difficultatibus expedirent, simpliciter vel esse Deos negarunt, vel si maxime essent, nil eos curare res humanas, statuerunt. Ad impias istorum de Deo opiniones tollendas, non vim adhibendam esse dicit hospes ille in *Legibus* Atheniensis, sed persuasionem, fingitque adolescentem sibi obvium, istâ jam doctrinâ imbutum corruptumque, quem sic alloquitur: ὦ παῖ, νέος εἶ· προϊὼν δέ σε ὁ χρόνος ποιήσει πολλὰ ὧν νῦν δοξάζεις μεταβαλόντα, ἐπὶ τἀναντία τίθεσθαι· περίμεινον οὖν εἰς τότε κριτὴς περὶ τῶν μεγίστων γίγνεσθαι·

---

1) *De Rep.* II. 380 E. — 382 E.

μέγιστον δὲ, ὃ νῦν οὐδὲν ἡγῇ σὺ, τὸ, περὶ τοὺς θεοὺς ὀρθῶς διανοηθέντα, ζῆν καλῶς ἢ μή· juvenis etiamnunc es, fili: nec dubito, quin progressio temporis efficiat, ut de multis aliter, quam nunc, sentias: exspecta igitur, quaeso, ut tunc de rebus maximis judices: maximum autem est, quod tu nunc nihil esse arbitraris, ut recte de Diis sentientes, bene vivamus. Primum de illis tibi permagni quid indicans, haud fallax reperiar: est autem hocce. Non tu solus, nec amici tui primum, hanc de Diis opinionem habetis; sed aliqui semper, cum plures, tum pauciores, hoc morbo laborarunt. Quod vero plurimis eorum contigit, tibi narrabo. Nullus scilicet eorum ab adolescentia usque ad senectutem in hac opinione, Deos non esse, perseveravit; reliqui autem duo morbi quamvis non multis, nonnullis tamen permanserunt, esse quidem Deos, sed de rebus humanis nihil curare: vel curare eos quidem, sed facile precibus sacrificiisque placari. Tu igitur, si mihi credis, exspectabis, donec plane constet tibi pro viribus, quid de his judicandum sit: utque id assequare, diligenter considerabis, sic, an secus, se res habeat. Noli interea tam temerarius esse, ut impie de Diis sentias.» 1)

Praemisso hoc monito gravissimo, quod senectutis cum experientiam, tum sapientiam refert, cavillationibus deinceps sophistarum ac philosophorum sic respondet, ut ex animi natura efficiat, potiorem animum ac priorem corpore esse: quo ad mundum hunc adspectabilem traducto, qui rebus corporeis constat, pariter inde concludit, anteaquam mundus exstitisset, animi affuisse divini cujusdam vim, qua *φύσις* sit, quam loquuntur, orta. Id autem postquam fusâ demonstratione confecit, haec addit. «Ei ergo, qui Deos esse negat, positis terminis, sermonem jam relinqnamus; sunt autem illi hujusmodi, ut vel doceat, nos non recte opinari, ubi animum dicimus prae caeteris omnibus primum exstitisse, quaeque a nobis consequenter dicta sunt, vera non esse, vel, si nihil melius, quam nos, dicere potest, nobis credat, atque ita in posterum vivat, ut de Diis non ambigat.» 2)

Et hinc quidem ducere continuo Plato potuit, quod aliis negare placebat, esse providentiam Deorum, eosque res minimas non minus, quam maximas, curare. Sed his item hominibus meliorem sententiam persuadere, quam monstrare et probare, malebat. Sic igitur porro Atheniensis ille. «Adversus istos finem jam habeat disputatio nostra: qui autem esse quidem Deos existimat, sed non curare res humanas, huic sic persuadeamus. *Ὦ ἄριστε δὴ, φῶμεν, ὅτι μὲν ἡγῇ θεοὺς, ξυγγένειά τις*

1) *De Legg.* X. 888. A.—D.
2) *Eod.* 899. C.

ἴσως σε θεία πρὸς τὸ ξύμφυτον ἄγει τιμᾶν καὶ νομίζειν εἶναι· virorum optime, dicamus, natura quaedam divinitati cognata ad rem tibi conjunctam affirmandam colendamque ducit, quum Deos esse asseris. Sed improborum injustorumque hominum publice privatimque successus, qui, licet re vera felices non sint, vulgo tamen felices habentur, et carminibus frequenter ac sermonibus extolluntur, temere ad impietatem te praecipitem agunt: vel etiam, cum scelestos homines videas sic ad senectutem pervenire, ut filios atque nepotes maximis condecoratos honoribus relinquant, perquam turbaris. Propterea cum Deos harum rerum auctores esse, propter ipsam cum illis cognationem, incusare, inque eos peccare nolis, huc tandem delapsus es, ut, licet Deos esse arbitrere, humanas tamen res ab illis negligi credas. Ne igitur haec opinio ad graviorem te ducat impietatis morbum, remedium, pro viribus opinionem hanc refutantes, adhibeamus.» 1)

Proficere ex his Platonis locis Stoici debuerant, quum adversus Epicureos sententiam suam de Diis eorumque providentia propugnarent. Humanius sane et profecto majore cum persuasione dixissent. Nec vero Plato, quod ipsam attinet rei demonstrationem, minore, quam illi, disputandi diligentia usus est. Praeivit iis optimam, quam sequerentur ac tenerent, viam. Sic apud eum porro hospes ille, vel ipse potius senex. «Non erit forsan difficile demonstrare, Deos non minus minimarum rerum, quam maximarum, curam habere. Age, nonne temperantem esse ac sapientem, virtuti tribuitur, contrarium vero vitio? — Certe. - Quid? nonne fortitudo etiam tribuitur virtuti, ignavia vitio? - Quidni? — Ex iis haec turpia, illa vero honesta dicuntur? — Dicuntur. — *Καὶ τῶν μὲν προσήκειν ἡμῖν, εἴπερ, ὁπόσα φλαῦρα· θεοῖς δὲ οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν τῶν τοιούτων μετὸν ἐροῦμεν; et quae in his vitia sunt, nobis inesse posse; Deos vero eorum participes nullo modo dicemus?* — Et haec quivis concesserit. — Numquid negligentiam, desidiam, delicias, animi virtutem putabimus, an contrarium? — Contrarium. — Qui deliciis, negligentiae desidiaeque deditus est, quem poëta ignavis maxime fucis similem rectissime dicit, 2) nonne odio nobis habendus? — Omnino. — *Οὐκοῦν τόν γε θεὸν οὐ ῥητέον ἔχειν ἦθος τοιοῦτον ὅ γέ τοι αὐτὸς μισεῖ· τῷ τέ τι τοιοῦτον φθέγγεσθαι πειρωμένῳ οὐκ ἐπιτρεπτέον· non ergo dicendus Deus tales mores habere, quos ipse odit: nec concedendum ulli est ita dicere.* — Nullo modo. — Porro, quod rerum minimarum curam attinet, si cui magnum negotium perficiendum est, is vero maxima quaeque curat, minima

1) *De Legg.* X. 899 D. — 900 B.
2) Hesiod. *Op. et dier.* vs. 300. Cf. Ruhnk. *ad Tim.* p. 157.

negligit, quomodo hunc laudantes non errabimus? nam aget ita, vel, quia nihil interesse totius putat, si parva negliguntur, vel, quia, licet interesse opinetur, inertiâ mollitieque detentus, negliget. — Sic se res habet. — Sed nunc illi duo tribus nobis respondeant, qui, licet esse Deos concedant, alter tamen facile placabiles, alter in rebus parvis negligentes putat: primumque sic interrogentur: ambo vos Deos asseritis scire, videre, audireque omnia: nihil posse ipsos effugere eorum, quae aut sensu aut intellectu percipiuntur? Haeccine ita esse dicitis, an aliter? — Sic. — Deinde omnia eos posse, quaecunque mortales immortalesve possunt? — Quidni et haec concedent? — Bonos etiam, imo optimos esse, nos quinque confessi sumus. — Omnino. — Nullâ ergo inertiâ capi, nullâ mollitie possunt, quandoquidem tales sunt, quales esse consensimus: nam ex ignavia nobis inertia oritur: negligentia autem ex inertia atque mollitie. — Vera loqueris. — *Ἀργίᾳ μὲν δὴ καὶ ῥαθυμίᾳ οὐδεὶς ἀμελεῖ θεῶν· οὐ γὰρ μέτεστιν αὐτῷ που δειλίας· nullus ergo Deorum inertiâ ac negligentiâ quidquam negligit: nullius enim ignaviae Deus est particeps.* Recte. — Utrum vero, o bone, te dicere existimabimus? Deos propter ignorantiam, cum providere debeant, non providere, an, sicuti improbos homines dicimus, meliora quidem videre, deteriora sequi, sic Deos, quamvis sciant providendum esse, similiter non providere? — Quomodo id fieri possit? — *Οὐκοῦν δὴ τά γε ἀνθρώπινα πράγματα τῆς τε ἐμψύχου μετέχει φύσεως ἅμα, καὶ θεοσεβέστατον αὐτὸ ἐστι πάντων ζώων ἄνθρωπος· praeterea res humanae viventis naturae participes sunt: et homo ipse prae caeteris animalibus Dei cultor diligentissimus est?* — Consentaneum. — Quin etiam mortalia cuncta viventia a Diis possideri, quemadmodum et coelum universum, dicimus. — Procul dubio. — Jam igitur, sive parva haec, sive magna quis dixerit Diis esse, nullo modo, cum providentissimi atque optimi sint, negligenda illis ipsorum possessio est. — Nullo modo. — Quid vero? si medicus in corpore curando magnis providerit, parva contemserit, bene se corpus habebit? — Non sane. — Sed nec gubernatores, nec imperatores, nec patresfamilias, nec civitatum moderatores, neque ulli omnino tales, paucis ac parvis neglectis, recte multa et ingentia regent: *οὐδὲ γὰρ ἄνευ σμικρῶν τοὺς μεγάλους φασὶν οἱ λιθολόγοι λίθους εὖ κεῖσθαι· nam lapides quoque magnos sine parvis bene strui negant architecti.* — Et recte quidem illi. — *Μὴ τοίνυν τόν γε θεὸν ἀξιώσωμέν ποτε θνητῶν δημιουργῶν φαυλότερον· caveamus autem, ne Deum mortalibus opificibus viliorem putemus.* Illi scilicet, quanto peritiores artis sunt, tanto in propriis ipsorum operibus et parva simul et magna exquisitius absolutiusque perficiunt: Deus vero, qui sapientissimus est, et curare

36

vult ac potest, magnis quidem providebit solum, parva autem, quae facilius gubernari possunt, propter ignaviam ac socordiam negliget? — Nullo modo hanc, hospes, de Diis opinionem admittendam putamus: nefaria est enim illa ac prorsus falsa sententia.» 1)

Lubens sane equidem, nec solummodo ad interpretandam Platonis de Deo, universi auctore ac moderatore, doctrinam, haec philosophi loca ex ejus *Legibus* adduxi. Nam habet hoc opus Platonis senile quam plurimum, quo vehementer nos capiat ac teneat. In caeteris ejus dialogis vel Socrates, vel hospes aliquis Eleates, vel unus e Pythagoreorum principibus summas habet partes, ut lateat nos auctor. Hic vero non obscure se ipsum significavit Plato, quum Atheniensem indnceret hospitem cum Crete illo et Lacedaemonio agentem, Atticaeque gentis ac civitatis prae Cretensibus ac Lacedaemoniis praestantiam celebrantem. Atticae rationis elegantiam, humanitatem, tum vero etiam solertiam prudentiamque in singulis fere dictis sententiisque agnoscimus. Quid autem nobis suavius potest accidere, quam ipsum Platonem, sicuti hic se tandem nobis prodidit, paulo interius cognoscere? Philosophorum enim principum ut doctrinam accipimus lubenter, ita indolem in primis, quales ingenio moribusque fuerint, perspicere avemus. Apparet autem hic nobis Plato non solum ingenii illâ sagacitate ubertateque insignis, quam referunt probantque caetera item ejus scripta; sed illâ se etiam commendans humanitate atque in genus humanum benivolentiâ, ut, quem suspexeramus fere atque admirati fueramus, eundem nunc amemus atque colamus. Quamobrem, quo magis ipse aetate provehor, eo lubentius equidem et lego hoc opus et in aliorum usum loca ex eo commemorare soleo. Quae autem nunc ex eo protuli, valere quam plurimum ad ipsius *Timaeum* intelligendum putavi. Nam, ut in dialogo illo Dei veluti imaginem informaverat, ita senex tandem, in *Legibus* scribendis, hanc suam de divina natura sententiam rationibus persuadere studuit. Nos igitur his, ut speramus, praeparati, ad dialogum illum illnstrem, omnium, qui scripti a Platone aliisque sunt, longe celebratissimum, nunc tandem accedamus.

De Timaeo Platonis.

Vere profecto Cicero, difficillimam esse hujus dialogi interpretationem, judicat: res enim ipsas, de quibus agitur, obscuras esse. Interdum, ait, *rerum obscuritas, non verborum, facit, ut non intelligatur oratio, qualis est in Timaeo Platonis.* 2) Accedit musicae, ut illic

1) *De Legg.* X. 900 C. — 903 A.

2) *De Fin.* II. 5.

cum mathematicorum ratiouibus conjuncta est, difficultas: quod Quintilianus animadvertit. *Plato, ait, cum in aliis quibusdam, tum praecipue in Timaeo, ne intelligi quidem, nisi ab iis, qui masicen quoque diligenter perceperint, potest.* 1) Quae cum communis sit veterum de *Timaeo* sententia, frustraque adhuc laborarint recentiores, ut superarent difficultates istas, ego sane audax esse et temerarius viderer, si interpretando explicare totum hunc dialogum aggrederer. Nec vero id ab initio negotii suscepi, ut scripta Platonis deditâ operâ interpretarer, sed hoc scilicet maxime, ut, philosophiâ ejus ex ipsius scriptis explicandâ, hisce ita simul nonnihil lucis affunderem. Itaque nos adhuc, ut singulos tractavimus philosophiae Platonicae locos, ita singula ejus, quae illuc pertinent, dialogorum genera, eroticum, dialecticum, politicum, ethicum illustrare studuimus. Nec dubito, quin nunc de *Timaoo* Platonis eo rectius judicaturi simus, quo magis omnem philosophi doctrinam de rebus divinis atque humauis assecuti fuerimus. Videamus continuo, quid eo scribendo auctor spectaverit.

Confectâ *Politiâ*, scriptoque deinceps, ut mihi quidem videtur, *Phaedone*, opus maximum et apte cum *Politia* conjunctum aggressus Plato est: quod ex ipso *Timaei* exordio patet. Nam fingitur Socrates sermones illos, quos de justo deque optima civitate cum Glaucone, Adimanto caeterisque, qui affuerant, habuerat aliquando, pridie Timaeo, Critiae, Hermocrati, tum etiam quarto cuidam, qui nunc valetudinis caussâ abesset, enarrasse: finguntur hi item, auditis sermonibus illis, sic convenisse inter se, ut, prouti nunc hisce dapibus excepti a Socrate fuerant, ita ipsi postero die vice suâ Socratem suis sermonibus excepturi essent. Sic nempe accipiendum prooemii initium est, quod ita se habet «*Εἷς, δύο, τρεῖς· ὁ δὲ δὴ τέταρτος ἡμῖν, ὦ φίλε Τίμαιε, ποῦ, των χθὲς μὲν δαιτυμόνων, τὰ νῦν δ' ἑστιατόρων; Τιμ. Ἀσθένειά τις αὐτῷ συνέπεσεν, ὦ Σώκρατες· οὐ γὰρ ἂν ἑκὼν τῆσδε ἀπελείπετο τῆς ξυνουσίας. Σω. Οὐκοῦν σὸν τῶνδέ τε ἔργον, καὶ τὸ ὑπὲρ τοῦ ἀπόντος ἀναπληροῦν μέρος; Τιμ. Πάνυ μὲν οὖν· καὶ κατὰ δύναμίν γε οὐδὲν ἐλλείψομεν· οὐδὲ γὰρ ἂν εἴη δίκαιον, χθὲς ὑπὸ σοῦ ξενισθέντας οἷς ἦν πρέπον ξενίοις, μὴ οὐ προθύμως σὲ τοὺς λοιποὺς ἡμῶν ἀντεφεστιᾶν· unus, duo, tres: quartus vero, o amice Timaee, eorum, qui a me heri sermonum convivio excepti sunt, nunc autem mo vicissim excipiunt, ubinam est? Tim. Adoorsâ valetudine laborat, o Socrates: non enim sponto ab hoc coetu et dispatatione abstinuisset. So. Ergo tuum, o Timaee, et horum erit officium, quarti illius absentis partes explere. Tim. Erit omnino: noc quidquam, quoad*

1) *Inst. Orat.* I. 10.

ejus fieri poterit, praetermittemus: nam, cum laute a te heri excepti fuerimus, haud aequum sit, si non pari te alacritate, qui hic sumus, vicissim excipiamus.» 1) Quis sit quartus ille, quem memorat Socrates, a multis quaesitum est. Mihi Plato, uti jam significavi, semet ipsum videtur spectasse. Similiter ipse de se in *Phaedone* scripserat: *Πλάτων δὲ, οἶμαι, ἠσθένει· Plato autem, ut arbitror, adversâ valetudine laborabat.* 2) Aegerrime scilicet philosophus eo videtur traduci potuisse, ut in dialogis suâ ipse personâ prodiret. Sic item Cicero. In dialogis *de oratore*, *de claris oratoribus*, *de republica* Crassi, Scipionis aliorumque personam induerat, se occultaverat, donec tandem in libris *de Legibus* aliisque bene multis suo ipse prodiit nomine. Quod non modestiae equidem tribui velim: hanc non magnopere in veteribus, minime omnium in Cicerone, agnosco; sed repugnare id dialogorum rationi videbatur, in quibus non magis, quam in dramatibus tragicis, existimabatur decorum, se ipsum ostendere. Iccirco Plato postremo demum sub hospitis Atheniensis nomine se prodidit, eoque pervenisse ita videtur, ut primum in *Apologia* et *Phaedone* nominis sui mentionem faceret, tum in *Timaeo* scribendo hoc faceret Socratem Timaeo dicentem: *οὐκοῦν σὸν τῶνδέ τε ἔργον, καὶ τὸ ὑπὲρ τοῦ ἀπόντος ἀναπληροῦν μέρος;* quo nempe haud obscure indicaret, suam ab illo sententiam explicitam fuisse. Sed de sermonum dapibus videamus, quibus Socratem illi excepturi erant. «Cupio, ait Socrates, civitatem hancce, quam verbis condidimus, reapse vigentem atque in motu et actione contemplari, sicuti quis animalia, sive picta sive quiescentia, cernere aveat viventia et agentia.» Quod postquam dixerat, roganti ei recipit Critias, ut Atheniensium civitatem, qualis secundum traditiones Aegyptiorum sacerdotum, a Solone celebratas, summo olim vigore fuerat, quum bella cum Atlantidis incolis ageret, describat. Tum sic pergit: «vide, Socrates, convivii, quod tibi paramus, dispositionem. Placuit nobis, ut Timaeus, *ἅτε ἀστρονομικώτατος ἡμῶν, καὶ περὶ φύσεως τοῦ παντὸς εἰδέναι μάλιστα ἔργον πεποιημένος· quippe astronomiae nostrorum omnium peritissimus, maximeque in rerum natura cognoscenda versatus*, primus dicat, ita ut, ducto a mundi generatione initio, ad genus humanum perveniat: ego autem deinceps, suscipiens homines a Timaeo genitos, a te vero institutos, secundum Solonis sermonem legemque in judicium vestrum adducam, civitatisque hujus cives efficiam eos, qui prisci illi Athenienses fuerunt, quos jam exstinctos sacrae Aegyptiorum literae in lucem e tenebris eduxerunt,

---

1) *Tim.* 17. A. B.
2) *Phaed.* 59. B.

ut de illis, tanquam de veteribus Atheniensibus, verba fiant.» 1) Cernimus hinc, quam vastum post *Politiam* opus susceperit Plato. Et *Critiam* quidem dialogum, quo et auream illam Athenarum aetatem et insulam Atlantidem celebraturus erat, inchoatum reliquit; *Timaeum* vero ipsum, quo hanc instantium operum distributionem instituit, sic absolvit, ut suam omnem in illo de mundo, de Deo ac de homine doctrinam explicaret.

Interpretati hunc dialogum multi ita sunt, ut minus Platonis de rebus divinis et humanis placita, quam suam ipsi cum philosophicam, tum theologicam doctrinam attenderent, eamque interpretando antiquitati ac Platoni obtruderent. 2) A qua nos temeritate eo facilius cavebimus, quo diligentius ipsa Platonis placita ex ejus scriptis declarare studuimus. Sed ipsum continuo Timaeum disserentem audiamus, ubi de Deo ac mundo dicere aggreditur.

«Cum omnes, ait, qui mentis quoquo modo compotes sunt, in operis cujuslibet vel magni vel parvi principio invocare Deum soleant, quanto nos aequius est, de unvierso, sive genitum sit, sive non genitum, disputaturos, invocare divinam opem! Ergo Deos omnes Deasque precamur, maxime quidem, ut ea dicantur a nobis, quae illis placeant, deinde, ut nobismet ipsi consentiamus. Et sic quidem Diis invocatis, nobis consulendum, ut constet, quemadmodum et vos percipiatis facillime, quae traditurus sum, et ego, quae sentio, optime declarem. Sunt igitur de mea sententia haec distinguenda continuo: *τί τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δ' οὐκ ἔχον· καὶ τί τὸ γιγνόμενον μὲν ἀεὶ, ὂν δὲ οὐδέποτε. Τὸ μὲν δὴ, νοήσει μετὰ λόγου περιληπτὸν, ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὂν, τὸ δ' αὖ δόξῃ μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου, δοξαστὸν, γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν· quid sit, quod semper est neque ullum habet ortum, quid item, quod gignitur nec unquam est. Horum alterum intelligentiâ et ratione comprehenditur, quod unum semper atque idem est: alterum, quod affert opinionem per sensus, rationis expers: quod totum opinabile est, id gignitur et interit neque unquam esse vere potest.* Omne autem, quod gignitur, ex aliqua caussa gigni necesse est: nullius enim rei, caussâ remotâ, reperiri origo potest. Quocirca si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem, quae semper est eadem, intuebitur atque eam sibi proponet exemplar, praeclarum opus efficiat necesse est; sin autem illam, quae gignitur, nunquam illam, quam

1) *Tim.* 27. A. B.

2) Vid. *Cudworthi Syst. intellect.* ed. Moshemio: quamquam Moshemius, qua erat cum ingenii sagacitate, tum doctrinae copiâ, rectius, quam Patres Ecclesiae ipseque Cudworthius, his de rebus judicavit.

expetet, pulcritudinem consequetur. Omne igitur coelum, sive mundus, sive quovis alio vocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatum sit. De quo id primum consideremus, quod principio est in omni quaestione considerandum, semperne fuerit, nullo generatus ortu, an ortus sit ab aliquo temporis principatu. Ortus est: quandoquidem cernitur et tangitur et est undique corporeus. Omnia autem talia sensum movent: sensusque moventia quae sunt, eadem in opinione considunt, quae ortum habere gignique diximus: nihil autem gigni posse sine caussis. *Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα, εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν· τόδε δ' αὖ πάλιν ἐπισκεπτέον περὶ αὐτοῦ, πρὸς πότερον τῶν παραδειγμάτων ὁ τεκταινόμενος αὐτὸν ἀπειργάζετο· πότερον πρὸς τὸ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχον, ἢ πρὸς τὸ γεγονός. Εἰ μὲν δὴ καλός ἐστιν ὅδε ὁ κόσμος, ὅ τε δημιουργὸς ἀγαθὸς, δῆλον ὡς πρὸς τὸ ἀΐδιον ἔβλεπεν· εἰ δὲ — ὃ μηδ' εἰπεῖν τινὶ θέμις — πρὸς τὸ γεγονὸς, παντὶ δὴ σαφὲς ὅτι πρὸς τὸ ἀΐδιον· ὁ μὲν γὰρ κάλλιστος τῶν γεγονότων, ὁ δ' ἄριστος τῶν αἰτίων· atque illum quidem quasi parentem hujus universitatis invenire, difficile: et cum jam inveneris, indicare in vulgus, nefas. Rursus igitur videndum, ille fabricator tanti operis utrum sit imitatus exemplar, idne, quod semper unum et idem, et sui simile, an id, quod generatum, ortumque dicimus. Atqui si pulcer est hic mundus, si probus ejus artifex: profecto speciem aeternitatis imitari maluit: sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplum est pro aeterno secutus. Non igitur dubium, quin aeternitatem maluerit exsequi, quandoquidem neque mundo quidquam pulcrius, neque ejus aedificatore praestantius.* Sic ergo generatus, ad id est effectus, quod ratione sapientiaque comprehenditur, atque immutabili aeternitate continetur. Ex quo efficitur, ut sit necesse, hunc, quem cernimus, mundum simulacrum aeternum esse alicujus aeterni.» 1)

Intelliguntur haec facile, ni fallimur, e Platonis doctrina de mundo *νοητῷ* ac de ideis, quam in veri philosophia exposuimus. Ipsa ejus de Deo atque universo placita e Pythagorica sunt disciplina repetenda: et vero Pythagoreus ac princeps adeo hujus scholae ille est, quem haec exponentem Plato induxit. Attamen Platonica sunt, quae hic de *τοῦ ὄντος* et *τοῦ γιγνομένου*, de *νοήσεως* et *δόξης* discrimine dicuntur. Platonica in primis, quae cum ideas, tum maxime *τὸ ἀγαθὸν* spectant. Nos cum locum illum in philosophia Platonis, qui de ideis est et de idealibus, quae vocantur, explicaremus, non aliunde, sed hinc unice interpretationem nostram duximus. Et nunc quidem, postquam haec

1) *Tim.* 27 C. — 29 A.

dicentem Timaeum audivimus, non dubitabimus, quin Deus apud Platonem ipsius sit veritatis exemplar, nec vero opinabimur, quod multis placnit, τὸ ἀγαθὸν apud Platonem de ipso Deo accipiendum esse. Artificis enim perfecti instar Deus hic occurrit, ad τοῦ ἀγαθοῦ ideam rudem informemque materiem informans. Quod autem illic de mundi primordiis leviter significavimus, hic ex ipso Timaeo plenius interpretari licet. Inepte posteri sententiam hac de re Platonis acceperunt: veluti Epicurei, quum Deum Platonis fabri, nescio cujus, instar, mundum, tanquam aedificium aliquod construentem et aedificantem sibi proponerent: unde facile erat, adversus Platonem inanes cavillationes petere: quod facit apud Ciceronem Vellejus Epicureus. *Tum Vellejus fidenter sane, ut solent isti, nihil tam verens, quam ne dubitare aliqua de re videretur, tanquam modo ex Deorum concilio et ex Epicuri intermundiis descendisset: audite, inquit, non futiles commentitiasque sententias, non opificem aedificatoremque mundi, Platonis de Timaeo Deum. — Quibus enim oculis animi intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a Deo atque aedificari mundum facit? Quae molitio? quae ferramenta? qui vectes? quae machinae? qui ministri tanti muneris fuerunt? quemadmodum a utem obedire et parere voluntati architecti aër, ignis, aqua, terra potuerunt?* 1) Non ita ipse Cicero, qui et vertit Latine *Timaeum* et locis inde sumtis sublimibus scripta sua illustravit: de statuae accepit auctore, qui intuens ideas perfectamque sibi inde formam proponens, hujus ad similitudinem opus suum conficeret. Rectissime ita ille: uniceque inde intelligitur, quo sensu mundum hunc Plato τῶν ἀϊδίων θεῶν ἄγαλμα vocaverit. 2) Sed, quo minus in his interpretandis de vectibus et machinis cogitemus, pergat deinceps apud Platonem Timaeus.

« Quaeramus autem caussam, quae eum impulerit, qui haec machinatus sit, ut originem rerum et molitionem novam quaereret. Ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος· τούτου δ' ἐκτὸς ὤν, πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια ἑαυτῷ· *bonus erat: bonus autem invidet nemini: itaque omnia sibi similia generavit.* Haec nimirum gignendi mundi caussa justissima. Βουληθεὶς γὰρ ὁ θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν, οὕτω δὴ πᾶν ὅσον ἦν ὁρατὸν, παραλαβὼν, οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας, ἡγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἄμεινον· θέμις δὲ οὔτ' ἦν οὔτ' ἔστι τῷ ἀρίστῳ δρᾷν ἄλλο πλὴν τὸ κάλλιστον· λογισάμενος οὖν

1) Cic. *de Nat. D.* I. 8.

2) *Timaeo* 37 C. Cf. Ruhnk. *ad Tim.* p. 6.

εὕρισκεν ἐκ τῶν κατὰ φύσιν ὁρατῶν οὐδὲν ἀνόητον, τοῦ νοῦν ἔχοντος ὅλον ὅλου κάλλιον ἔσεσθαί ποτ' ἔργον· νοῦν δ'αὖ χωρὶς ψυχῆς οὐ δύνατον παραγενέσθαί τῳ· διὰ δὴ τὸν λογισμὸν τόνδε, νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δὲ ἐν σώματι ξυνιστὰς, τὸ πᾶν ξυνετεκταίνετο, ὅπως ὅτι κάλλιστον εἴη κατὰ φύσιν ἄριστόν τε ἔργον ἀπειργασμένος· οὕτως οὖν δὴ κατὰ λόγον τὸν εἰκότα δεῖ λέγειν, τόνδε τὸν κόσμον, ζῶον ἔμψυχον ἔννουν τε τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ γενέσθαι πρόνοιαν· nam cum constituisset Deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiscere, quoad natura pateretur: quidquid erat, quod in cernendi sensum caderet, id sibi assumsit, non tranquillum et quietum, sed immoderate agitatum et fluctuans, idque ex inordinato in ordinem adduxit: hoc enim judicabat esse praestantius. Fas autem nec est nec unquam fuit, quidquam nisi pulcerrimum facere eum, qui esset optimus. Cum rationem igitur habuisset, reperiebat, nihil esse eorum, quae naturâ cernerentur, non intelligens, intelligente, in toto genere praestantius; intelligentiam autem ulli rei adjunctam esse, sine animo, nefas esse. Quocirca intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore. Sic ratus est opus illud effectum esse pulcerrimum. Quam ob caussam non est cunctandum profiteri, si modo investigari aliquid conjecturâ potest, hunc mundum animal esse, idque intelligens et divina providentia constitutum.» 1)

Sublimis haec sane apud Platonem est cum Dei, tum mundi, ut a Deo informatus fingitur, imago. Nec audiendi nobis posterioris aetatis philosophi sunt, qui haec omnia, ut apud Ciceronem Vellejus, *portenta et miracula non disserentium philosophorum, sed somniantium* 2) dixerunt. Sit nobis ipse Cicero denuo philosophiae Plotonicae interpres. Sententiam ejus de Phidia ejusque operibus hanc memoravimus supra. *Nec vero ille artifex, quum faceret Jovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat.* 3) Talis instar artificis Deus nobis in Timaeo proponitur. Sed, ut Phidias in operibus suis perficiendis pulcrum, ita Deus, quippe naturâ suâ bonus, bonum, τὸ ἀγαθόν, in mundo informando perficiendoque contemplatus fingitur. Quo propria τοῦ καλοῦ τε καὶ ἀγαθοῦ necessitudo intelligitur. Nam mundus hic propterea, de Platonis sententia, *pulcerrimus* est, quod *bonus*, imo, *optimus* ejus auctor est. Ὁ μὲν γὰρ κάλλιστος

1) *Timaeo* 29 D. — 30 C. Cff. *Initia* p. 362, 367.
2) *De Nat. D.* I. 8.
3) *Orat.* c. 2. Cff. *Initia* p. 330, 356, 370.

τῶν γεγονότων, ὁ δὲ ἄριστος τῶν αἰτίων. 1) Scilicet, ut idem contendit, *θέμις οὔτ' ἦν οὔτ' ἔστι τῷ ἀρίστῳ δρᾶν ἄλλο πλὴν τὸ κάλλιστον.* 2) Pertinent haec autem illuc potissimum, ut *malum* cuivis sive rei sive naturae potius, quam Deo, tribuatur. Fluxerunt inde recentiorum cum poëtarum, tum philosophorum de *optimo mundo* deque *optimismo*, quem dixerunt, sententiae, quae ita se nobis maxime commendabunt, ut proxime nos ad earum fontem accesserimus.

Quae vero deinceps in hoc dialogo de numerorum rationibus occurrunt, non confundenda cum posterioris aevi placitis de numerorum vi et efficacitate videntur; ad musicam, sive harmoniam referuntur, quae artes apud veteres ad mutuum exprimendum rerum universarum concentum adhibebantur. Praeclarus Ciceronis est in *somnio Scipionis* locus, ubi Scipio, in coelum traductus, miratur, quis sit qui compleat ipsius aures tantus et tam dulcis sonus. *Hic est*, ut ipsius avus interpretatur, *qui intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis, impulsu et motu ipsorum orbium conficitur: qui acuta cum gravibus temperans, varios aequalibiter concentus efficit: nec enim silentio tanti motus incitari possunt, et natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent.* 3) Ductum id e Pythagorae et Platonis doctrina, ac valet ad haec *Timaei* loca recte intelligenda. Nam quaeritur in iis *δεσμὸς*, quo apte juncta sint omnia. *Δεσμῶν δ' ὁ κάλλιστος, ὃς ἂν αὑτὸν καὶ τὰ ξυνδούμενα ὅτι μάλιστα ἓν ποιῇ· τοῦτο δὲ πέφυκεν ἀναλογία κάλλιστα ἀποτελεῖν.* Quae sic vertit Latine Cicero. «*Sed vinculorum id est aptissimum atque pulcerrimum, quod ex se, atque de iis, quae adstringit, quam maxime unum efficit. Id optime assequitur, quae Graece ἀναλογία, Latine (audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur) comparatio, proportio dici potest.* Quando enim trium vel numerorum, vel figurarum, vel quorumcunque generum, contingit, ut quod medium sit, ut ei primum proportione, ita id postremo comparetur, vicissimque ut extremum cum medio, sic medium cum primo conferatur: id quod medium est, tum primum fit, tum postremum; postrema vero et prima media fiunt. Ita necessitas cogit, ut eadem sint ea, quae disjuncta fuerant; eadem autem cum facta sint, efficitur, ut omnia sint unum.» 4)

Opportunitatem haec posteris dederunt, ut ad ineptissima quaeque commenta, ad *portenta et miracula*, quae Vellejus loquitur, venirent: apud

---

1) *Tim.* 29 A. Cff. *Initia* p. 360 sqq.
2) *Eod.* 30 A.
3) *De Rep.* VI. 18.
4) *Tim.* 31 C. — 32 A.

Platonem ad naturae vim et pulcritudinem exprimendam valent. Spectant illuc pariter, quae de amore prodiderunt vetustissimi poëtae: hunc fuisse, quo orto, chaos, rudis ista indigestaque moles, in pulcerrimum huncce mundum aptissimeque sibi concinentem, commutaretur. A nullis non rebus veteres sive imagines, sive metaphoras, sive notiones etiam, petierunt, quo clarius sibi, quidquid intus sentiebant, quasi ob oculos proponerent. Veluti quod mundum dixit Plato ζῶον esse ἔμψυχον ἔννουν τε τῇ ἀληθείᾳ, videatur illud absurdum plane, et visum ita Vellejo est: nam *mundum animo et sensibus praeditum, rotundum, ardentem, volubilem Deum*, in somniis censet philosophorum. Sed abhorrebat antiquitas a placitis illis, quae recentiore in primis aevo dominata sunt, quasi mechanica unice esset universi conditio, nihil vel ipsi, quo vigeret, vel ejus partibus, quo moverentur, inesset, omnia vero, ut in mechanico, quod dicitur, systemate, mechanicae legibus obtemperarent. Quamobrem vim illam, quam naturae non poterant non tribuere, variis modis exprimere conabantur. *Spiritum* vocabant illam ut in Virgiliano illo:

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem. 1)

Alii vim illam cum igne comparabant, quod Heraclitus ac postea Stoici diligentius explicare studuerunt. Nec vero discessit ab hac vetustissima ratione Platonis physiologia. Sed is scilicet universo, ut νοῦν Anaxagoras, ψυχὴν tribuit; hanc autem ab ipso Deo inditam esse mundo pronunciavit. Ducta in hisce ab homine similitudo est, cujus ut corpori ψυχὴν, ita ψυχῇ inesse νοῦν contendit Plato: factumque est ita, ut mundum vocaret ζῶον ἔμψυχον ἔννουν τε. Id autem quamvis sit a nostra cogitandi loquendique ratione alienum, tamen, si principium, unde manavit, spectamus, non potest nobis totum displicere. Nam, ut optimus quisque apud veteres physiologus, ita Plato, non e lege quadam mechanica naturae principium, sed altius, ab ipso naturae universique auctore repetiit.

Sunt haec nobis et singula et universa diligenter animadvertenda, si *Timaeum* ipsamque philosophi physiologiam interpretari recte velimus; quod autem ejus de divina natura sententiam attinet, vim omnino divinam toti rerum universitati inesse existimavit, ut non sit, quod miremur, si, antiquae auctoritate cum μυθολογίας, tum θεολογίας, plures memoravit Deos. Veruntamen, quin unum reapse, qui mundi et auctor et gubernator esset, Deum habuerit Plato, non est quod dubitemus. E tota id viri de rebus divinis doctrina, ut prodita est in *Po-*

1) *Aen.* VI. 726.

litia, in *Legibus*, in hoc ipso de universo dialogo est, sponte efficitur. Nec desunt profecto doctrinae huic Platonicae, e quibus hodieque etiam nobis proficere liceat: in quibus modestia in primis philosophi censenda est, ubi de Deo rebusque divinis agit. 1) Recentioris aetatis cum philosophi, tum maxime theologi sic de natura divina pronunciarunt fere, quasi ipsi eam totam penitusque cognovissent. Non ita Plato. Timaeum, de Deo verba facturum, hoc praemonentem induxit: *meminisse vos scilicet oportebit*, ὡς ὁ λέγων ἐγὼ ὑμεῖς τε οἱ κριταὶ φύσιν ἀνθρωπίνην ἔχομεν· ὥστε περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους, πρέπει τούτου μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν· *et me, qui disseram, hominem esse, et vos, qui judicetis: ut, si probabilia dicentur, nil ultra requiratis.* 2)

Sed accedendum tandem nobis est ad philosophiae apud Platonem finem, qui hominis est ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν, ut e *Theaeteto* cognovimus. 3)

De hominis cum Deo similitudine.

Diximus de *Timaeo* Platonis, quatenus doctrinam philosophi de Deo, mundi auctore atque gubernatore, continet; sed, quae sit hominis cum Deo similitndo, et vero, quemadmodum contendendum homini sit, ut quam proxime ad divinae naturae perfectionem accedat, idem nos dialogus docet. Hic autem locus primum nobis e tota Platonis philosophia explicandus est.

Nam quod in *Timaeo* genus humanum φυτὸν dicitur οὐκ ἔγγειον, ἀλλ' οὐράνιον· *non terrestris planta, sed coelestis*, 4) id in ipso philosophiae Platonicae prooemio explicitnm vidimus. A coelo repetuntur illic animorum origines. Versati in Deorum choris sunt, anteaquam terrenum hoc corpus induerent et sacris interfuerunt omnium augustissimis: ὅ τε σὺν εὐδαίμονι χορῷ μακαρίαν ὄψιν τε καὶ θέαν ἑπόμενοι μετὰ μὲν Διὸς ἡμεῖς, ἄλλοι δὲ μετ' ἄλλου θεῶν, εἶδόν τε καὶ ἐτελοῦντο τελετῶν ἣν θέμις λέγειν μακαριωτάτην· ἣν ὠργιάζομεν ὁλόκληροι μὲν αὐτοὶ ὄντες, καὶ ἀπαθεῖς κακῶν ὅσα ἡμᾶς ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ ὑπέμενεν· ὁλόκληρα δὲ καὶ ἁπλᾶ καὶ ἀτρεμῆ καὶ εὐδαίμονα φάσματα μυούμενοί τε καὶ ἐποπτεύοντες ἐν αὐγῇ καθαρᾷ καθαροὶ ὄντες καὶ ἀσήμαντοι τούτου

---

1) Cff. *Initia* p. 364, 434, 550.

2) *Timaeo* 29 D.

3) *Initia* p. 542. Vid. docta comm. de *hominis cum Deo similitudine*, quae prodiit auctore *S. K. Thoden van Velsen*, Gron. 1835, 1837 2 voll.

4) *Tim.* 90 A.

ὃ νῦν δὴ σῶμα περιφέροντες ὀνομάζομεν, ὀστρέου τρόπον δεδεσμευμένοι. 1) Inde autem orsus philosophus, rationem nos edocuit, qua redire nobis ad pristinam illam cum Deo similitudinem liceat. Amori in hac disciplina primas partes tribuit. Nam ut illic nos nostrum quisque Deum, tanqnam choregum, sumus secuti, ita hic illum quaerimus colimusque amasium, qui nobis maxime Deum nostrum referat: eumque quo magis et colimus et vero nos ipsos ad ejus exemplum perficere conamur, eo propius accedimus denuo ad divinae naturae similitudinem. Quo autem quis majorem secutus Deum est, ita per amorem ad majorem contendit perfectionem. Jovis cultores eum sibi amasium quaerunt, qui *Διὸς* sit animo. Σκοποῦσιν οὖν, εἰ φιλόσοφός τε καὶ ἡγεμονικὸς τὴν φύσιν· καὶ ὅταν αὐτὸν εὑρόντες ἐρασθῶσι, πᾶν ποιοῦσιν ὅπως τοιοῦτος ἔσται· ἐὰν οὖν μὴ πρότερον ἐμβεβῶσι τῷ ἐπιτηδεύματι, τότε ἐπιχειρήσαντες μανθάνουσί τε ὅθεν ἄν τι δύνωνται, καὶ αὐτοὶ μετέρχονται· ἰχνεύοντες δὲ παρ' ἑαυτῶν ἀνευρίσκειν τὴν τοῦ σφετέρου θεοῦ φύσιν, εὐποροῦσι, διὰ τὸ συντόνως ἠναγκάσθαι πρὸς τὸν θεὸν βλέπειν· καὶ ἐφαπτόμενοι αὐτοῦ τῇ μνήμῃ, ἐνθουσιῶντες, ἐξ ἐκείνου λαμβάνουσι τὰ ἔθη καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα, καθ' ὅσον δυνατὸν θεοῦ ἀνθρώπῳ μετασχεῖν· *considerant igitur, utrum ad philosophiam et imperium naturâ valeat; et quando illum inventum dilexerint, omni opere contendunt, talis ut fiat. Ac nisi prius ad studium incubuerint, tunc contendentes et discunt undecunque possunt, et sponte sua progrediuntur. Investigantes autem apud semet ipsos Dei sui naturam, gaudent, quod continenter Deum adspicere coacti fuerint; eumque memoriâ comprehendentes, divinitus afflati ex eo suscipiunt mores et studia, quoad quidem Dei participi esse homini licet.* 2) Haec apud Platonem amoris disciplina est, eodemque tramite omnis apud eum philosophia procedit. Nam sive nos illa ad pulcrum, sive ad verum, sive ad justum, sive denique ad sanctum divinumque ducit, illuc tendit constanter, ut nos, quoad ejus fieri potest, Dei similes efficiat. Divinum enim id omne est. Τὸ γὰρ θεῖον, in *Phaedro* statuit Socrates, καλὸν, σοφὸν, ἀγαθὸν καὶ πᾶν ὅ τι τοιοῦτο· 3) ac Diotime in *Symposio*, ut ad pulcrum eduxit Socratem, ἐνταῦθα τοῦ βίου, ait, ὦ φίλε Σώκρατες, εἴπερ που ἄλλοθι, βιωτὸν ἀνθρώπῳ, θεωμένῳ αὐτὸ τὸ καλόν. 4)

Sed ὁμοιώσει θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν quid spectaverit Plato, ut ex omni ejus doctrina patet, ita perspicere nobis maxime ex ejus *Timaeo*

---

1) *Phaedr.* 250 C. Cff. *Initia* p. 50 sqq.
2) *Eod.* 252 E.
3 *Eod.* 246 D.
4) *Symp.* 211 C. D. *Initia* p. 439.

licet. Spectandum nobis in eo dedit, quemadmodum ad perfectum exemplum Deus mundnm informaverit; sed in *hominem* maxime, tanquam divinam quandam, non terrestrem plantam, mentem nostram convertit. Praeclara illic hominis descriptio exstat: qua ad finem perductâ fere, hoc additur: *τὸ δὲ δὴ περὶ τοῦ κυριωτάτου παρ' ἡμῖν ψυχῆς εἴδους διανοεῖσθαι δεῖ τῇδε, ὡς ἄρα αὐτὸ δαίμονα θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε τοῦτο, ὃ δή φαμεν οἰκεῖν μὲν. ἡμῶν ἐπ' ἄκρῳ τῷ σώματι, πρὸς δὲ τὴν ἐν οὐρανῷ ξυγγένειαν ἀπὸ γῆς ἡμᾶς αἴρειν· de praestantissima animi nostri specie ita sentiendum, hunc nobis singulis Deum, tanquam daemonem, tribuisse, eundemque in summa corporis arce sedem habere, nosque per nostram cum coelo cognationem a terra extollere.* 1) Unde certatim cum poëtae, tum philosophi profecerunt. Ductum inde Ovidianum illud celebratissimum est in Metamorphosibus:

Pronaque cum spectent animalia caetera terram,
Os homini sublime dedit, coelumque tuer.
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus. 2)

Tum Tullianum in Legibus. *Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tanquam satellites, attribuit ac nuncios: et rerum plurimarum obscurarum necessarias intelligentias enudavit, quasi fundamenta quaedam scientiae: figuramque corporis habilem et aptam ingenio humano dedit. Nam cum caeteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad coelique quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit.* 3) Ut autem formâ atque indole apud Platonem homo, ita sensuum destinatione, cum Deo similitudinem et cognationem refert. Eo consilio nos dicit in pulcerrimo mundo a Deo collocatos esse, ut ad universi ordinem concentumque partium omnium, nostrum ipsi animum, ad Dei exemplum, componeremus. «Visum nobis, ait, propterea maxime largitus Deus est, *ἵνα τὰς ἐν οὐρανῷ τοῦ νοῦ κατιδόντες περιόδους, χρησαίμεθα ἐπὶ τὰς περιφορὰς τὰς τῆς παρ' ἡμῖν διανοήσεως, ξυγγενεῖς ἐκείναις οὔσας, ἀταράκτοις τεταραγμένας· ἐκμαθόντες δὲ, καὶ λογισμῶν κατὰ φύσιν ὀρθότητος μετασχόντες, μιμούμενοι τὰς τοῦ θεοῦ, πάντως ἀπλανεῖς οὔσας, τὰς ἐν ἡμῖν πεπλανημένας καταστησαίμεθα· ut mentis conversiones, quae in coelo obtinent, intuiti, discursionibus mentis nostrae, ordinatas inordinatis perturbatisque, adhibeamus: iidemque, cognitis illis, ac percepto, quod naturâ*

---

1) *Timaeo* 90 A. Cf. 44 C. 69 D.
2) *Metam.* I. 84—86.
3) Cic. *de Legg.* I. 9.

rectum est, Dei motus, qui non aberrant, imitati, nostrae motus cogitationis in ordinem revocemus ac componamus. » 1) Pariter de caeteris sensibus nostris ac facultatibus statuit. Eum in finem maxime utendum iis censet, ut, quidquid in nobis divinitatis inest, id, percipiendo mundi spectaculo divino, cum excitemus, tum perficiamus. Est scilicet mundus, ut pronunciat apud eum Timaeus, ipsius naturae divinae ἄγαλμα. Haud fuit unquam philosophus, qui de mundo, de Deo, deque hominis indole praeclarius magnificentiusque, quam Plato, exstimaret: nec vero confudit haec, ut illi fecerunt, qui pantheismum docerent. A mundo atque homine diligenter ille Deum distinxit: quo unice nobis potuit, ad divinae naturae imitationem, Dei imaginem proponere. Id vero, quemadmodum et instituerit et peregerit, in *Timaeo* legendo, vidimus.

---

1) *Timaeo* 47 B. C.

EPILOGUS.

Perduxi ad finem negotium, cui peragendo totam ferme vitam impendi. Nec tamen is ego sum, qui sic, me auctore, rem plane confectam arbitrer. Habebunt posteri, quae vel corrigant in hisce, vel suppleant, permulta. Sed quo id rectius agant ac Platonis aliquando philosophiam prorsus in luce ponant, critica adhibenda *philosopha* quaedam erit, ut ab erroribus, quibus lapsi superiorum aetatum interpretes sunt, caveant. Equidem, si proficere quis forte e meo exemplo velit, cavendum potissimum ab his censui: primum, ne *doctrinam* spectarem Platonis, *formam* negligerem: traderem dogmata philosophi, quasi essent haec singula singulatim ab auctore libro quodam metaphysico condita, non attenderem dialogi, imo Socraticam rationem, qua usus ille, interrogando, inquirendo, distinguendo, admirabilem in modum illustravit omnia: quam qui neglexerunt, Platonem nobis fere, non, ut lumen philosophiae sed tanquam de schola philosophum aliquem, proposuerunt. Deinde, ne dividerem in partes et veluti dissecarem philosophiam Platonis, ac si contineretur haec *physicâ*, *dialecticâ*, *ethicâ:* quod fecerunt a Xenocrate inde ad hanc nostram aetatem interpretes. Repugna id ipsi Platonicae philosophiae indoli ac naturae, quae non partium systema, sed reapse institutio, imo vero *initiatio* quaedam est ad puram intaminatamque percipiendam veritatem. Itaque agitur quidem in ea de dialectica, agitur de ethica, itemque de physica; sed sunt apud Platonem artes ac disciplinae, praesertim musica, dialectica, ethica, veluti *gradus* quidam, quibus ad sublimem de Deo ac de universo doctrinam, quam *physicam* vocarunt postea antiqui, escenditur. Non constat enim apud Platonem philosophia doctrinis; sed artibus doctrinisque utitur, ut hominem ad sapientiam ac Dei similitudinem evehat et perficiat. Quapropter ab illo divino nomine, ἡ θεία φιλοσοφία appellata est. Omnium vero maxime cavendum esse duxi, ne aetatis meae opiniones philosophandique normam in antiquum illud Platonis aevum traducerem. Hinc enim quantum et omnis antiquitatis et praesertim Platonis interpretatio detrimenti ceperit, dici non potest. Nam primum, alienis immiscendis corrupta plane est et obscurata philosophi doctrina, tum etiam, ut obtrusa Platoni sunt, quae non êxstarent in ipsius scriptis, ita, quae exstarent maximeque viderentur memoratu digna, neglecta sunt. Veluti,

quae de musica, de poësi, praesertim de amore et duplici quidem illo, οὐρανίῳ et πανδήμῳ, mirâ elegantiâ scripsit Plato, non ceperunt haec homines, recentiorum systematibus addicti, certe systemati haec suo non potuerunt accommodare. Quamobrem vel silentio praetermiserunt illa, vel, cum id non liceret, intempestive alieno loco interposuerunt. Quid dicam de artium omnium laudatarum ac disciplinarum instauratione, cujus auctor Plato fuit: de novo musicae ac poëseos, de novo geometriae ac dialecticae, de novo eloquentiae, imo vero de novo quodam et sublimiore ethicae, politicae, adde et theologiae genere, quod scriptis prodidit ac celebravit suis? Id omne, quale sit, ne suspicari quidem possunt, quotquot non totos sese et penitus in aetatem Platonis ipsiusque scripta insinuaverunt. Sunt autem haec nobis perdiligenter attendenda, siquidem et interpretari philosophiam Platonis, et ambitum ejus omnem mente complecti, et vero proficere inde ad temporum nostrorum usum velimus. Nam desiderare haec aetas commutationem philosophiae, quin etiam renovationem quandam videtur, ut nec *transscendentalis* sit, nosque *a priori* ratiocinari ac statuere pergamus, nec vero sit, quod dicitur, *empirica*, solâque contineatur observatione rerum externâ; sed, mediam tenens eandemque regiam viam, sic procedat, ut physici hodieque solent, qui *a posteriori* exquirunt, quid *a priori* sive intus in rerum natura lateat; hinc autem explicare naturae phaenomena conantur. Quod quemadmodum instituendum in animum humanum ac mundum intelligibilem et moralem sit, quidque inde ad indolem hominis ac naturales facultates et cognoscendas et perficiendas, tum etiam ad ipsum, quem dixi, mundum intelligibilem et moralem explicandum, sperare atque exspectare liceat, e Platonis, ni fallor, philosophandi ratione, ut exposita a nobis est, efficitur facile. Nam quod antiquam illam philosophiam commendamus, non ita accipiendum, quasi retrogradi velimus, missisque, quae adsunt nobis, veteribus defuerunt, doctrinae sapientiaeque adminiculis, iter nostrum iisdem, quibus veteres, terminis definire jubeamus. Vetant hoc et alia permulta, et vero *religionis*, quae post illorum tempora exstitit, cum ubertas, tum ad sapientiae viam recte tenendam efficacitas. Sed sic velim ex antiqua illa philosophia proficiamus, ut, quid sit philosophia, qua sit via et ratione tractanda, quo maxime sit consilio propositoque excolenda, tum in primis, quemadmodum ad artes doctrinasque omnes provehendas adhibenda sit, discamus. Hoc illud est, quod ab initio scripsi, et hic iterandum censeo: *prodire e scholae angustiis ac generi humano prodesse philosophia* debet, sed, hoc ut fiat, *philosophos* oportet *rite esse in schola eruditos, Socratis maxime et Platonis institutione.*

DISQUISITIONUM SUCCESSIO ET ARGUMENTA.

PHILOSOPHIA JUSTI,

SIVE

DE VITA BEATA.

PLATONIS

DE REBUS DIVINIS EFFATA.

LOCA TENTATA.

Pag. 2 l. 4 *potest* l. *potes.*
» 6 l. 8 inf. *qua* l. *quae.*
» 9 l. 7 » *et* l. *ut.*
» 10 l. 13 » *scripsit* l. *scriptis.*
» 46 l. 7 » *κιλινδουμενην* l. *κυλινδ.*
» 65 l. 11,12 *ille—hic* l. *hic—ille.*
» 74 l. 18 *eum* l. *cum.*
» 84 l. 1 *λησαν* l. *ἠμέλησαν-ποτῶν.*
» 93 l. 8 inf. *ustitiam* l. *justitiam.*
» 106 l. 11 *apollinam* l. *Apollinem.*
» 109 l. 8 inf. *divinus* l. *divinas.*
» 118 l. 7 » *νομτὸν* l. *νοητὸν.*
» 131 l. 3 » *ptius* l. *aptius.*
» 135 2) *p.* 283 l. *p.* 104.
» 185 l. ult. *obdorimentis* l. *obdormientis.*
» 189 1) l. *Initia* p. 95, 98, 180.
» 248 l. 11 inf. *omnes* l. *omnis.*
» 313 l. 1 *sive ne* l. *sive non.*
» 341 l. 4 *τάκους* l. *τόκους.*
» 357 l. 13 *νοῦν* l. *νοῦν.*
» 367 l. 2 *Patone* l. *Platone.*
» 402 l. 5 inf. *κίαρῆ* l. *κίαρ ῆ.*
» 408 l. 3 » *nosqui* l. *nosque.*
» 488 1) *νρία* l. *τρία.*
» 502 l. 7 *arctissimum* l. *arctissimam.*
» 545 l. 3 *Philosophia* l. *Philosophiae.*







